



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>





Ab Gventu Monacense  
O. S. : E. m. : S. Augustina



<36622218230017

S

<36622218230017

Bayer. Staatsbibliothek

Ph. B. 965<sup>w</sup>

Türquist

Philos. Ethicae Instit.

2290.

R

ETHICA PARADOXATA

ΕΥΔΑΙΜΟΝΟ

Secundae Virtute optimam.

Est per se habi iudex vult iustitia



ΥΠΟΛΟΓΙΑ

ΦΡΟΝΗΣΙΣ

ΑΡΕΤΟΛΟΓΙΑ



Animum rege, qui nisi  
parat, imperat; hunc  
fronis, hunc tu coram  
pesci catena.

nam prudentia, omnes  
ΦΙΛΙΑ.



Aut virtus quodam

aut virtute conjuncta



# ETHICA PARADIG.

MATICA,  
IUXTA ORDINEM ARISTOTE-  
LICUM IN NICOMACHIIS OBSER-  
VATUM, PER APHORISMOS,  
DIGESTA,

Ex optimis quibusq; Veteris & No-  
stri ævi Scriptoribus collecta

*Auctore*

## IOHANNES CONRADO DÜRRIUS

S. Theol. & Philos. Mor. in incl.  
Altdorffinâ Prof. Publ.


*Philippus Melanchth. Ep. ad Joach. Camera-  
rium pag. 290.*

Tâ η̄θικά sunt ornanda verbis, & nitore  
quôdam & varietate historiarum.

**J E N Æ**  
Sumptibus SOCIETATIS.

---

Literis SAMUELIS ADOLPHI MÜLLERI,  
cl<sup>o</sup> Ioc LXX.





**VIRO**

*Illustri, Magnifico & Nobilissimo*

**DN.**

**O T. OTTHONI**

**AB ET IN MAUDERODA,**

**SERENISSIMI PRINCIPIS**

**AC DOMINI**

**D N. GEORGII**

**GUILIELMI**

**Ducis Brunsvic. & Lüneb. &c.**

**Consiliario intimo, Mona-**

**terii Ilfeldensis Administratori, h. t.**

**dComitia Ratisbonensia Legato splen-**

**didissimo, Fautori & Patrono suo**

**multâ cum observantiâ**

**colendo**

**S.**



Votiescunque occasio fert & copia, deducendi pendulam ab ore meo Juventutem ad illud Salutis domicilium, & tantoperè decantatam in Peripato Civilem Felicitatem; toties negocium mihi dâri puto, ut non satis habeam, juxta elementarem, quam Veteres appellare solebant, doctrinam summa ac simplicissima ejus capita sub cõmmuni formâ, ad quam velut amûssim singulæ civium, imparibus passibus ad eam connitentium, actiones & vivendi genera exigantur, proponere, sed etiam ut expressas jam eminentiore, jam diminutiore luce imagines in singulis hominibus extantes delineandas mihi sumam. Idq; ipsû παλαιάσιν, in primis legibus est consentaneum.

neum,



neum, quibus præcipitur, ut per ea, quæ sensibus, unde omnis nostra cognitio etiam ἐπισημονικωτέρα ortum ducit, familiariora sunt, suaviter provehamur ad penetrandas interiores rerum essentias inter varia accidentia involutas & contactas. Ergò ut eripiam, & ut ille ait, velut de pulmone revellam veteres avias opprobriorum, quasi de felicitate politicâ disserere nihil sit aliud, quàm imagunculas in nubibus volitantes confectari velle, soleo præter formas animis subjectas, repræsentare etiam auribus oculisq; eorum bonorum virorum exempla, in quibus felicitas & virtus pluribus numeris efficacius se ostendit. Tum verò comparent præter formas sinceras & præstantiores, quàm ut eas vitæ hujus imperfectio

suscipere possit, aliæ de impuriore  
 metallo & limo humanorum affe-  
 ctuum plusculum trahentes : nec  
 tantùm magnificè incedit illa divum  
 regina ΕΥΔΑΙΜΟΝΙΑ, stipata sa-  
 tellitiò eorum bonorum, quæ pri-  
 ma mortales putant, sed etiam sic sa-  
 tis benè cum rebus humanis agi pu-  
 tandum est, si quàm minimum absit  
 vitiorum & calamitatum : & dum  
 virum ἀληθῶς ἀγαθὸν καὶ τετραγώνον  
 ἀνευ ψόγῃς, ut in ethicis Aristotelicis,  
 velut in politicis audit, πεπαιδευμέ-  
 νος ἰκανῶς πρὸς ἀνδρὸς καγαθίαν, votis  
 fingimus, desideriiis complectimur,  
 contenti interim sumus iis Catoni-  
 bus, qui in tanto vitiorum confinio  
 positi ex mediolorum officiorum fre-  
 quentiâ similitudinem quandam ge-  
 runt speciemq; perfectè sapientum,  
 servan-

servantes intèrim intaminatum ho-  
nesti amorem & sacrosanctum egre-  
gii publici studium. Taliũ verò mes-  
sem nullã non ætate, nullò non pau-  
lò cultiori loco metere licet haud  
parcam, nec ullum adeò virtutum  
sterile seculum fuit, ut non & bona  
exempla prodat, velut gravissimus  
Historicorum pronunciat. Neque  
adeò anxie mihi laborandum fuit in  
aptandis ad Ethicæ paradigmaticæ  
structuram exemplis, quæ si non sin-  
gula, tamen cuncta exhiberent no-  
bis illam, quæ multorum mortalium  
fidem, omnium vires superare vide-  
tur, virtutem perfectissimam in vitã  
perfectã. Injuria autem virtutum  
non minus quàm seculi fuerit, suum  
detrahere pretium viro bono, quòd  
inter raros æmulorum conatus ple-

rorumq; improbitati suâ integritate  
convitium faciat. Quidni verò felici-  
cium & bonorum virorum titulò &  
dignatione censeantur, qui hodieq;  
alii quidem sive Reipubl. gubernacu-  
la moderantur, sive remos impel-  
lunt, sive cum Æneâ Virgiliano sco-  
pulum conscendunt, & omnem pro-  
spectum late pelago petunt, quidam  
pulvere & sanguine patriæ quietem  
redimunt, pars honestis regionum  
spoliis gentium inopiam levant,  
nonnulli formandis juvenum judi-  
ciis & excitandis ad virtutem & de-  
cus ingeniis industriam occupant?  
Dubitatum equidem jam ab anti-  
quo est, num quis in hac tot casuum  
vicissitudinibus obnoxia vitâ in pos-  
sessione in tam gloriosi & ut ipse Ari-  
stoteles vocat, *ἡρώδης ἢ ἀρχήματος* im-  
mitti

mitti queat. Ac sicut Cræso quidem  
 alicui, qui nullâ solidâ virtute, ani-  
 mum sustentans in reclusorum the-  
 saurorum nitido spectaculo oculos  
 defixos, & in ἀλοπεροσάμων fortunæ  
 crepundiorum gestienti jactatione  
 omne beatitudinis momentum su-  
 pensum tenet, meritò ambiguan  
 palmâ cum Solone facimus: Ita vi-  
 rum aliquem ἀγαθὸν καὶ ἐμφρονα et-  
 iam superstitem & in hujus vitæ are-  
 nâ cum mala fortunâ compositum,  
 sed nunquam, etiamsi interdum vi-  
 ctus jaceat, manus dedentem, utiq;  
 in theatrum felicitatis productum  
 mirantium oculis sistimus, utpote a-  
 ctiones suas perfectâ virtute dirigen-  
 tem, bonisq; fortunæ mediocriter  
 instructum non ad quodlibet tem-  
 pus, sed ad vitam perfectam: quibus

quidem characteribus insignitum ostendit beatum virum Aristoteles. Ista vero dices, Vir Illustris & Magnifice, per me quidem sic se habeant, nec ego quidem intercedo tuis *οὐδὲ τὰ ἀνδραπικὰ φιλοσοφήμασι*, quem dudum ex umbrâ tuâ in lucem rerum gerendarum factorum consiliô eductum oportuit esse cum Achille Homericò *μύθων τε πρῆτης πεικλήρου τε ἔργων*. Ego verò facile prospexi hanc reprehensivulam mihi imminere, qui ex Academia carceribus in augustum, quem tu tenes, honoris campum effusâ prodigè oratione ineptus Phormio coram gravi Hannibale differere ausim de iis rebus, quarum exquisitiorem cognitionem dudum à Tuis Caselio, Cornelio, Hornejo haustam magnitudine ingenii admodum juvenis es complexus, & amplissimis fructibus universam patriam nostram pace belloq; affatim locupletasti. Neque verò non in animum induco,

duco, hæc ipsa, quæ Tibi justè tribuo,  
elogia, gravia fore, qui & eò dignitatis  
es provectus, ut suffragii mei iudicium  
infra te despiciere possis, eâq; modestiâ  
reliquarum virtutum eonsensum firma-  
veris, ut solâ recti conscientiâ laudes &  
laudum silentia juxtâ habeas: nisi quòd  
nullis sermonum blandimentis corru-  
ptus, hecti in lætitiâ insolentiùs se ef-  
ferentem queas. Enimverò hanc  
saltem gratiam mihi facies, Vir Magni-  
fice, ut, dum morum doctrinam, quam  
per aliquot annos sub variis docendi,  
quæ veteres nobis reliquerunt, generi-  
bus in hæc Academiâ tradidi, nunc et-  
iam *Ἐδερυαλιῶς* depictam, produ-  
ctis omnis ævi exemplis in illustri posi-  
tis monumento, juventuti propono, in-  
daganti mihi ex nostrâ ætate extantio-  
res virtutum imagines, Tuum mihi tot  
meritis cumulatum, tot amantium vo-  
tis mactatum, tot gloriæ radiis circum-  
fusum, tot divûm hominumq; secundis  
omi-

omnibus commendatum Nomen ad  
 conciliandum isti argumento decus in-  
 dulgere velis, *quod ὡς περ κανὼν καὶ μέτρον  
 τῶν πρακτικῶν* sub variarum imaginum for-  
 mâ fititur Vir *ὡς περ κεραιμένος καὶ τελείως ἀ-  
 γαστός*, quem Plutarchus vocat. *ἵπολαμ-  
 βάνω γὰρ τῆς ἡμῶν βελτίως ἔσεσθαι κατα-  
 λειφθέντων αὐτοῖς ὑπομνημάτων τοιχείων οἷς πα-  
 ραδείγμασι χρώμενοι, αἰρήσονται τοῖς εὐχρημονε-  
 ζάτοις συνείναι τε καὶ ὀμιλεῖν, ὅπως μὴ καλαῖ ἐ-  
 σερροὶ ὡσιν αὐτῶν:* uti quidem præclare &  
 conformiter præsentî materiæ scribit  
 ad Polyclem suum Theophrastus in  
 Procem. Character. Tuum autem in-  
 primis exemplum efficacius in animos  
 juvenum descendet, si vel meô indiciô  
 intelligent, Te non modò dudum su-  
 perâsse ætatem *καθ' ἑσσηκῆαν*, quam Cebes  
 ille Socraticus in tabulâ suâ graphicè  
 delineatâ felicitati perfectæ idoneam  
 destinavit, sed etiam cum aliquot re-  
 tro annis nuper ad eò per septuagesi-  
 mum, faventibus bonorum plausibus,  
 affectum esse illam, in qua mentis ocu-  
 lum



lūm acutè cernere, cūm oculus torporis  
deflorescat, & Plato in Sympof. pro-  
nunciavit, & qui ab isto Præceptore  
Mens, si quando abesset, est salutaris,  
Aristoteles in Rhetoricis suo calculo  
confirmavit. Invenient fortassè pro  
Tanti Viri, tam grandis non minùs Eu-  
ropæ omnis, quàm Saxoniae ornamen-  
ti, concepta à me religiosè vota cum a-  
pud benignitatem Numinis divini lo-  
cum, ut, quod purissimæ vitæ pariter &  
styli presbyter Massiliensium Salvianus  
in epistolis scribit, vel in Te uno voti  
damnas experiar, imbecillitate carnis  
mentis vigorem exacui, & affectis artu-  
bus, vires corporum in virtutes trans-  
ferri animorum. Quod si illud ἀγαθὸν καὶ  
σωτηριώδες μόνον. admittere potest aliquam  
felicitatis accessionem, illum utiq; nu-  
merum auspiciatum augebit εὐετυχία, quâ  
præter alia Illustris Familiæ tuæ pi-  
gnora postremò Filius Tuus JOHAN-  
NES THOMAS, spectatæ indolis &  
gene-

generosi ad præclarè quæq; gerenda  
ardoris Juvenis, Amicus meus, lauda-  
bili conatu pariter & successu studio-  
rum alacriores & lucidiores reddere  
caus Tuos venerandos admittitur. Va-  
le, Vir Illustris, & quam à se dignita-  
tem libellus hic nequiequam expectat,  
eam immortalis Nominis Tui splendo-  
re affundere ne dedignare. Scrib. in  
Academ. Altdorfina Calend. Mart.  
cl<sup>o</sup> 1<sup>o</sup> LXX.

*Illustri & Magnifico No-  
mini Tuo in perpetuum colendo*

dicatissimus

**JOH. CONRADUS  
DÜRRIUS,**



# ETHICA PARADIGMATICA,

Per aphorismos, juxta methodum Aristotelicam, digesta & ordinata.

## PRO O E M I U M.

**S**icut reliquarum scientiarum omnium præcepta universalia ex singularibus, sub unam formam & ideam redactis, colliguatur: ita firma & evidentia morum dogmata, eò magis, ex singulis hominum factis, maximis, minimis, elici debent, quò magis virtutes & vitia, pro diversitate ingeniorum, ætatum, affectuum, locorum, fortunæ, officiorum, & attributorum aliorum plurium diversitate variant. Probat sanè nobis sententiam suam Philosophus, lib. 2. Eth. c. 7. n. 2. *disputatio ait, de actionibus ea, que in genere universo versatur, inanior est: illa verò, que partes & species explicat, verior; in rebus enim singularibus consistunt actiones. In has verò oportet omnia convenire.* Hæc autem ipsa singularia morum signa & proprietates, non tam liquidis & defæcatis indiciis suppeditat accepta à quotidianis hominum factis experientia, qui vel dubiis externatum rerum umbris, vel odii aut amoris nubibus intercipere nobis integritatem judicii

dicii solent, quàm illa extra amicitiaè spem, aut inimicitiaè periculum constituta Historia, debitum cuiq; decq; dedecusve post fata rependens. Inter est igitur morum doctrinam exquisitè cognitari, non tantùm in numero habere ipsas virtutes, modùmque, eas utcunq; in se repræsentandi, si ita occasio tulerit, sed etiã earum opera in ipsis hominibus extantia, seu ( ut cum Seneca loquar ep. 95. ) *proderit, non tantum, quales esse soleant boni viri, dicere, formamque eorum & lineamenta deducere, sed quales fuerint, narrare, & exponere* Catonis illud ultimũ ac fortissimum vulnus, per quod libertas amisit animam: *Lælii sapientiam, & cum suo Scipione concordiam: alterius Catonis domi forisque egregiò facta.* Idem Seneca hoc sedulò inculcat Lucilio suo ep. 11. *Aliquis, inquit, vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic, tanquam illò spectante, vivamus, & omnia, tanquam illo vidente, faciamus: opus est aliquò, ad quem mores nostri se ipsi exigant; nisi ad regulam, prava non corriges.* Cicero etiam intuitũ egregiarum virtutum magnò sibi ad res præclare agendas autoramentò fuisse nõ dissimulat, orat. pro Archiã c. 6. his, inter alia, verbis: *Quàm multas nobis imagines non solum ad intuendũ, verum etiã ad imitandum, fortissimorum virorum expressas, scriptores Græci & Latini reliquerunt; quas ego mihi semper in administrandã Rep. proponens, animum & mentem meam ipsã cogitatione hominum excellentium conformabam.* Hujusmodi institutione suam à patre directam & effectam fuisse pueritiam scitis hisce versibus profitetur Horatius sat. 4. lib. 1. vers. 120 & seqq.

sic me

Formabat puerum distis: & sive jubebat  
 Ut facerem quid; habes auctorem, quò facies hoc;  
 Unum ex iudicibus seletis obiciebat:  
 Sive vetabat: An hoc inhonestum & inutile factum,  
 Nec ne sit, adubites, flagret rumore malo tàm  
 Hic atque ille? Avidos vicinum funus ut egros  
 Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit:  
 Sic teneros animos aliena opprobria sepe  
 Absterrent vitis.

Quidni igitur liceat, imò verò etiam deceat nō  
 venis ουρησωναις ed mortuis, quā pote, concol-  
 rari, seu similes reddi. Agite, experiemur Ingeniū  
 vires etiam in hoc paradigmatico genere, & pur-  
 puram Aristotelicam fimbriis exemplorum ornare  
 conabimur.

## PARTIS PRIMÆ.

### APHORISMUS PRIMUS.

Nullò non ævò, nullaq; non in Rep. ex-  
 titerunt, qui felicitatis Aristotelicæ  
 mensuram impleverunt.

§. I.

Quæ enim ætas tàm Diis hominibusque infesta,  
 tàm omnis bonæ frugis sterilis fuit, qui, si non  
 eam, quæ mente concipi potest summa; saltem ta-  
 men eam non assecuti sunt, quā imbecillæ vitæ hujus  
 conditio suscipere potest? sanè improborū virorū  
 censu retineri eos vult ipse Aristoteles, quæ parum  
 à recte agendo sem ad majus sem ad minus declinant  
 lib. 2. Eth. c. 9. & lib. 4. c. 11. Idemque docet, non

quasvis calamitates tanti esse, quæ de statâ felicitatis virum bonum deficere queant, imò plerasque in fortitudinis & constantia materiam ab eo converti, 1. Eth. c. II. Tales verò ex omni memoria non manu sed toto thylaco admetiri possem, nisi compendium facere verborum juvaret. Ecce verò Vobis è magna messe spicilegia!

§. II. Ecquid igitur ad felicitatis apicem defuit illis familiæ Judaicæ primis Architectis & fundatoribus, Abrahamo, Isaaco, Jacobo, quos non satis habuit Divina clementia conspicuos honoribus & opibus in admirationem totius orbis terrarum tollere, nisi eosdem etiam de secuturæ posteritatis prosperitate frequentibus oraculis confirmaret, & jam quid Josepho, illi felicitatis humanæ cuidam quasi centro & compendio seu spectata variis casibus virtus, seu æmulò cum virtute nisu contendens fortuna ad augendam magnitudinem fecit reliquiannon in Josua, Cananæorum flagellò, Davide, rerum humanarum spectaculò, Salomone, gentium miraculò, ostendisse divina Providentia videtur, quantæ dignitatis & splendoris capax esset vita humana?

§. III. Necquicquã verò mihi regeras ancipites casus, acerbas adversitates, mille pericula, quibus fortunas, capita, famam objecerunt Augusti Heroës. Circumagi sæpe nonnunquã fortuna oportebat, ut, quæ alias altis tenebris mersa situ & marcere contabuisset, vivida vis animorù, istis adversariis provocata, majori robore insignia patientiæ documenta repræsentaret. Dandus enim omninò locus est Demetrii voci apud Senecam cap. 3. de Provid. *Nihil mihi videtur infelicius eò, quàm nihil*

§. IV. Fortassis autem volupo est ad v<sup>er</sup>ū a-  
nimum convertere. Atqui ipsa tibi copia felicitum  
nos inopes faciat. Nam si circumferamus men-  
tem, quoad longissimè respicere potest spacia prae-  
teritorum temporū, offeret se nobis primum *aurca*.  
*Saturni aetas*, Poëtis tantopere depraedicata, quan-  
do homines spontaneo rationis, & æquitatis natu-  
ralis ductu, non minùs legum carceribus, quàm  
metu poenarum soluti, in honestatem & mutuam  
salutem conspirabant, sive, ut Seneca describit ep.  
90. *continebant manus, & infirmos à validioribus tue-  
bantur: suadebant, dissuadebantque, & utilia atque  
inutilia monstrabant. Horum prudentia, ne quid deesset  
suis, providebat; fortitudo arcebat pericula; benefi-  
centia agebat ornabatque subjectos. Nec erat cui-  
quam aut animus in injuriam, aut causa; vel, ut  
Tibullus istam beatitudinem adumbrat:*

*Non domus ulla fores habuit, non fixæ in agris,*

*Qui regeret certis finibus arva, lapis.*

*Ipsæ mella dabant quercus, ulroque ferebant*

*Obvia securis ubera lactis oves.*

*Non acies, non ira fuit, non bella; nec enses*

*Immissi se vni presserat arte faber.*

Videatur Natalis Comes Myth. l. 2. c. 2.

§. V. Si quis tamen has delicias (vavibus somniis  
dormitantium in Parnasso Poëtarū imputare velit,  
aut manasse existinet de primigenia felicitate A-  
dami, quæ Ethnici in Saturnū transmutaverint, sumi à  
appellatione ex Hebraea voce *AD* latuit, quod pu-  
dore nuditatis se absconderit à facie Domini, ut docet  
eruditissimus Vossius l. 1. de idololatriâ Gentil. c. 18.  
eum Historici insuper fide convincere possumus.  
Sic enim Tacitus lib. 3. Ann. c. 26. §. 1. & seqq. *Ve-*  
*cultissi.*

*existit in mortalibus, nulla eorum in alia libertate, sine  
 probro, sceleris, eoque sine parva aut coercitionibus age-  
 bant: neque praeiis opus erat, cum honesta fuerat in-  
 genio percrederet: Quibus nihil a terra morum expererent,  
 nihil per metum verabantur. Fallos? an sagacissimus  
 scriptor. Strychus indigetat, quos Homerus divinos  
 vocat Il. N. vers. 6. Justinus verò lib. 2. c. 2. Ju-  
 stitiam ingenio colere, non debemus, pronunciat, ut mi-  
 mare subinde cupiditatem suam: usque melleis & lactis,  
 prohibere. autem aëria injurias, polibus ferinis aut m-  
 rinis; eaq; fieri, ut tanto plus in illos proficiat virtutum  
 ignoratio, quam in alio virtutum cognitio.*

§. VI. Quod si vasta illa mundi imperia iustra-  
 bimus, deprehendemus, in singulis illis domicili-  
 um sibi fixisse judaemoras nostram. Certè etsi ple-  
 rique primæ Monarchiæ seu Reges seu Reguli mol-  
 li otio & foedis voluptatibus corrupti illacryma-  
 biles ignotique longâ nocte urgentur; tamen & i-  
 ipsa tulit Nini, Πύσει πολυμικόν ηγή ζήλωτην ἀρετῶν,  
 naturâ bellicosam & flagrantem amore virtutis, quo  
 ipsum elogio maectat Diodorus Siculus lib. 2. Bibl.  
 Histor. Is cum videret gentes Babylonias à peritia  
 belligerandi sequè ipsas defensandi descivisse, collectâ  
 ex validissimis juvenibus & laboribus periculisque du-  
 ratâ manu campescevit, & impositô annuô tributo im-  
 perata facere jussit, Armenios verò sceptrum spicè  
 submittentes, benignè cultos res sibi suas habere jussit,  
 quibus rebus prosperè gestis eò claritudinis processit, ut no-  
 mini majorum gloria splendore concederet, faventem  
 quoque nominis, edificatione urbis, omnium tunc in-  
 orbe terrarum clarissima, posteris commendaret, ut i-  
 dem Diodorus testatur.



§. VII. In Persarum Regno absolutissimum felicitatis exemplum præbet Cyrus, ille ducentis annis, priusquã dias in luminis auras ederetur divinis præfagiis destinatus rebus egregiè, bono præsertim Ecclesiæ, gerendis. Is divinæ providentiæ, nimirum in sui educatione sollicitæ, omnium rerum laudandarum executione ita feliciter respondit, ut dignus haberetur Xenophonti, in quò laudatissimi imperii effigies exprimi posset. Præterquam enim, quod cives paternâ benevolentia est complexus, justitiamque suavi clementiæ moderamine temperavit, improbis severus, bonis blandus & comis existens; cum fortuna, tantarum virtutum præmia, molitura, lætos negotiis successus, præsertim in bellis adversus Medos, Lydos, Jonas, Babylonios gestis largiretur; ille in eodem animi statu mansit, nihil ex tantis victoriis elatior factus, ac ne quidem effusè lætatus. Unde jamjam mortis imminens, cum coram filiis vitæ suæ actiones per omnes ætatum gradus percensuisset, ipse animò & vultu ad hilaritatem, ex conscientiæ tranquillitate natam, composito: *qui possit igitur fieri, ut ego non merita beatus prædisere & æternâ hominum memoriâ celebrerè.* Oratio gravis & copiosa extat ap. Xenophontem lib. 8. de Pœdia n. 234. & seqq. Non facile aliud extare illustrius exemplum potest, quò luculenter comprobatur sententia Aristotelis nostri, I. Eth. c. II. *Felicem non tantum vivere ita continuo, sed & secundum rationem vitâ defungi oportere.* Hic est ille Cyrus, qui sedulo in animum demisit vocem devicti à se & jam rogo impositi, Mulciberòq; tradendi Croes, quam à Solone hauserat, *Nominem ante obitum beatus dicendum esse.* Google

. VIII. Jam, dum ab Asia in Europam, à Persis  
 ad Græcos iter flectimus, hic, si quis audacem illū  
 Pelleum juvenem hianti animo expectabit, eum  
 credo magis ad grande Alexandri nomen, quod  
 adspirante, et vota fortuna sibi paravit, advertere  
 mentem, quam ad vitæ morumque integritatem.  
 An tu verò eum virtutis optimæ & perfectissimæ  
 titulò censebis, qui à pueritia latro existit generisq̃  
 vastator, tam hostium perniciēs, quam amicorum  
 qui summum bonum duceret, terrori esse cunctis mor-  
 talibus; ex Senecæ judicio lib. i. de benef. c. 13. Cui  
 ingenuè Scytharum legatus in os dixit: *Tu, qui te  
 gloriaris ad latrones persequendos venire, annuum  
 gentium, quas adisti, latro es,* ap. Curt. l. 7. c. 8. n. 19.  
 Eoquâ fide eum pronunciaveris decorum virtuti-  
 bus, qui cecò luxuriantis adolescentiæ æstu abre-  
 ptus, adeoque in vitâ necdum perfectâ (quam A-  
 ristoteles ad felicitatem requirit) nec solidâ re-  
 rum experienciâ & usu roboratâ ea imprudens est  
 molitus, quibus impotentis gloriæ libidinem ma-  
 gis expleret, quam suorum aut generis humani sa-  
 luti consulere? Quis probitatis laude eum ma-  
 ctaverit, quæ ventosa superbia, dedignatione & ta-  
 edio paterni nominis, habitusque & morum Mace-  
 donicorū corripuit, & stultâ divinitatis opinione  
 fascinavit? Cui ebrietatis & iracundiæ infania,  
 mentis possessione expulso, meritissimorum de se  
 amicorum, qualis erat Clytus, æstimationem eri-  
 puit, & ad necem usque inflammavit; dein, respi-  
 rante ex furore animo, & penitentiâ ægro, ad faci-  
 nus propria cœde expiandum incitavit? Quem  
 luxuria, felicitatis filia, ad furiosæ libidinis adigit,  
 ut, Persarum exempla secutus, inter pellicum Ro-

glarum greges, notium vices divideret: quæ quidem omnia & plura confirmilia monumentis prodiderunt Plutarchus, Curtius, Justinus, alii.

§. IX. Necquicquã verò illam ex virtute ortam felicitatem requires, in patre Alexandri, Philippo; nisi quòd Philippus cautius vitia dissimulare, virtutes callidiùs mentiri poterat; Alexander verò *pater & virtute & vitis major fuerit*, teste Justino lib. 9. c. 8. *¶* Sive etiam in successoribus; non centè in Aridas, fratre Alexandri M. qui, cum mentes tibi non satis constaret, haud injuriã iis accensetur, quos Aristoteles 1. Eth. 10. vocat *πεννημῶνας πρὸς ἀρετὴν, qui sunt mutili & debiles ad virtutẽ consequendam*: Interpres verò ejus *βεβλαμῆεις τὴν ἀρετὴν ἢ πᾶντῃ ἀκωμήτους, quibus integra mens non est, neque adeò disciplinã flecti vel moveri possunt*: non ceteri, seu Macedonię & Græcię, seu Asię minoris, seu Syrię, seu deniq; Ægypti Dynastę, qui plerique omnes regna partim malis artibus acquisiverunt, alii imprudenter & infeliciter administrarunt. Certè haud minùs in istos convenit, quàm quòd quidam Claudii Imperatoris temporibus pronuntiavit: *bonos Principes in uno annulo posse perferri atque depingi.*

§. X. Flectamus igitur oculos ad Athenas *illum alterum Græcię oculum*, uti ab ipsis hostibus suis, Spartanis, nobilis illa urbs appellata est apud Justinum l. 5. c. 8. ni. 4. unde, Ciceronis, pro Flacco, e-logiò, *humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges omne atq; in omnes terras distributa putantur, quorum sam certa in Romanos fides fuit, ut semper & in omnire, quicquid sincerã fide gereretur, id Romani Atticã fieri predicarent, ut est apud Vellejum Pat. l. 2. c. 23.*

§. 10. Ceterum sicut verò olim distinetur Rhodis apud Livium. l. 45. c. 23. *nullos esse civitates, quos non improbas cives aliquando, imperitiam multitudine in semper habeat*: ita mirum non est, Atheniensium famam multorum improbitate fuisse corruptam. Deterferunt tamen illustrissimæ urbis maculas splendidissimarum virtutum gloriâ non solum præsei illi Legumlatores, Draco, Solon, Thales, sed & alii, qui, ejecto Tyrannò Hippia, rei militaris eloquentiæ & legum ferendarum laude excelluerunt, Miltiades, Aristides, Themistocles, Nicias, Alcibiades, Pericles, Cimon, Demosthenes. Hi & similes viri, vitâ innocentissimi, ingeniis florentissimi, propositis sanctissimi, tantis denique adornati virtutibus, quantas, perfectâ & naturâ & industria, mortali conditione recipere potest, effecerunt & vitæ integritate & amplis in patriam meritis, ut Græci ditiores ac copiosiores fierent, ipsi verò harum rerum autores insignem caperent gloriam, duplo majore factâ Græcia, quàm insto fuerat, ut graviter disserit occupatus in exornandis Atheniensium laudibus Isocrates in Panathenaico.

§. XI. Atheniensibus Lacedæmonii ambiguum palmam non tantum primùm fecerunt, sed tandem etiam certam sibi vindicârunt, impositis triginta Tyrannis, & dirâ servitute Atheniensibus pressis. Quam quidem gloriam & felicitatem consecuti sunt disciplinæ severitate, imprimis verò continentia & laborum tolerantia. Summa enim disciplinæ hæc erat: bene obedire, laborem tolerare, & pugnando vincere aut mori. Unde Agesilaus interrogatus, *quamnam ob causam Spartani alii fortiores essent?* respondit: *quia plus quàm alii exercent*

cent se in imperando & obediendo: testis est Plutar-  
 chus in Apophth. Lacon, p. 357. Atq; ad eam quidem  
 felicitatem viam ipsis struxit Lycurgus, latis legi-  
 bus sapientissimis, & gentis indoli, atque ad adipi-  
 scendam gloriam accommodatissimis. *Is enim*  
 (dicam verbis Xenophontis lib. de Lacedaemoni-  
 corum Rep. in princip.) *haudquaquam alias civita-  
 tes imitatus, imò etiam contraria pluribus statuens,*  
*ut patria sua veteris felicitate prestaret, effecit. His*  
*legibus, quam diu obsequium præbuerunt cives, pro-*  
*spera omnia ipsis fluxere, ita ut principatum in Gra-*  
*cia facile tenerent. At ubi legibus paulatim insu-*  
*per habitis ditescendi cupido animos illorum in-*  
*cessit, tum verò socii eorum ab ipsis alienati, po-*  
*tentia immixui, demique ipsi pristinam gloriam ac*  
*libertatem amittere, adeò, ut qui per 500. annos*  
*hostibus formidabiles, existerent, imò etiam à Philip-*  
*ppi Macedonis & Alexandri servitute immensus*  
*sepe prestarent, ita ut nec more ceterarum gentium in*  
*commissu ne concilio venire, nec tributum pendere co-*  
*gerentur, postea majorum meritis non pavatione, ut*  
*antea, sed torrentis modo precipitati, similes aliis red-*  
*diti, pristinam gloriam & libertatem amisissent, adeò,*  
*ut Romanorum imperio sicut & cæteri Greci tandem*  
*parerent, sicut graviter differit Plutarchus in lib. in-*  
*stitutorum Laconicorum sub finem.*

§. XII. Remphanc meritis ingentibus ante ali-  
 os exornavit Agosilaus: & nisi alii complures in  
 hujus laudis partem venissent, vel unus numeros  
 ejus ex asse implevisse censendus est & adæquasse  
 gloriam viri ἀλκιδῶς ἀγαθῆν καὶ πειθαρχίαν ἀντιψό-  
 νησιν verè boni & quadrati absque vituperatione, qui-

1. Eth. c. 11. Prætorquam enim quod verum ditissimum reverentissimus esset, adeo ut delabra etiam in hosticâ sita veneraretur, ab iis vim & injuriam militum prohiberet, quod existimaret, divina auxilia non minus in hostili, quam amico solo imploranda esse: insuper justitiæ acer ac tenax cadtor fuit, adeo ut nemo unquam ab Agesilao se nulla re spoliatum esse quæstus sit, cum multi multa facerentur ab eo se accepisse beneficia: cibi oppidò medicus fuit, adeo ut duplici illâ portione, quam, ut Rex, ex more istius gentis, duplicem in convivis accipiebat, non vesceretur, sed iis hinc inde missis, neutram sibi totam reliquam faceret. Præterea laborum patientissimus fuit, ita ut maximam eorum partem sibi vindicaret, fructus Reip. impusaret: animam & corpus à libidine ita purum tenuit, ut nec formosorum oscula, honoris aliâs gratiâ exhiberi salita, admisit: comitate minâ univium sibi mentes devinxit: quas, & alias egregias dotes notavit Xenophon in ejus vitâ: ut omnium maximè sustinere decus illud possit, quod viro bono assignat aliquot in locis Philosophus, quod sit *συνεταίος καὶ οὐκ ἐπιεικής* *πρὸς πάντας* canon & regula agendorum 3. Eth. c. 6. 9. Eth. c. 4. 10. Eth. c. 5.

§. XIII. Neque verò non dignum tam gloriosâ vitâ exitum est nactus Agesilaus: nam cum longissimam vitæ humanæ metam attigisset, sic è vivis excessit, ut nihil committeret dignum reprehensione, vel in eos, quibus præerat, vel adversus quos bellû gerebat. Ut adeo jure beatus prædicetur, qui, cum statim à puero cupiditate gloriosi nominis incensus esset, sic illud consecutus fuit, ut quisquam e-tatis sue hominum: ut rursus scribit laudatus antea Xenophon. Et sanè Agesilaum prorsus in animum indu-

induxisse, vitam eam felicem non esse dicendam nisi quæ lætâ catastrophe excipiat, vel istud ejus responsum indicat. Nam cum quidam apud eum admiraretur Regis Persarum felicitatem, quod admodum juvenis esset: ne Priamus quidem, inquit, cum hoc esset ætatis, erat infelix: significans neminem appellandum beatum, nisi ad supremum vite diem pervenisset, quod nec Priamo nec Cræso contigit: sicut his ipsis verbis refert ex Platarcho Erasimus lib. i. Apophth.

§. XIV. Nec etiam solo Agefilao Laconica virtus se circumscripsit. Sublatum enim hoc signum secuti sunt conferto agraine cum sexcenti alii, tum ut paucos tantum, velut per saturam collectos, indicem, qui partim civium suorum virtutes predicarunt, partim ipsi patriæ laudum cumulos adjecerunt; Alcámenes, qui cum in re satis lautâ esset, & parcè frugaliterque viveret, interrogatus cur id faceret? respondit: decere eum, qui multa possidet, pro ratione, non pro libidine vivere: Brasidas, cujus probitatem cum Thracas collaudarent, dicerentque non esse apud Lacedæmonios alium illi parentem, mater ejus indignata transferti publicam laudem ad unum suum filium; ignorans, inquit, hospites, quales sint Lacedæmonii. Damidas, qui Lacedæmonis nihil mali expectari posse affirmabat, cum mortem contemnerent. Eudamidas, qui rogatus à quodam, quam ob causam Lacedæmonis, proutquam irent in prælium, Musis immolarent, respondit: ut rebus fortiter gestis, contingat honesta commemoratio: Leonidas, qui cuidam dicenti, excipio regno, nulla nobis præ-

nobis suppeditarent, nisi fortuna eorum amplius  
 compilare religio nobis esset.

§. XV. Reliquum est, ut iudicemus Aristotelicam i. e. copulatam pulchro nexu cum felicitate, virtutem quæramus apud

*Romanos, rerum Dominos, gentemque togatam; Vel Plinii verbis, gentiam in toto orbe & in omni virtute præstantissimos. Enim verò ad constituendum horum imperium concessisse Virtutem & Fortuna videntur, iudicio Flori in Procœmiò historia; cui prorsus eorum Quæ sunt, quæ scribit Plutarchus, lib. de fortuna Romanorum; equidem (quamquam ferè virtus & fortuna inter se pugnare dissidereque solent) de tanti nimirum imperii potentiaque coagmentò, fœdere eas itè conspirasse, ex compositaque cœante humanarum rerum pulcherrimam consummasse, sartamq; adeò & rectam conservasse, non abs re persuasisse mihi videor: Et paullo post, existimo tempus, quod Romanum nactum est oriens imperiù, benignitate Deum fortunam virtutemque commiscuisse, & conjugasse, ut summa & accommodata utriusque vi augustam prorsus beneficamq; sacellam humani generi absolveret, firmamentumq; adeò stabile & sempiternum: elementum, quod aberrantibus fluctibus abundisque humanis rebus anchora instar esset. Nec absimiliter Ammianus Marcellinus: Roma, ut augetetur sublimibus incrementis, fœdere pacis æternæ virtus convenit atque fortuna, quarum, si altera defuisset, ad perfectam non venerat summitatem: quem quidem locum in acceptum tefeto Lipsio, lib. 4. de magn. Rom. c. 1. Sanè viritum percrebuerit gloria, ut Romam dicerent imperii virtutemque omnium Larem; virtutum omnium matrem; virtutum omnium latissimam*



*mundi templum, templum totius mundi, quæ collegit*  
 Fridericus Lindenbrogus ad Ammiani Marcelli-  
 ni L. 16. Cum autem animadverterent Romani, for-  
 tunam tam firmo vinculo sibi devinctam esse, non  
 dubitarunt aris & templis eam venerari, variisque  
 nominibus fortuna publica, primigenia, obsequentis,  
 mascula, equestris, plebeja &c. insignire. Videatur  
 Rosinus lib. 2. ant. Rom. c. 16.

§. XVI. Quod si singula felicitatis ejus exempla a-  
 bimo repetere juvat, primum quis negat, ad Roma-  
 ni genituram, salutem, educationem & auctum, præ-  
 stantissimarum quidem velut fundamenta virtutum  
 jacta, verum à fortuna substructa? Jam Numa secun-  
 dam fortunam planè velut concubernalem habuisse  
 videtur, disceptandisq; in rebus assessoriam imperiisq;  
 adeo sociam: quippe quæ civitatem Romanam in finis-  
 timorè infestissimis odiis voluit turbidissimis aestuariis.  
 undabundoq; mari agitaciam excipiens, intestinis ege  
 in super malis discordiisq; languentem, furores omnes  
 adversos, odiisq; tanquàm flatu restinxit. Ancus Martius  
 Virilis Fortune tèplum extruxit, quod plusculam sibi  
 fortunam ad indispescendam victoriam affuisse, quam  
 fortitudinem, crediderat, sic vocatum, Servius Tullius  
 cum spectata integritatis, & sanctissime viri vita exis-  
 teret, jurisq; civilis custos acerrimus esset, ita secundæ  
 actionis successibus gauderet, ut vulgo predicaret, con-  
 suetudinè sibi cum fortunâ intercedere, quâ per fene-  
 stram quandam delabi ad se in cubiculū agebat, sicut  
 hæc omnia tradit Plutarch. L. de fortunâ Rom. p. 538.

§. XVII. Post ubi ex servitute Tarquinii exau-  
 spicavit se Romana virtus, tum velut recepto  
 novo spiritu exardescere, & succenturiante fortunæ  
 hæc sibi admirationi ac terrori esse cepit, certe

Portena tot tantisque, ut Florus loquitur amat, *Virtutum* territus monstris, valere eos, liberos quo esse iussit. l. c. 10. n. 8. Hinc occurrit ille Dictator ab aratro, triumphalis agricola, L. Quintius, qui *Aquas & Volscos* intra 15 dies, dubium maiore virtute an felicitate vicit, domuit, sub jugum misit: ib. c. 10. n. 12. & 24. Camillus cum Faliscorum urbe citra periculum potiri, solâ perfidia Ludimagistri, pueros sibi adductis, adjutus, posset, recusavit felicitatem, quæ cum virtute & dignitate non esset conjuncta. Quod verò illustrius felicitatis inusitata & divinitus concessæ testimonium esse potest, quàm quod captâ urbe, & Capitolio prædiariorum negligentia hostium direptioni exposito, anser clangore servavit, montem illum, qui solis Romanis de tot terris superesse videbatur. Vegetius hæc considerans, in admirationem abreptus, scribit: *mira fortuna! viros, qui universum orbem missuri erant sub jugum, avis una servavit.* Hinc nullò non adnixi sunt labore, ut tantæ fortunæ pari responderent virtute. Exsertè Florus in descriptione belli cum Tarentinis & Pyrrho gesti, lib. 1. c. 18. §. 16. bello & pace, *fovis & domi, omnem in partem Romana virtus tum se approbavit: nec alia magis quàm Tarentina victoria ostendit populi Romani fortitudinem, Senatûs sapientiam, Ducum magnanimitatem;* Nec verò res angustæ frangere virtutem vel evertere felicitatem, potuere, cum magnitudo virtutis ipsis calamitatibus fuerit approbata bello Punico primò, juxta eundem Historicum lib. 2. c. 2. §. 22. & cum intra ipsa viscera sua hostes Romanis nascerentur, magna nihilominus eminuerit fortuna populi Romani & semper in malis major ejusdem auctoris verbis. l. 3. c. 18. p. 14.

Ita mutuis fortunæ & virtutis auxiliis hostes pertinacissimos domuerunt, imperiumque orbis terrarum non minus prosperè sunt nacti, quàm generosè affectârunt: non aliàs destituyente fortunâ augustos conatus, quàm ubi ipsi virtutem suam deferuerunt. Verùm, ubi pro labore desidia, pro continentia & equitate libido atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus immutata est. (ut Sallustii verbis utar. in Catil. c. 2.)

§. XVIII. Sed nos, exemplorum copiâ obruti, à singulis defleximus. Prodeat ergò porrò Valerius Poplicola, qui cum remp. nuper è servitute Tarquinii respirantem in commodiorem gradum reduxisset, & totius populi amorem atque elogia publica in se convertisset, tandem, postquâ triumphavit, & sequentibus Cōsulibus remp. tradidit, fato functus est, vitamque suam, quatenus assequi valet mortalitas, præter cæteros, omnibus, quæ censentur bona atque beata, consummavit. Ita, quæ sapientissimo Soloni bona pro maximis & pulcherrimis in voto fuerunt, horum Poplicola parandorum & fruendorum perpetuò ad fata usque habuit facultatem, ut pluribus memorat Plutarchus in vitis Parallelis p. 170. Succedat, qui aliis in similem felicitatem succedendi spem abstulit, Metellus Macedonicus, quem, quòd gradibus beneficiorum, à primo originis die, ad ultimum usque fati tempus, nunquâ cessante indulgentiâ, ad summum beatæ vitæ culmen perduxerit fortuna, exquisitis verbis describit Valerius Máximus lib. 7. c. 1. & Vell. Pat. l. 1. c. 11. *nasci eum, inquit ille, in urbe terrarum principe voluit: parentes nobilissimos dedit, adjecit animi rarissimas dotes, & corporis vires ut sufficere*

ere laboribus possent, uxorem pudicitia & fecunditate conspicuam conciliavit: Consulatus decus, imperatoriam potestatem, speciosissimi triumphi prætextam largita est; fecit, ut eodem tempore tres filios Consulares, unum etiam Cæsarium ac triumphalem, & quartum Prætorium videret, utque tres filias nuptum daret, earumque sobolem sinu exciperet. Tot partus, tot incunabula, tot viriles togæ, tam multe nuptiales faces, honorum, imperiorum, omnis denique gratulationis summa abundantia, cum interim nullum fœtus, nullus gemitus, nulla causa tristitiæ. Hunc autem vitæ actum ejus consentaneus finis excepit; nam Q. Metellum ultima senectutis spatio defunctum, lenisq; genere mortis, inter oscula complexusque carissimorum pignorum extinctum, filii & generi, humeris suis per urbem latum, rogo imposuerunt.

§. XIX. Demum, cum imperium ad Cæsares trãtulisset fortuna Octavio Augusto tam prolixum favorem ostendit, ut non modò victoriis ex difficillimis bellis reportatis, dignisque ad eò pulcherri-  
 mis ipsius virtutibus, utpote justitiã, clementiã, mansuetudine, humanitate, modestiã præmiis ipsum mactaret, sed etiam post fata felicitatem ejus, in imperatorum electionibus publicis, acclamantium vocibus celebratam faceret: sis felicior Augusto! melior Trajano! Etsi ut valida Augusto in rēpublicã fortuna ita domi in prospera fuit, ob impudicitiam filie & neptis, ut est apud Tacitum lib. 3. ann. c. 24. § 2. quò accesserunt perpetuæ etiam amicissimorum æmulationes, odia, obtrecciones, vitia, magnis liberisque civitatibus communia: quæ quidem in materiam patientiæ & magnanimitatis vertenda, fortuna ipsi objecerat, utque simul pateret.

nullius tam cōsumatam esse felicitatem, quæ nullis  
 ærummarum confiniis lædatur. Benè Claudianus in  
 laudibus Stiliconis l. i. vers. 25. & seqq.

————— nunquam sincera bonorum  
 Sors ulli concessa viro. Quem vultus honestas,  
 Dedecorant mores. animus quem pulchrior ornat,  
 Corpus destituit. bellis insignior ille,  
 Sed pacem fœdat vitis. hic publica felix,  
 Sed privata minùs: partitim singula quemque  
 Nobilitant.

§. XX. Claudat agmen Romanorum felici o-  
 mine Constantinus M. qui, cum relicta cœcâ illa & fi-  
 ctitiâ fortunâ, à majoribus suis in tubiculis & larariis  
 culta, procul etiam habitâ arbitrariorum Deorum  
 multitudines, ad veri & triumvis Dei cultum transisset,  
 tantis hic enim terrenis muneribus implevit, quantâ  
 optare nullus adderet, cui etiam condere civitatem Ro-  
 mano imperio sociam, velut ipsius Romæ filiam, sed sine  
 aliquo Demonum templo simulacroque concessit. Diu  
 imperavit, universum orbem Romanum unus Augu-  
 stus tenuit & defendit: in administrandis & gerendis  
 bellis victoriosissimus fuit: in tyrannis opprimendis per  
 omnia prosperatus est. Grandævus ægritudine & sen-  
 tate defunctus est. filios imperantes reliquit. His verbis  
 seriem felicitatis ejus persequitur Augustinus lib:  
 5. de Civit. D. c. 25.

§. XXI. Atqui rara hæc, dices, felicium exem-  
 pla esse, præsertim si contendantur cum copioso  
 numero, partim eximiam istam dignitatem non at-  
 tingentium; partim ad eam ne adspirantium qui-  
 dem; præcipue si consideretur, quantum manipulus  
 felicium à turba improborum & civiliter misero-

joris dignationis & excellentiæ existit, quoq; difficilius acquisitu est summum bonum civile, cò pauciores sint, qui illius saltem minimam partem affequantur.

§. XXII. Neque etiam aliò fine adducta sunt ista felicitatis exépla, quàm ut pateret, universam quidem ejus imaginem collectivè seu conjunctim & in omnib9 viris bonis eminere, in singulis verò nò nisi vestigia alia alibi extantiora aut depressiora apparere. Et sicut laudem probitatis meretur omnis Integer vitæ scelerisque purus, etiamsi nec Aristidis justitiam, nec Catonis severitatem, nec candorem Epaminondæ, nec alias heroicas virtutes exæquet: ita non tantùm ille felix est censendus, qui, cum Polycrate Samio, fortunam sibi ad vota fingit, vel, qui ex sententiâ Thaletis, apud Laërtium, corpore sanus, fortunâ locuples, animò nec improbus nec imperitus est, aut Horatii verbis lib. 1. ep. 4. vers. 9.

*Qui sapere & fari possit, quæ sentiat, & cui  
Gratia, fama, valetudo contingit abundè,  
Et mundus victus, non deficiente crumena.*

(Qui quidem ordo votorum popularibus cantilenis celebratus fuisse fertur teste Platone in Gorgia. Videatur Erasmi. Chil. 3. cent. 1. ad. 90.) Verùm is etiam sic satis felicem putare se potest,

*\_\_\_\_\_ cui paternum  
Splendet in mensâ tenui salinum:*

*Nec leves somnos timor aut cupido*

*Sordidus auferit. Hor. lib. 2. od. 16. vers. 13.*

§. XXIII. Omnes vero felicitatis numeros rotundè complexi videtur Martialis lib. 10. epigr. 47.

*Visam, quæ faciunt beatorem,*

*Jucundissime Martialis, hæc sunt:*

*Res non parca labore, sed relictæ;  
 Non ingratus ager; focus perennis;  
 Lis nunquam; toga rara; mens quieta;  
 Vires ingenue; salubre corpus;  
 Prudens simplicitas; pares amici;  
 Convictus facilis; sine arte mensa;  
 Nox non ebria, sed soluta curis;  
 Non tristis torus, & tamen pudicus;  
 Somnus, qui faciat breves tenebras;  
 Quod sis, esse velis, nihilq; malis;  
 Summum nec metuas diem, nec optes.*

Videtur hoc esse dolium bonorum, quod ante Jovis limen, simul cum altero malorum doliō, jacere fingit Homerus II: & sic tamen, ut ex neutro merum, sed ex utroque mistum hominibus haustum propinare soleat.

## APHORISMUS II.

Ad felicitatem civilem multum momenti affert tūm patriæ tūm præcipuè majorum dignitas.

### §. I.

Ὅν πάντων εὐδαιμονικὸς ὁ δυσγενής: non potest valde felix ille dici, qui obscuro est genere natus, inquit Aristoteles I. Eth. c. 9. Est autem nobilitas duplex, publica una, altera privata; illa ex natalis soli dignitate, hæc ex familiæ & majorum eximia virtute & splendore ortum habet; illam εὐγένειαν ἔθνεϊ καὶ πόλει, hanc εὐγένειαν ἰδίαν vocat Aristoteles I. Rhet. c. 5. §. 10. & seq. ac priorem quidē in eo constitutam indicat, si civis ex eo ipso solo progeniti sint aut antiq;

Et si primi ejus conditores ac Duces illustres fuerint, & si multi ex iis propagati sint illustres iis rebus, quibus hominum studia commoventur. Posteriores autem spectari docet & ex maribus & ex fœminis; & ex eo, ut quis utrâq; stirpe ex civibus legitime prognatus sit, & tanquam in urbe; ut generis principes nobiles fuerint, aut propter virtutem, aut propter divitias, aliunde quid eorum, quæ in honore habentur, & multi ex eorum genere illustres viri, tum fœmine, tum juvenes, tum mares quoque natu grandiores.

§. II. Utraque dignitas acres habet stimulos excitandi animos haud degeneres ad intendendum & augendum splendorem, quem felici nascendi conditione à suis acceperunt: Præterea & opinionem virtutis ingenerat iis, quibus persuasum est, ingenia hominum, cultiore loco nata ortare, robur ac vires trahere à natali solo & probis parentibus. Nam experimentis probatum est illud Aristotelis 3. Pol. c. 8. οὐδὲ βέλλυσεν ἑαυτὸς ἐκ βαλθιόνων: verisimile est præstantiores ac meliores esse eos, qui ex melioribus.

§. III. De Patriæ claritate notum est illud Simonidis Lyrici apud Ammianum Marcellinum l. XIV. vel si credimus Plutarcho in vitâ Demosthenis, Euripidis: beatè perfectæque ratione victuro esse alia patriam convenit esse gloriosam. Hanc sententiâ illustrare potest Apophthegma Iphicratis Atheniensium Ducis: is, cum interrogaretur, utrum plura matrem, quam patrem faceret? matrem respondit: ac cæteris admirantibus, merito, inquit, hoc facio; nam pater, quantum in se fuit, Thracem potius, quam Atheniensem ideo genuit, quia in barbaros decessit; mater



~~non ex suo sanguine Thracum~~ sed ex Atheniensis viri complexu Atheniensem gignere studebat, sicut quidem Cornelii Nep. ista in vitâ Iphicr. c. 3. n. 4. narrantis verba interpretatur Bœclerus.

§. IV. Quoniam autem privata bona eò majori pretio æstimantur, quò minus sunt communia; Athenæ enim sive Roma cum multis communis est; at generosis parentibus natum esse, cum paucioribus est commune; idcirco magis ad gloriæ & felicitatis incrementa faciunt clari generis semina, quæ occultis tractibus à priscis proavis repetita, seros etiam in nepotes radices agunt, quàm patria antiquæ famæ splendore corusca. Præterquam enim, quòd mores animi ut plurimum ad temperamenta corporis inflectantur; temperamenta autem ipsa, simul cum sanguine & moribus, instillari liberis soleant, gaudent etiam hæc meliori præ aliis terræ filiiis forte, quòd nascantur in laribus, avitarum imaginum decore fulgentibus, & imitationis ardorem generosiores excitantibus; præterea minorem invidiæ molem, conatibus suis objiciendam, metuere debeant.

§. V. Hinc de Fibiario refert Tacitus lib. 4. ann. cap. 6. §. 3. quod mandaverit honores, nobilitatem majorum, claritudinem militiæ, illustres domus artes spectando, & Agrippa apud Dionem Cassium lib. 52. autor est Augusto, ut magistratibus eos præficiat, qui animos magnos & ad imperandum idoneos afferre possint, quòd non facile expectari possit ab hominibus, per vilem sortem humi depressis. Plinius etiam, in Trajani sui encomiis occupatus, non exiguam laudis partem in eo collocat, quòd nobilium liberos

ad dignitates evexerit. Verba sunt ista cap. 5. §. 3. illos ingenium virorum nepotes, illos posteros libertatis nec terret Caesar, nec pavet. Quinimo festinatis honoribus amplissime atq; auget, & majoribus suis reddit; si quid inquam stirpis antiquae, si quid residuae claritatis, hoc amplectatur & resovet & in usum Reip. promit, protrahit. Quin & de Germanis Tacitus cap. 7. n. 1. memoriae prodidit, quod Reges suos ex Nobilitate. Duces ex virtute sumserint. Quidem autor paulo post refert, quod insignis nobilitas, aut magna patrum merita, Principis dignationem etiam adolescentulis assignent. Omnes hi convenienter vixerunt Aristotelico illi 4. Eth. c. 8. οἱ ευγενεῖς ἀξίως τε καὶ λιμῆς ἐν τῷ εὐχρηστῷ γὰρ: nobiles digni censentur honore, excellentes enim sunt.

### APHORISMUS III.

Sanitas vel maximè ad civilis felicitatis integritatem est necessaria.

§. I.

**Λ**ῖνον ὑγιαίνειν: res optima est bene valere juxta Epigramma Deliacum apud Aristotelem 1. Eth. c. 9. Est enim sanitas causa efficiens duorum, quae apud plerosque maximo in pretio sunt, voluptatis & vite, ut dicitur 1. Rhet. c. 6. §. 18. Certè in circuitis & conventiculis hominum laudatur illud Horatii lib. 1. ep. 12. vers. 5.

*Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil Divitiæ peterunt Regales addere majus.* **Hinc**

Hinc prudentissimi quique leges atates conjugia initorum iis legibus finiunt, ne debiles aut distortos liberos reip. inferant: Quae de re videri potest disputatio Aristotelis 7. Pol. c. 16. & 17. Conferatur & libellus Plutarchi de tuenda valetudine. Apud Lacedaemonios appetitum tollendi partus non erat penes parentem, sed portabat eum in locum, *E S C H E N* nomine, ubi tribulium natu maximi confidentes, infantem spectabant. Qui si membris compactis & robustis esset, tolli jubebant eum, forteque ei ex novem millibus assignabant; debilem & distortum amandabant in locum voraginosum, propter *Taygetum*, quas *Apothetas* nuncupabant: quasi nec illi ipsi, nec civitati, qui non esset a primordio ad bonum habitum neque ad robur comparatus, expediret vivere: sicut memorat Plutarchus in *Lycurgo* pag. 80. Sanitatis rationem diligenter habuisse *Aegyptios* refert *Herodotus* lib. 2, singulis quippe mensibus triduo se purgare vomendo atque intestina diluendo: *Constantianes*, omnes languores hominibus oriri a cibis, quibus aluntur. *Catonem* & *Ciceronem* firmam corporis constitutionem consecutos esse ex sobrio victu & moderatis exercitationibus, testatur in vitis eorundem *Plutarchus*. *Carolus Magnus* prosperam valetudinem venationibus & exercitiis equestribus aluit, & perduxit usque ad annum septuagesimum; testibus *Eginhardo* & *Cuspiniano* in vita: nec non *Crantzio* lib. 2, rerum *Saxon.* c. 8. *Albertus Imperator* rogatus, quid demum in rerum natura sibi carissimum haberet? sanitatem, respondit: tam enim pre-

quæ hunc, patiamur nobis eripi. Drex. Tom. 3.  
operum p. 906.

## APHORISMUS IV.

Athletarum habitus nec ad boni corporis constitutionem, civili societati convenientem, nec ad bonam valetudinē, nec ad procreationem liberorum utilis est: neque is, qui remediis & curationibus eget, quiq; valde laboribus & morbis exercitus est; sed qui inter hos interjectus est.

§. I.

**I**ta docet rursus Aristoteles 7. Pol. c. 16. ad quem locum commentatus Piccartus *robur medium requiri*, ait, *quod Medici vocant Elementare*; quando nimirum corpora sunt robusta mediocri labore & exercitatione: in quem sensum etiam adducit Socratem apud Platonem 3. de Legibus; qui & ipse dicit

*Athle-*

*Aphlesianam corporis curam & Phalagium inuenerunt & zivam non negant utis ut dicitur pollinatis, inuident & partem valetudini & ad actiones civiles ineptiam. Ad talem iustitiam corporum parandam multum referre, ibidem Aristoteles docet, si conjugium inuenerit nec etate puerilis & ad maturitatem nondum plane perducta, nec etiam senilis, & calore, ad generandum necessario, casta liberis operam dent. Experientiam testem ad hanc rem adducens, quod, in quibusdam civitatibus confuendo sit, adolefcemes puellasque conjugari, in iisdem inutilia ac pusilla corpora existant. Contra priscos Germanos robora corporum suorum traxisse ex conjugis, etate valida susceptis, his omnino verbis Facitus prodit in Germania c. 20. §. 4. Sera juvenum Venus, eoque inexhausta pubertatis nec virgines festinantur: eadem juvenia, similes proceritas, pares validique miscentur, ac robora parentum liberi referunt.*

§. II. Ex hac gente ortum duxit famigerabilis ille Rolandus filius Berthæ Caroli M. sororis, qui cum viribus corporis alius sui avi antistaret, rebus præterea præclare gestis, ac præsertim interempto Mansirio, Saracenicis exercitibus Duce, elogiis & cantilenis militaribus amplam materiam præberet, infinitis postea, fabulis iniuriam dedit, ut loquitur Papius Mafonius lib. 2, Annal. Francicorum. Neque insuper habendum videtur testimonium Philippi Camera-rii qui cent. I. horarum sub c. 82. a viris fide dignis non semel se audivisse, commemorat Franciscum I. Galliarum Regem, monumentum ejus, cupiditate cognoscendi, an vera essent, que de illo spargerentur, aperiri jussisse, ossaque ejus una cum arca putrida verum

penitentiam, & armis licet erugine obducta, integra tamen reperta fuisse, hac Regē induisse, que ita suis artibus convenientia fuerint, ut manifesta apparuerit, Rolandum Regem Francorum non tantum statura corporis superasse. Notum autem esse, ait idem Camerarius, hunc Regem licet procerus fuerit, tamen virilenti staturam non admodum excessisse.

§. III. Referremus huc Georgium Castriottam, Joanderbegum Turcis dictum, qui insigni robore corporis nixus, in aliquot duellis victor evasit; nisi meminissemus, athleticum robur ipsi tribui ab eo, qui vitam illius descripsit, Georgius Bartholdus Pontanus. Non præteribimus hic Caroli V. Ducem militiæ summum, Georgium Fransbergium Baronem, qui & ipse, quod multa bellicæ laudis decora domum retulerit, magnam partem naturali vitium integritati & robori debuit, sicut ex Paulo Jovio & aliis constat.

## APHORISMUS V.

Pulchritudo corporis, eaque saltem mediocris, cum felicitate civili conjuncta esse debet.

§. I.

Rursum Aristoteles 1. Eth. c. 9. ὁ πᾶν ἰουδαίον  
 νικῶς ὁ τῆς ἰδέας πανέχνης: non est valde beatus, qui  
 insigniter deformis est. Tametsi enim qui deforme  
 naturæ sunt, immerito reprehendantur ex 3. Eth. c. 7

Soleat tamen homines, naturali quodam fastidio,  
iis detrahere opinionem bonæ mentis & virtutis,  
in quibus earundem vestigia non extrinsecus sunt  
expressa, juxta illud epigramma lib. 2. A. Sol. Epigr.

138.

Χωλόν ἔχει τὸν νῦν, οἷς ἴσιν πίδακας, καὶ γὰρ ἀληθῶς  
εἰκόνα τῶν ἐντὸς αἰφύρας εὐσεύς ἔχει.

Quod sic reddere placet:

*Claudicat ingenium, claudi pedis instar, ini-*  
*Sic se naturæ prodis imago foris. (quævis)*

Hinc Aristoteles dixisse fertur, *cavendos, quos*  
*natura notavit.* Id quod ego aliquando, tempo-  
ris tædia discutens, huic disticho inclusi:

*Quem natura notis voluit distinguere vultus,*  
*Huic animi ne vos sepè subesse puta.*

§. II. Contrà, quantam ad percellendos homi-  
num animos efficaciam obtineat vultus gravitas &  
venustas, exemplis haud raris constat. De Sci-  
pione Livius lib: 28. cap. 35. *Præterquam quod sua-*  
*pte natura multa majestas inerat, adornabat promissa*  
*cesaries habitusq; corporis, non cultus munditiis, sed*  
*virilis ac verè militaris, & ætas in medio virium ro-*  
*bore, quod plenius nitidiusq; ex morbo velut revocatus*  
*flos juventa faciebat.* De Corbulone Tacitus 13.  
Ann. c. 8. §. 4. *Corbulo omnium ora in se vertit, cor-*  
*porè ingens, verbis magnificus, & super experientiam*  
*sapientiamq; etiã specie inaniam validus.* Apud  
eundem lib. 2. Ann. cap. 4. n. 1. *Julius Cæsar Ario-*  
*barzanem Medum, ob insignem corporis formam, &*  
*præclarum animum, volentibus Armeniis præfecit.*  
Non revetemus hîc. nuz haud narcâ manu congest-

fit exempla Val. Maximus l. 2. c. 10. Prodeat potius in theatrum Augustus, de quo scribit Suetonius cap. 79. quod fuerit forma eximia & per omnes aetatis gradus venustissima vultu vel in sermone, vel tacitus, adeo tranquillo serenoque, ut quidam e primoribus Galliarum confessus sit inser suos, e se inhiberetur ac remollitum, quod minus, ut destinaret, in transitu Alpium, per simulationem colloqui propius admissus, in precipitium propperet. Oculos (pergit Suetonius) habuit claros nitidos, quibus etiam existimari volebat inesse quiddam divini vigoris.

§. III. Haec vultus gravitas e nostratibus commendavit imprimis Maximilianum I. Imperatorem, de quo Cuspinianus in vita: fuit humanissimus Princeps, in quo Caesarea Majestas resplenduit. Nemo non hunc Imperatorem esse, etiam externus, inter 30. maximos principes, antea non visum, agnovit. Tanta erat oris probitas. Quin adeo fixa erat vultu ista majestatis gratia, ut nec durissimis calamitatibus expugnari posset. Ostendemus hoc verbis Heuteri Delfii, uti quidem eorum copiam nobis facit Philippus Camerarius cent. 2. operarum subc. c. 6. Cum a Burgensibus captivus detineretur, & indignis modis tractaretur, in hac rerum adversitate, solitudine & summo vite periculo, nunquam tamen ab animi magnitudine discessit, nec quicquam se indignum fecit, nec locutus est. Horrebant ejus vultum hostes insensissimae, reverebatur presentem populus seditiosus, eaque de causa hostes artissime conclusum, ad populi conspectum raro admittebant. Emergebat enim ex ejus vultu ac oculis majestas magno Principe digna, rebellium conscientiam non solum commovens ac concutiens,

ineras



*intra gratias debitam auctoritatem vel restituaris extorquens. universa adeo corporis lineamenta Imperatoriam Regalemq; dignitatem referebant, habitus, incessus decens, motus temperatus, verba pondus habentia, affectus hominum quolibet trahebant. Similia alia videri possunt apud Camerarium l. c. & Cent. 3. c. 41. cui jungatur Freinshemius ad Curtii lib. 6. c. 5. n. 29. & Rupertus ad Flori lib. 2. c. 14. n. 3.*

9: IV. His unicum placet superaddere exemplum Caroli Humerii, qui Francisci Aureliani, sancti S. Pauli comitis, & Campaniæ Præsidis legatus ac provinciæ primarius Regulus fuit: de quo Thuanus refert, lib. 112. quòd *in eo tam jucunda oris species, & in vultu dignitas ac morum suavitas cum rara ingenii elegantia conjuncta fuerit, ut non solum decus & auctoritatem sibi conciliaret, sed omnes in sui amorem raperet.*

## APHORISMUS VI.

Divitiæ, si magnæ & multæ sint, beatiorem vitam reddunt: Sunt enim ad augendum ornatum idoneæ & usus ipsarum pulcher honestusque est.

S. I.

Ita judicat Aristoteles 1. Eth. c. 11. & suffragatur Demosthenes Olynthiacâ 1. *ἡ τῶν χρημάτων καὶ αἰσῶ*



*Philosophiam, quæ docet, opes, si quis, aut à parentibus  
acceperit, aut industriâ suâ quaesiverit, aut aliâ quâ  
piam honestâ ratione ad eas pervenerit, non assernan-  
das, aut rejiciendas esse, sed ita habendas, ut virtutis, non  
ut luxuriæ administras: quæ quidem verba sunt:  
Antonii Mureti or. 7. p. 77.*

## APHORISMUS VII.

**Multa geruntur feliciter ad-  
miniculo honoris & civi-  
lis potentia.**

### §. I.

**[**Ta interpretatur vetus Paraphraustes verba Aristo-  
telis, quæ habentur i. Eth. c. 9. Et sanè bona existi-  
natio, atq; opinio virtuti, magnam habet vim, ad  
percellendos & in nostrum amorem convertendos  
hominum animos, ac inprimis hîc considerari  
dignum videtur, quod scribit Aristoteles i. Rhet.  
c. 5. *honorem esse signum, quod is, cui habetur honor be-  
nificus habeatur: honore autem affici jure quidem  
vel maxime, qui jam beneficium dederunt: sed tamè  
um quoque honorari, qui possit benefacere: benefi-  
cis autem ad salutem pertinere, eaque omnia, quibus  
it, ut simus; aut ad divitias, aut ad aliud aliquod bo-  
num eorum, quæ paratu facilia non sunt, aut o-  
mnino, aut eo loco, aut eo tempore.*

**§. II.** Fundamentum igitur honoris esse virtu-  
tem hinc colligimus, & virtutem potissimum eam,  
quâ qui plurimis inserviunt, eorumque augendis

omnibus operam præstant, Deum imitari, adeo-  
que divino aliquò honore digni videntur.

§ III. Neque verò id prætermittendum hîc vi-  
detur, habere id peculiare, præ aliis felicitatis ad-  
juvantis, honorem, ut non tantùm sit fructus feli-  
citalis consequens, verùm etiam instrumentum or-  
nandi amplificandique civilem societatem. Nam &  
*ad virtutes actiones calcar addit, & eas, cum suis sti-  
mulis univas, longè cumulatior (ut umbra corpus)*  
*consequitur: & rursus ad nova virtutum exempla  
incitat, plane ut frumentò, non nisi in terram sparsò,  
nascuntur fruges, sed sata cum fœnore terra reddit,  
ex quibus uberrimè suppetit, unde rursus terra con-  
feratur, & sic in circulum: quæ sunt alicubi verba  
Viri summi, Hermannii Conringii, Præceptoris mei  
cum observantiâ colendi, disp. de Majest. Imper-  
rarium.*

§ IV. Sed ut, instituti nostri memores, exem-  
plorum dulcedine præceptorum severitatem tem-  
peremus, offerunt se optimæ disciplinæ magistri,  
Spartani, qui liberos suos, mox à primâ etate, duci cu-  
piant gloriâ, ut infamiis ingemiscerent, & exulta-  
rent laudibus: quem non tangerent ea, neque commo-  
verent, ab omnibus is despiciebatur, ut degener ad  
virtutem, & ignavus; quod Plutarchus in Lysandro  
memoriæ prodidit. Prorsus talem voto sibi fir-  
git Quintilianus lib. 1. cap. 3: *mihî, inquit, detur  
puer, quem laus excitet, quem gloria juvet, qui victis  
foat. Hic erit alendus ambitu, hunc mordebit objur-*

*io, hunc honor excitabit, in hoc desidiâ nânquan*

Quid enim aliud è cœno improbitatis &  
vulgarium voluptatû extraxit Themistoclem

quân

quam obversatum subinde gloriosum Miltiadis tropzum? ut constat ex Plutarcho & Cornelio Nepote.

§. V. Jam si circumspiciamus eos, qui rerum præclare gestarum cumulo, & hinc secuta gloria, animos hominum ad obsequium flexerunt, occurrit ex Imperatoribus Romanis Ailius Pertinax, qui humanitate & mansuetudine eam sibi famam comparavit, ut nationes omnes atque exercitus, subiecti Romanis, aut amici, ad deferendos ei divinos honores incitarentur: quin barbari quoque, si qui aut frenos depulissent, aut seditiones moliremur, metu virtutis, quam præstitisse superioribus bellis meminissent, justitiæque fide, cum neminem scirent ab illò ultrò offendi, sed gratiam cuique pro meritis referri, vimque abesse & crudelitatem, sponte illi se dederent; Legationes prætereà undique confluerent, gratulatum populo Romanos quòd Pertinacis imperio gubernarentur. Refert hæc omnia Herodianus lib. 2. cap. 4. Haud minorem existimationem sibi paravit Antoninus Pius Imperator, de quo Christophorus Heidmannus in Compendio Historico lib. 4. pag. 162. ex Capitolino & Dione scribit, tantum eum auctoritate valuisse, ut à sola tantum imperium, per tres & 20. annos gubernarit; adeo tremantibus eum atq; amantibus cunctis Regibus, nationibusque & populis, ut parentem seu patronum magis quam Dominum atque Imperatorem reputarent: omnesque unò ore in morem cælestium, propitium optantes, de controversiis inter se judicem scerent.

commodis operam præstant, Deum imitari, adeoque divino aliquò honore digni videntur.

§. III. Neque verò id prætermittendum hîc videtur, habere id peculiare, præ aliis felicitatis adjumentis, honorem, ut non tantum sit fructus felicitatis consequens, verum etiam instrumentum ornandi amplificandique civilem societatem. Nam & ad virtutis actiones calcar addit, & eas, cum suis stimulis adjuvat, longè cumulatior (ut umbra corpus) consequitur: & rursus ad nova virtutum exempla incitat, planè ut frumentò, non nisi in terram sparsò, nascuntur fruges, sed sata cum fœnore terra reddit, ex quibus uberrimè suppetit, unde rursus terra confertur, & sic in circulum: quæ sunt alicubi verba Viri summi, Hermannii Conringii, Præceptoris mei cum observantiâ colendi, disp. de Majest. Imperantium.

§. IV. Sed ut, instituti nostri memores, exemplorum dulcedine præceptorum severitatem temperemus, offerunt se optimæ disciplinæ magistri Spartani, qui liberos suos, mox à primâ etate, duci cupiebant gloriâ, ut infamiis ingemiscerent, & exultarent laudibus: quem non tangerent ea, neque commoverent, ab omnibus is despiciebatur, ut degener a virtutem, & ignavus; quod Plutarchus in Lyfandro memoriæ prodidit. Prorsus talem voto sibi fingit Quintilianus lib. 1. cap. 3: mihi, inquit, detur puer, quem laus excitet, quem gloria juvet, qui victus fleat. Hic erit alendus ambitu, hunc mordebit objurgatio, hunc honor excitabit, in hoc desidiâ nuncquam verebor. Quid enim aliud è cœno improbitatis & turpissimarum voluptatû extraxit Themistoclem

quam obversatum subinde gloriosum Miltiadis tropaeum? ut constat ex Plutarcho & Cornelio Nepote:

§. V. Jam si circumspiciamus eos, qui rerum praeclare gestarum cumulo, & hinc secuta gloria, animos hominum ad obsequium flexerunt, occurrit ex Imperatoribus Romanis Aelius Pertinax, qui humanitate & mansuetudine eam sibi famam comparavit, ut nationes omnes atque exercitus, subjecti Romaniae, aut amici, ad deferendos ei divinos honores incitarentur: quin barbari quoque, si qui aut fraenos depulissent, aut seditiones molirentur, metu virtutis, quam prestisse superioribus bellis meminissent, justitiaeque fides, cum neminem scirent ab illo ultero offendi, sed gratiam cuique pro meritis referri, vimque abesse & crudelitatem, sponte illi se dederent; Legationes praeterea undique confluerent, gratulatum populo Romano, quod Pertinacis imperio gubernarentur. Refert haec omnia Herodianus lib. 2. cap. 4. Haud minorem existimationem sibi paravit Antoninus Pius Imperator, de quo Christophorus Heidmannus in Compendio Historico lib. 4. pag. 162. ex Capitolino & Dione scribit, tantum eum auctoritate valuisse, ut eâ sola tantum imperium, per tres & 20. annos gubernavit; adeo trementibus eum atque, amantibus cunctis Regibus, nationibusque & populis, ut parentem seu patronum magis, quam Dominum atque Imperatorem representarent: omnesque uno ore in morem caelestium propitium optantes, de controuersis inter se iudicem docerent.

## APHORISMUS VII.

Felix & illustre conjugium præcipua est pars felicitatis humanæ: sæpè etiam ad res præclare gerendas haud exiguum affert adjuvmentum.

### §. I

**I**ta statuit ex Homero (odyssæa 2.) Aristoteles. *Decon. c. ult. Nihil evenire hominibus posse melius, neque præstabilius, quam concordiam inter uxorem & virum, & consentientem voluntatem in domesticâ consuetudine; additq; Philosophus hoc loco, mutuâ conjugum benevolentiam à Poëta laudari, non in turpitudinis quidem illam obsequio, sed animorum vinculis, & prudente ac piâ conjunctione.*

§. II. *Quin non jucunditas tantum, verum etiam utilitas cum conjugio conjuncta esse solet, juxta eundem Aristotelem l. 8. Eth. c. 14. Quod nos interpretamur non tantum de mutuo præstitis conjugum officiis, verum etiam de dignitate & gloriâ, quæ sæpè matrimonio conciliatur, nec non de familiæ viribus, quas affines & cognati ad opes & honores acquirendos commodare solent. Inculcari hoc ipsum divinus Legislator populo suo charissimo, per Mosen, paulò post è vitâ migraturum, iussit, sanciendo, ne ancillas ducant ingenni, ne ada-*



*matas quidam. Decere enim cupiditatibus impe-  
rare, & ad retinendam dignitatem id magnopere con-  
dicere. Josephus l. 4. Antiquit. Jud. c. 8.*

§. III. Quomodo per matrimonia splendida ho-  
mines sibi aditum ad felicitatem civilem patefaci-  
ant, sequentia exempla indicant. Servius Tullius  
cum matre servâ natus esset, natalium sordes ab-  
sterfit, ductâ in matrimonium filia Regis Tarquinii,  
teste Livio lib. I. cap. 39. Darius, hinnitu equi ad re-  
gnum proventus, Regis filiam in matrimonium recep-  
pit, Regalibus nuptiis Regnum firmaturus, ut non tam  
inextraneum translatum, quam in familiam Cyri  
reversum videretur, Just. l. I. c. 10. n. 14. Perdicas,  
ut viribus auctoritatem regiam acquireret, ad nuptias  
Cleopatrae, sororis Alexandri Magni, & alterius Alex-  
andri quondam uxoris, non asperrante Olympiade  
matre ejus, intendit: apud eundem Just. l. 13. c. 6. n.  
4. C. Julio Agricola splendidi matrimonii ad  
majora nitenti decus ac robur fuisse, indicat Tacitus  
in vitâ c. 6. Atque ob hoc matrimoniorum robur  
in Anglia est institutum, ne, qui sunt majoris nobi-  
litas, possint uxorem ducere absque consensu Re-  
gis, teste Boxhornio in notis ad instit. Pol. l. 2. c. 4. §.  
11. Videantur familia apud Piccartum decade 7. obs.  
c. 5. Contrâ, quam illi partim existimationi jam  
acquisitæ derogaverint, partim viam sibi, ad ampli-  
us gloriæ astruendum decus, præcluserint, qui, cum  
essent illustri loco nati, è splendidis familiis enup-  
sissent (ut Livii voce utar, lib. 10. c. 23. §. 3.) aliquot  
exempla adducit Bernegg. quæst. in Germ. Tac. 177.

## APHORISMUS IX.

Felicitati ornamentum adfert copia bene educatorum liberorum.

§. I.

Qui orbatifunt *ἰντεχνία*, bonâ prole, inquinantefelicitatem; nec enim felicitatis admodum compos est *μονώτης καὶ ἄτεχνος*, solitarius & prole carens; adhuc autem fortasse minus, si cui filii nequissimi essent, aut, qui boni fuerunt, mortui sint, scribit Aristoteles I. Eth. c. 9. item I. Rhet. c. 5. in Felicitatis parte non postremâ ponit *ἰντεχνίαν καὶ πολυτεχνίαν*, & 8. Eth. c. 14. docet firmiorem & jucundiorém animorum conjunctionem in eo conjugio esse, quod liberorum nexu fortuminatur: *vinculum conjugum*, ait, esse filii videntur: unde citius, qui liberis carent, dissolvi consueverunt; filii namq; commune bonum sunt ambobus: continet autem, quicquid commune est.

§. II. Hâc in re propitiâ, uti in plerisque aliis, quæ prima mortales putant, fortunam expertus est Metellus Macedonicus; is enim cum sex liberos haberet, eodem tempore tres filios consulares, unumq; etiam Censoriam ac triumphalem, & quartum prætorium vidit, tres filias nuptum dedit, earumq; sobolem sine suo excepit, ut refert Valerius Maximus I. 7. c. 1.

§. III. Huic simile ad istum locum adducit exemplum clarissimus Rupertus, ex Pighio, Nicolai Perenotti: cui contigit, post magnos fortunæ successus, quinque filiorum letos videre virtutum ho-

norum-

norumque progressus : unum ex his in summa re-  
rum administratione successorem apud potentissi-  
mum Imperatorem, Carolum V. ejusque filium,  
maximum, relinquere, plures illustribus familiis  
filias per matrimonium inserere, earum quoque  
sobolem cernere & amplecti. Nec minus felix e-  
xitus tam secundum vitæ cursum excepit : datum  
namque ei extremas curas, licet peregrè, in sinu ta-  
men amantiſſimæ uxoris liberorumque deponere :  
atque inter manus & suspiria charissimorum pi-  
gnorum reddere spiritum, finireque vitam in am-  
plissimo contubernio ac ministerio domûs Augu-  
stæ : hujus item præclaras exequias pompamque  
funebrem Electores atque imperii Principes, iique  
maximi, qui tùm erant Augustæ, suâ præsentia ho-  
norârunt.

§. IV. De Sciluro, Scytharum Rege, notum est,  
quòd LXXX. filios, jam morti vicinus, traditò dense  
colligato missilium fasciculo, ad concordiam hor-  
tatus sit. Plutarchus lib. de Garrulit. p. 130. Oppidò  
verò jucundum est, quòd refert Aventinus lib. 5.  
Annal. Bojorum p. 313. de Babone Abusinæ ( von A-  
bensperg ) & Roræ Dynasta, filio Babonis Schiro-  
rum Principis, qui ex duabus legitimis uxoribus 30.  
filios, vel, ut alii volunt, duos & triginta, atque 8 fili-  
as tulit, educavit, totque simul liberos vivos supersti-  
tes reliquit. Hunc cum Imperator Henricus II. co-  
gnomine Sanctus, secum venatum, more Germanis re-  
cepto, proficisci jussisset, Babo sperans, se tempus oppor-  
tunum natum, quo tantam sobolem Principi maximo  
commendaret : juvenes jam puberes, scitos admodum  
& elegantes, sicut quoque & arte ornat, unicuique co-

mitem addit, cum tali prolis globo venatum procedere ad Imperatorem. Ille visâ tantâ multitudine, Babonem accersit, sciscitaturque, cur nam, cum paucis advenire iussus, tot equites adduxisset? Babo respondet: cum uno equidem duntaxat famulo, sanctissimo Caesar, preesto sum. Qui igitur alii sunt? inquit Augustus, Babo suscipit, Etui, inquit, Principum optime, famuli, filii mei, quos tue Majestati exhibeo, committo, quod bonum, faustum felixque fiet, talem electorum juvenum & fratrum cohortem, in pace decus, in bello presidium, dono do, ut ingeniam decet sobolem, maximâ curâ tibi educavi; adolescentes solertes sunt, spero te dignos & utiles Resp. fore. Gratissimum munus, tale juvenum fratrum examen, Augusto fuit, singulos adolescentum benigne appellat, dextra & osculo excipit, filios nuncupat, secum in aula consistere jubet; universos paulatim præfectoris, vicis, prædiis, stipendiariis, castellis, parochiis collocaletavit. Unde plerosque nobilium Narischorum, Vindelicorum, Noricorum, Charionum, Bojorum, Francorum, Rhenensium, genus trahere autores sunt. In patriâ meâ etiam nunc, addit Aventinus, quotannis, statis diebus, ejus manes placantur: cives eidem parentant, & inferias dare solent, atque omnis memoriæ nominisque honor habetur.

§. V. Ex superiori seculo producimus Gvilielmum Nassovium Comitẽ, patrem Gvilielmi Aurationensium Principis, Seelandiæ & Hollandiæ præfecti, qui, ex quatuor uxõibus, quinq, liberos suscepit, & complures filias illustribus familiis in matrimonium locatas, & rarâ fecunditate nobilitatas, ita, ut cum ad annum 75. pervenisset, quatos ex se, aut ex filiis

filii, nepotes circiter CXXIII, sibi superstitēs videns pō-  
nerit. Thuan. Lib. 79. Gvilielmus Poyvelus, Vinto-  
nie Marchio, Magnus Anglia Quæstor, maximis ho-  
noribus, longâ vitâ; quam ad annum 97. perduxit,  
perfundit, postremò eum etiam fructum talis, ut CIIK.  
liberos, ex se suisve procreatos, ante mortem numero  
verit. Thuanus. lib. 51. Plura ex omni memoria ex-  
empla eò Hegit Piccart. Observ. Hist. Pol. Dec. XI. c. 3

## APHORISMUS X.

Multa per amicos, velut per  
instrumenta, feliciter ge-  
runtur.

6. I.

**I**Ta Aristoteles 1. Eth. c. 9. qui idem præceptum,  
hoc latius exsequitur 8, Eth. c. 1. docens, neminem  
expetiturum absque amicorum consortio vivere, ut ut  
ceterorum bonorum omnium abundantia circumflue-  
ret: quin adeò ipsos divites & magnates, in excelsa æ-  
tatem agentes, amicorum præsentia & ope vel maxi-  
mè indigere. Hoc in animum descendere Jugur-  
thæ, filio adoptivo, voluit Micipsa, Numidiz Rex,  
in hæc verba locutus apud Sall. Jug. cap. 10. Non  
exercitus, neque thesauri præsidia regni sunt, verum  
amici, quos, neque armis cogere, neque auxilio parare  
quæat, officio & fide parantur. Cui suppar est illud  
Plinii in Paneg. c. 85. Cum plurimis amicitis fortu-  
na principis indigeat, præcipuum est Principis opus,  
amicos parare. Et Taciti Lib. 4. Hist. c. 7. §. 6. Nul-

lum

Intelligi autem hic amicos, quales sunt in *Di. Nic. 7<sup>o</sup>* *cap. 9<sup>o</sup>* *εὐφροῦν*, non potest Aristotelici styli vel mediocriter gnarum latere: dicuntur enim amici, quicumque amant statum presentem, cumque incolumem diu extare optant, & consiliis atque ope sua fulciunt.

§. II. Hæc amicorum præsidio sequæ Romæ publicæ munivit Antoninus Pius. Præterquæ enim, quod, jam Imperator factus, cum Sexto Boethio philosophabatur, & Hermogeni Rhetori operam dabat, ut Zonaras testatur, in rebus gerendis diligentet usus est consiliis prudentissimorum, qui sculorum illud exornant, Octorum, Ulpiani, Marcelli, Volusii, Vinidii, Veri, Salvii, Valentis, Metiani & Joboleni, dicens: *Æquius esse, ut ipse tot taliumque consilium amicorum sequatur, quam ut tot talesque amicos suam unius sequantur voluntatem.* Id etiam exemplū imitatus hujus successor, Antoninus Philosophus, illud Platonis in ore semper habuit: *Tum demum florere civitates, si aut philosophi imperarent, aut imperatores philosopharentur.* Alexander Severus stipatus fuit agmine Consiliariorum, Fabii Sabini, (qui Cæsar sui temporis dictus est) Domitii Ulpiani, Julii Paulli, Florentini, Africani, Marciiani, sine quibus nec ullam legem sanxit, nec de ulla re graviore statuit.

§. III. Tam præclarum thesaurum cum se natum esse Darius in Zopyro intelligeret, Persarum Rex, Xerxis pater, suo eum pretio æstimans, cum aliquando, comedens malum Punicum, interrogetur à fratre Artabano: *cujus rei tantam sibi operam*

*multitudinem, quanta esset, granorum ejus mali?*  
 respondit: Zopyrorum; cumque Zopyrus se-  
 ipsum, naso & auribus amputatis, fœdasset, deceptis-  
 que hâc fraude Babylonis, rebus ab iis præfectus,  
 urbem Dariò prodidisset, sæpè Darius dixit: *Mal-*  
*le se integrum habere Zopyrum, quam Babylonis pe-*  
*trâ.* Plut. in Apoph. p. 295.

S. IV. Atque hæc quidem exempla docent,  
 quantum commodi accedat regnis & rebus pub.  
 earum moderatores fidis rerum administris & ne-  
 gotiorum gestoribus utantur; jam quanto però glo-  
 riam & salutem augere possit amicorum opera, ne  
 exemplis, è veteri memoria repetitis, Epaminondæ  
 & Pelopidæ, Ciceronis & Pomponii Attici alio-  
 rumque confirmemus, locuples rerum magistrâ  
 experientia nos sublevat. *Eccus enim tam clarum*  
*statim ingenium est, ut possit emergere, nisi illi ma-*  
*ria, occasio, fautor etiam commendatorq; contingat*  
*judice Plinio lib. 6. ep. 23, Lipsium id in se sensisse,*  
*operâq; Christophori Affonvillii, Consilarii Regis,*  
*adjutum esse, profitetur ipse ep. 13. cent. 2. ad Bel-*  
*gas: Profecto, ait, ut aliquid possimus, fulcro & alleva-*  
*tione vestrum talium indigemus, & ut vitis jacet, nec*  
*fructum fert, nisi ad stipitem aut arborē applicita, vitæ*  
*etiam nos, nisi gratia & favore vestro subnixi.*

## APHORISMUS XI.

Calamitates non evertunt  
 statum felicitatis sed præ-  
 bendo

bendo patientiæ & magnanimitatis materiam, illustrant & augent.

§. I.

**D**isputatur hæc de re 1. Eth. c. II. Loquimur autem de calamitatibus mediocribus, & virarum nostrarum facultates non excedentibus, quibus tantum abest, ut vir generosæ virtutis de recti proposito prosterni se patiatur, ut potius, veluti cœte quadam, ferrum suæ acuat virtutis, &

*Per damna, per cedes, ab ipse*

*Ducat opes animumq; ferro.*

Quæ sunt verba Horatii lib. 4. od. 4. v. 59. Scitè Lipsius lib. 2. de Const. c. 8. *Ut arbores ventis agitate, abitis radices agunt, sic boni in virtute magis comprehendunt, impulsu aliquoties adversitatum flabris.*

§. II. Ecce Tibi ipsum populum Romanum, cum fortuna manus toties conferentem, & nunquam ita succumbentem, quin fortior gloriosiorque resurgeret! Inminebant Galli, gens ferocissima, ipsis urbis faucibus, cœso jam, cum omni exercitu, Fabio; at qui tum vel maxime, aut nunquam alias, apparuit vera illa Romana virtus, teste Floro lib. 1. c. 13. §. 8. Carthaginenses extrema quæque minabantur; at calamitatibus istis magnitudo virtutis Romane approbatur, censente eodem Historico, lib. 2. c. 3. §. 22. Finitimi Etrusci eadibus, ferro, igne omnia vastabant, ipsi etiam urbi jam excidium parantes; magna populi Romani fortuna pariter & virtus, semperq; in malis major, eodem autore lib. 3.



l. 3. c. 18. §. 13. Hujus virtutis admiratione incensus  
 Claudianus lib. 3. de laudibus Stiliconis, in hoc se-  
 se elogium effundit, vers. 140. & seqq.

*Hæc obvia fati,*

*Innumeras uno gereret cum tempore pugnas  
 Hispanas caperet, Siculas submitteret urbes,  
 Et Gallum terris prosterneret, æquore Pœnum,  
 Nunquam succubuit damnis, & territa nullo  
 Vulnere, post Cannas major, Trebiamq; fremebat;  
 Et cum jam premerent flammæ, murumq; feriret  
 Hostis, in extremos aciem mittebat Iberos.*

§. III. Et miremur adhuc, ex tam nobili virtu-  
 tum nutrice & magistra prodiisse discipulos, paren-  
 tum præcepta vivis exemplis exprimentes? sanè de  
 Fabio Maximo memorat Plutarchus in vita p. 304.  
 quòd cum, casâ potissimâ ad Cannas exercitûs par-  
 te, pavore & tremore plerique omnes obstupesce-  
 rent, intentique ora tenerent, ipse suis institutis &  
 firmis consiliis, quasi subjectis humeris, fuleiens  
 Remp. obstiterit, ne illorum peccatis læbascens, ex  
 toto præcipitaretur. *Atqui* (subjungit ibid. Plu-  
 tarchus) *matorum, quibus oppressus id temporis pop.  
 Romanus fuit, moles & cumulus, quem non percussit,  
 nec de gradu dejecit? eum vero magnum virum & in-  
 victi animi ostendit fuisse.* Metellus Numidicus  
 tam fortiter tulit exilium, à Saturnino plebis Tribu-  
 no sibi irrogatum, ut Vellejus Paterc. scribere non  
 dubitaverit lib. 2. c. 15. *nec triumphis honoribusq;  
 quam aut causa exilii, aut exilio, aut reditu clariorem  
 extitisse.*

§. IV. Haud minùs firmo & constanti animo  
 excipit vir bonus & beatus contumelias, quæ eò  
 acrius lancinare pectus solent, quo quis magis est

ingenuus, & honoris æque & virtutis observantior. At vir prudens, & conscientie præsidio munitus, maledicos hominum rumusculos in materiam patientiæ, imò gloriæ, vertit, exultans cum Tito Vespasiano, qui cordatè apud Xiphilinum: *nemo, inquit, me injuriâ afficere aut contumeliâ potest; quia nihil ago, quod ledere alios possit.*

§. V. Philippus verò Macedonum Rex, à pro-cacibus linguis petitus, nec surdâ aure transit, nec odiosè convitiatores insectatus est; sed maledicta, ut monita emendandæ vitæ, æquo animò accepit. Luculentum imprimis exemplum præbuit in Nicanore: Is, cum multa petulanter de Philippo effu-  
 tiisset, delatus est à Smycitha, cumque amici lingu-  
 gar-lasciviam coercendam esse judicarent; ille ve-  
 rò: *Nicanor, inquit, non est pessimus Macedonum; videndum igitur, numquid per nos admissum aut com-  
 missum, cur maledicat?* Cumque sedulò inquisi-  
 visset, deprehendit, Nicanorem esse hominem te-  
 nuis fortunæ, qui, etsi benè esset meritus, justa ta-  
 men laborum præmia nondum tulisset; & statim  
 ei munus porrigi jussit: tum Nicanor, mutatâ mē-  
 te & linguâ, Philippum laudibus passim extulit.  
 Quò compertò, *videtis, inquit Philippus, in nostrâ  
 manu esse, benè vel secus audire.* Videatur Lipsius  
 l. 2. mon. & exemplorum Pol, c. 17. §. 5. Simile est  
 illud Socratis, qui libertatem disceptans facientium  
 non indignè ferendam esse judicavit, ut, si vera dice-  
 rant, prodesse nobis queant, quò admoniti, vitia corrige-  
 mus; sin falsa convitia jaculentur, ea, ut ad nos nihil  
 pertinentia, aliâ animò despiciamus. Eras. in Apophth.  
 l. 3. p. 175.

MENS XII.

ANNO DOMINI MDCCLXXII.

SECUNDARIO

ANNO DOMINI MDCCLXXII.

SECUNDARIO

ANNO DOMINI MDCCLXXII.

SECUNDARIO

ANNO DOMINI MDCCLXXII.

SECUNDARIO

ANNO DOMINI MDCCLXXII.

SECUNDARIO

ANNO DOMINI MDCCLXXII.

SECUNDARIO

ANNO DOMINI MDCCLXXII.

SECUNDARIO

ANNO DOMINI MDCCLXXII.

SECUNDARIO

**M**iseriam civilem Aristoteles in 1. Eth. non nisi strictim, & velut aliud agens, attingit, utpote cum docet, eum, qui iniquiore fortuna utatur, per id non evadere ἀδύνατον, *prorsus miserum*: passim autem alijs in locis talia spargit prædicata, unde innotitiam istius summi Mali negotiò haud adeò difficili perveniri queat. Convenit verò in hunc statum illud 4. Eth. c. II. *malum se ipsum corrumpere, & si integrum sit, intolerabile evadere*. Idem appellatur ἀδικία ἄλη, *iniustitia tota vel universalis* 5. Eth. c. 4. Ἐπερβάντων μωχθηρία, *extrema malitia* 8. Eth. c. ult. quæque alia his similia collegimus in 1. Eth. P. I. c. 5. n. 3. pag. 47.

§. II. Nullibi autem magis vivis coloribus representat Philosophus infelicitatis illius molestias, quam 9. Eth. c. 4. sic enim ibi: *semper secum pugnant ac dissident tales, qui multa & atrocia admiserunt, propter improbitatem vitam oderunt ac fugiunt, ac sibi manus afferunt, & vitiosi homines atque improbi querunt, quibuscum totos dies traducant; se ipsos autem fugiunt; multa enim grævia atque horrenda recordantur, ac alia huiusmodi, cum soli sunt, expectant: tantisper autem, dum cum alijs sunt, obliviscuntur, & cum nihil sit in eis amabile, nullò erga se amoris affectu commoventur. Non igitur, qui tales sunt, secum ipsi aut letantur aut dolent: in eorum animo discordiæ & seditiones concitantur, & interdum homo improbus propter pravitatem, dolore afficitur, abstinens à quibusdam rebus, interdum letatur, & una pars hunc ipsum trahit, altera illuc, tamquam ipsum divellendo ac distrahendo. Quod si fieri non potest, ne quis*

quis simul dolere & letetur, certe paulo post, quod letatus sit, moerore conficitur, nolisque hæc sibi voluptatem attulisse. Malos enim assidue actionum suarum pœnitet.

§. III. Hujus detestandi mali imagines sub variis umbris & involucris proposuerunt ingeniosi morum Promi condi, Poëtæ, quorum exemplis fictis viam nobis ad veram muniemus. Fallor enim? an hæc est Ate illa Homericæ Il. T. v. 90. ἢ πάντας αἰῶτα ἰλοῦβη, quæ omnes offendit noxam afferens: Atque ipsi etiã Jovi furore scelerum & impietatis non parcens. Aut quid aliud, quàm ægritudines varias atque acerbæ, & exquisitissima conscientię tormina signarunt illi Poëtarum Sisyphus, Tityus, Tantalus, qui postremus ita dictus fuit τὰ λαιτῶτες infelicissimus, teste Platone in Cratylō, de quo Cicero lib. 4. Tuscul. c. 16. Poëtæ, significantes animi angorem, impendere apud inferos saxum Tantalō faciunt, ob scelera animique impotentiam & superbiloquentiam. Ex priscis sive historiis sive scenis huc referendus est Orestes, qui interfectâ matre Clytemnestrâ furore correptus est.

Armatam facibus matrem & serpensibus atria  
 Cum fugit, ultricesque sedent in limine Diræ.  
 Ut est ap. Virg. l. 4. Æn. vers. 471. & seqq.

§. IV. Infelicitatis hujus mensuram impleverunt illi, qui veteribus Proverbiis locum fecerunt, cujusmodi est, quod ex Diogeniano profert Erasmus Chil. 2. Cent. 10. ad. 38. Lydi improbi & post hos secuti Ægyptii, Tertiusq; Cares perditissimi

D

omni-

ομνίου πάντων ἐξωλίεσται. Huius commati-  
est Phrynondas Atheniensis, homo versutus, ma-  
lificus, impostor, summus malarum rerum artifex  
ut hominis vocabulum in rei transierit appellati-  
nem; ut est apud eundem Erasmus Chil. 3. Cent.  
7. ad. 22.

§. V. Domicilium fixisse hæc Erinnyis vide-  
tur in istâ Thraciæ urbe, à Philippo ædificatæ, et  
pessimis quibusq; ac deploratissimis, ἐν κακίστῃ  
καὶ ἀναγωγιστῇ constanter, quam idè ipse Πο-  
νηρόπολιν dici voluit; ut est apud Plut. Tom. 1.  
opuscul. mor. de curiositate. Item apud eos, quos  
olim τρεῖς καίπτα κέκισται notârunt, fueruntque  
Cappadoces, Cretenses & Cilices.

§. VI. Ut ab universis ad singulos converta-  
mur, in variis populis has vomicas, & hæc carci-  
nomata nigrò thetâ signaturi, primùm quis ju-  
xta Virg. 3. Georg. v. 5.

*Illaudati nescit Busiridis aras?*

Fuit autem ille Ægypti Rex, qui innocentium ho-  
spitum sanguinem Diis, scelerum suorum fau-  
toribus, propinavit. E Lacedæmoniorum flor-  
datum est infelix lolium, Lysander, homo versu-  
tus, jusque solâ metiens utilitate, cui vera dice-  
re & mendacia proferre juxtâ fuit, & qui, quâ-  
parum pensi haberet istos Deos, ex eo intelligi-  
re licet; quòd oracula, Delphicum & Dodon  
corrumpere ausus est, ut Diis velut adjutoribus  
Reges Lacedæmonios è medio tolleret. Den-  
q; juramentorum religionem pro ludo habere  
viros talis, senes sacramentis decipi oportere et

spond

spondit: testibus Plutarcho in Apophth. Lacon. p. 380. & Corn. Nep. in vitâ c. 2. §. 2. & 3. Jam. verò Atheniensium etiam civitati innascebatur urenda hæc filix, adeò ut vulgò dictum sit: *Athenienses aut pessimos evadere, aut optimos, sicut eorundem terra & mel saluberrimum, & circumtam producat exitiosissimam.* Plut. in Dionè.

§. VII. Quod si alia regna & populos circûspicere juvat è Chaldæis damus Sardanapalum, hominem effœminatissimæ mollitiæ, qui ludicro hõc Epitaphio cippum suum ornavit: *Edo, bibe, lude, res humanas tanti non faciens, i. e. non magis, quàm digiti crepitum æstimans: è Sicilia Dionysium tyrannum, quem nec religio à sacrilegiis, & fœdo Deorum contemptu, nec pudor à flagitiis, nec fama à turpitudine revocare potuit: ex Agrigentinis Phalaridem, nullâ re aliâ laudem promeritum, quàm quòd ingeniosæ sævitiæ inventorem, Perillum, primum artis specimen miserando exemplo edere coëgit: è Persis Cambysem, degenerem Martis, id est, Patris Cyri pullum, qui ad obruendum gloriæ cumulum paternæ incestu, superbiâ, crudelitate, avaritiâ, denique nullo non turpissimorum scelerum genere nihil fecit reliqui: è Mæcedonibus Persen, ultimum eorum Regem, qui cum nec honestis natalibus gauderet, & præterea regnû, sublato per venenû Demetrio fratre, acquisivisset, nec melius gessisset, sed ambitione, crudelitate, aliisque vitis præceps abriperetur, cõsilia simul cû fortuna amisit, ad cõ, ut in pristinâ dignitatem se vindicaret, post*

preliam infeliciter cum Paulo Emilio commis-  
sum, libertate juxta cum vita in carcere fuerit,  
exutus: nisi quod unum ipsi clementia Pop. Ro-  
mani & pristinae fortunae favor post fata reliquit,  
ut honestis exequiis corpus ejus decoraretur.  
Flor. L. II. c. 12. Val. Max. L. V. c. 1.

§. VIII. Porrò Romana Resp. quò plura, ea-  
que insignia virtutis absolutissima exempla sup-  
peditat, eò foedius contaminant pulcherrimum  
illud corpus verrucæ & ulcera, nullis non impe-  
rii conversionibus extuberantia. Ecce enim, u-  
bi in faciem sic satis decoram illa sub Regibus  
adolevisset, procurrentem felicitatis cursum in-  
tercepit Tarquinius Superbus, homo divina atq;  
humana promiscua, nil pensi atque moderati ha-  
bens, dum sibi regnum raperet magis, quam ex-  
pectaret. Nam Servium socerum, vi arreptum,  
& è curia elatum, per gradus dejecit, postremò  
etiam ex sanguine cum semianimi regio comi-  
tatu domum deductum, per summissos ministros  
miserabiliter trucidavit: nec intra cruentam  
mortem substitit savitia, grassata est etiam in  
exanimè corpus, nec pietas paterna Tulliam,  
uxorem Tarquini, prohibuit, quò minus stra-  
tum per plateam patris corpus carpenti rapti-  
bus lancinaret. Postremò cum ad jus regni ni-  
hil quicquam præter vim superesse, & metu sibi  
potentiam retinendam videret, primoribus Pa-  
trum & aliis, qui suspecti aut invisi essent, par-  
tim interfectis, partim in exilium actis, robur  
crudelitati addidit, donec odii publici victima,

&



& communis salutis hostis, urbe exclusus, vitam miseram in exilio per dedecus amitteret. Videatur Livius l. I. cap. 48.

§. IX. Jam in Catilina, ad nullum non facinus furialibus quasi facibus agitando, detestanda ista Megæra, omnes suas vires videtur esse experta. Is, ut Sallustii verbis uti liceat c. 15. cum adolescens multa nefanda supra fecisset cum virgine nobili, cum sacerdote Veste, & alia huiusmodi, cõtra ius fasq; præterea captus amore Aurelie Orestilla, eã se potiri metu privigni, etate jam adulti, non posse putans, necato filio, vacuum domum scelestis nuptiis fecisset; tum vero animus impurus, Diis hominibusque infestus, neque vigiliis, neque quietibus sedari poterat; ita conscientia mentem excitatam vastabat. Cumq; gulã & turpissimã parte corporis rem familiarẽ omnem cõfregisset, novissimẽ ad desperationem, & hinc nefaria cõsilia cõversus, statuit, *Senatum cõfodere, cõsules trucidare, distringere incendis urbem, diripere erarium, totam denique Remp. funditus tollere, & quicquid nec Annibal videretur optasse, uti quidem Florus impietatis ejus atrocitatem, describit l. 4. c. 1. n. 2.* Hic operæ pretium ducimus, non prætermittere, quod Cl. Rupertus ad jam prolatum Sallustii locum commentatur: *vix est in Sallustio locus, in quo singula literæ tam funesta clamant, quàm hic ipse: Ecce enim in Catilina illas ipsas Furiarum ardentes ceadas, illas sollicitudinum faces, quibus omnes scenas Poëte veteres repleverunt.*

§. X. Triplices videlicet sunt pœnae, juxta Lipsium lib. 2. de Const. c. 14. quæ indeflexo committatu premunt vestigia impiorum: *Internæ, Posthuma, Externæ*: illæ, quæ animum tangunt, sed adhuc in corpore; uti sunt angores, pœnitentiæ, merus & conscientiarum mille morsus; alteræ, quæ eundem animum, sed liberum jam & à corpore abjectum; uti pœnæ eæ sunt, quibus post mortem subijci etiam gentiles non dubitârunt: tertiæ, quæ corpus tangunt, aut quæ circa illud: ut paupertas, exilium, dolor, morbi, mortes. Ex his primi generis præsentissimæ sunt & scelestos nunquam desistentes. Ut cruciarii, Romano ritu, crucem suam ferebant, ipsi ab eâ mox ferendi; sic impiis omnibus conscientia hanc crucem Deus imposuit, in quâ pœnas luant, priusquam luant: quam quidem similitudinem suppeditat loco citato Lipsius, ingeniosus talium artifex.

§. XI. Sed nobis ad lineam redeundum est, & exemplis calamitas ista porro depingenda. Eam vivis coloribus repræsentat Augusti successor, Claudius Tib. Nero, vel ut militari joco propter immoderatiorem vini usum audiebat: *Caldius Biberius Mero*; is, cum animo esset pravò, pervicaci, subdolo, cujuslibet rei simulatore & dissimulatore, aspero ac crudeli, unde securitæ protervix auguria sapiens, præceptor ejus, Theodorus Gadareus, vocavit cum *πυλὸν αἵματι πεφραμένον lutum sanguine maceratum*; mensuram istius ominis plus nimio implevit, neglectâ reipublicæ curâ, effusus in omne genus

genus libidinis & voluptatum, acerbissimis tormentorum generibus in noxios pariter & insones grassatus, ademtâ in simul defunctorum proinquis lamentandi potestate, & iis, qui custodia traditi erant, tum lectionis & sermonis prohibitis remediis & solatiis. His detestandis celeribus interior iudex tribunal paravit, contentente ipsò reo Tiberio, & in literis ad Senatum Romanum apud Tacitum 6. Ann. c. 6. in hæc omninò lamenta erumpente: *Quid scribam vobis P. C. aut quomodo scribam, aut quid omninò non scribam hoc tempore? Dii me Deaq, pejus perdant, vitam perire quotidie sentio, si scio. Adeo (subiicit Historicus) facinora atq, flagitia sua ipsi quovis in supplicium verterant, neque frustra præstantissimus sapientia firmare solitus est, si recludantur Tyrannorum mentes, posse aspici laniatus spiritus, quando, ut corpora verberibus, ita sevitia, libidine, malis consultiis, animus dilaceretur, qui prope Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasq, ipse pœnas ferretur. Nec destituebat antecedentem scelum claudâ pede pœna posthuma; nam populus morte ejus ita est letatus, ut ad primum nuncium discurrentes, pars Tiberium in Tiberim clamitaret, pars Terram matrem Deosq, Manes orarent, ne mors sedem ullam nisi inter impios darent. Suet. in lib. c. 75.*

§. XII. *Æquaverit an superaverit Tiberium improbitate, ejus successor C. Caligula, vix in ambiguo reliquit. Certè ut nihil concederet,*

omnibus viribus est adnixus : parum erat luxu prodigioso bona decoquere, pretiosis margaritis aceto liquefactis, & panibus atque obsoniis ex auro factis convivarum oculos pascere, dein, ubi nummi defecerant, sordidis exactionibus & vectigalibus marsupia pauperum exenterare, divinos honores impudentissimo fastu affectare, honestarum matronarum pudorem expugnare. Illud immanissimum omnium est, quod flagitiis suis noluit favente civium voluntate frui, quippe quos excogitatissimis tormentis excarnificare, & promiscuis cædibus è medio tollere pro ludibrio habuit, inculcatò crudelitatis ministris præceptò : *ita feriendos, ut mori sentiant.* Propter hæc flagitia quotidianas vivus interiùs luebat pœnas, mortibus illis graviores, quibus alios è vita exturbabat : namque *ad minima tonitrua & fulgura connivere & caput obvolvere, ad majora verò proripere se è strata, sub lectumq; condere solebat : non plus quàm tribus horis nocturnis quiescebat; ac ne his quidem placidâ quiete, sed pavidâ miris rerum imaginibus, auctore Suet. in vitâ c. 50. & 51.* Ac ut vel hõc exemplo intelligamus, verum esse, quod supra ex Aristotele docuimus 4. Eth. c. 11. *malum se ipsum perdere, & si integrum sit, intolerabilè evadere;* non licuit Caligulæ imperium ultra tres, nec ætatem omnem ultra 19. annos producere, cumque infesta omnium odia ineurrisset, etsi aliquot conspirationes effugisset, tandem tamen à Chære interfectus est, nemine eorum, qui præsentem

aderant

aderant, manus abstinente, nonnullis etiam carnes ejus degustantibus.

§. XIII. Domitius Nero, cum eò sceleratæ vitæ progressus esset, quò nec modum, nec mensuram amplius reperiret, tandem eò infelicitatis est reductus, ut nec viæ ad fugam, nec amici ad defensionem, nec inimici ad accelerandam mortem copia sibi amplius fieret, nec aliud conclamatæ miseræ remedium succurreret, quàm ut invisum Diis hominibusque spiritum propriam manum expelleret.

§. XIV. Crimine & fato ab uno discere licet omnia, nec alia vitiorum portenta Commodi, Heliogabali, Maximi, Gallieni, Carini, Maximini, qui Romanorum fastos contaminarunt, nec qui in quâcunque alia, sive ætate, sive conditione civilis societatis tranquillitatem turbis, elegantiam morum turpitudine intervertunt, execrationes hominum aut ultricem Nemesis manum seu in hac vitâ seu post busta sua vitare potuerunt.

§. XV. Neque intra Gentilium Imperatorum & Principum aulas sese continuit malum, hoc *πρωτόλειθρον*; quin in ipsam Sanctam Cathedram ( si Divis Petro & Paulo placet ) Capitolini Jovis tam horribilibus ausis est grassatum, ut illis etiam ipsis qui alioquin dignitatem sacerrimæ istius sedis grandibus voluminibus etiam atque etiam irent assertum, abominationem extorserit. Quis demiffiore subjectione eam adoravit Cardinalis Baronio? at is, ubi Camari-

nam fecali IX. circa annum videlicet 897. movet: *intrusi, inquit, in cathedram Petri sunt homines monstruosi, vitâ turpissimi, moribus perditissimi, usquequaque fœdissimi.* Non abludivit Gilbertus Genebrardus lib. 4. Chronogr. *Per annos ait ferè centum & 50. Pontifices circiter 50. à Johanne sc. VIII. qui Nicolao I. & Hadriano sanctis Pontificibus successit, ad Leonem IX. usque, à virtute majorum prorsus defecerunt, Apostæti, Apostaticive potius, quam Apostolici.* Thomas Stapletonus relectionum controvers. 1. quæst. 7. artic. 3: *vix ullum peccatum cogitari potest, quò illa sedes turpiter maculata non fuerit, maxime ab anno 800.* Haud paulò minore ingenuitate Platina in vitâ Benedicti IV. ubi cum ipfis opibus lascivire cœpit *Ecclesia Dei, versis ejus cultoribus à severitate ad lasciviam, peperit nobis tanta licentia peccandi, nullò Principe flagitia hominum tum coërcente, hæc monstræ hæc portenta.*

§. XVI. Agite verò è magno numero recensebimus, velut per naturam, paucos, eosque improbitate morum extantiores. Dux gregis esto Johannes XII. de hoc præter veteres scriptores memorat Dionysius Petavius Jesuita in Rationario temporum pag. 518. quòd *Romanam sedem improbitate ac turpitudine dedecoraverit.* Joh. XIII. dicitur *Platinæ fuisse homo ab adulescentia omnibus probis ac turpitudinibus contaminatus.* De eodem refert Luitprandus, quòd *S. Palatium, lupanar & prostibulum fecerit, item in ludo alex, Jovis, Veneris, cæterorumq; Demonum*

nam

num auxilium poposcerit. Joh. XXIII. iudiciis & testimonio concilii Constantiensis, fuit pauperum oppressor, justitiæ persecutor, iniquorum contumna, Simoniacorum statua, carnis cultor, vitiorum fœx, à virtutibus peregrinus, consistortia publica fugiens, ac totus somno ac aliis carnalibus deditus desidiis, vitæ & moribus Christi totus contrarius, infamie speculamentum omnium malitiarum profundus adinventor; adeo & in tantum Ecclesiam Christi scandalizans; quod, (ut) inter Christi fideles, vitæ & mores suos (ejus) cognoscentes, vulgariter dicitur (dicatur) diabolus incarnatus. Sixtus IV. tam profligatam vitam traduxit, ut Epitaphium hoc post mortem mereretur:

*Sixte jaces tandem; deflent tua busta cinedi*

*Scortaque, lenones, alea, vina, Pœnus.*

Omnium horum impletatem longo intervallo superavit Alexander VI. homo ad exitum Italæ natus -- mulieribus maxime addictis -- perfidiâ plusquam Punicâ, feditiâ immensi, avaritiâ immensâ ac rapacitate, ut Onuphrius Panvinus in vitâ eum describit: vel juxta Fr. Guicciardinum lib. 6. Hist. Draco, qui immoderatâ ambitione & pestiferâ perfidiâ omnibusq; horrendæ crudelitatis, monstrosæ libidinis, & inaudite avaritiæ exemplis, sacris & profanis rebus absq; discrimine venditis, univèrsam orbem venenis infecit, non sinceritas in homine, non pudor, non fides, non religio. Paulus III. qui superioris seculi A. 49. decessit, tot flagitiorum exempla edidit, ut potuerint integrum librum, etiam adhuc ipsò superstite emanantem, imple-

implere, cujus summam compendiò complectitur Joh. Sleidanus lib. 21. de statu relig. p. 667. Accusatur ibi homicidiorum, parricidii, fornicidii, amorum meretriciorum, adulteriorum, incestuum, nundinationis in sacris bonis exercitæ, profusionis facultatum, collusionis cum Necromanticis, *que, siue vera, siue propter odium à plerisq; credita, magnum mortuo ac familiae dedecus in Italiâ, longè uerò maximam sedi Romanae, apud Germanos & Anglos, ad offensionem proniores, infamiam peperere: ut scribit Thuanus lib. 6.*

§. XVII. His exemplis fides firmatur ei, quod est apud Senecam, ep. 39. *Tunc consummata infelicitas est, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent: & desinit esse remedio locus, ubi que fuerant vitia, mores sunt.* Unus è tam fœdâ coluvie oculos exerens Hadrianus VI. tantam impietatem detestatus est, ut turpitudinem ejus ordinibus Germaniæ, in conventu Norimbergico, Anno 1523. congregatis, vivis coloribus per Legatum suum Franciscum Cheregattum depingi faceret; *scimus, inquit, in hâc sanctâ sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia deniq; in perversum mutata. Neque mirum, si aegritudo à capite in mēbra, à summis Pontificibus in alios inferiores Prælatos descenderit: omnes nos (i.e. Prælati & Ecclesiastici) declinavimus, unusquisque in vias suas; nec fuit jam diu, qui faceret bonum: non fuit usque ad unum.* Ita habent inter alia, verba instructionis apud Sleid. lib. 4. de Statu Rel. &

Cœle-



Coelestinum in Hist. Comit. Anno 1536. celebratorum pag. 4.

§. XVIII. Cæterum haud ulli sanctulorum istorum impune malitiã suã frui datum est, quin plerique dignam factis suis mercedem jam in hac vitã sunt experti, & humanæ miseriæ spectacula præbuerunt. Joh. X. cum seditiones quasdam extinctas revocasset, cervicali in os injecto suffocatus est. Sylvester II. postquam inito cum Diabolo pacto, Pontificatum consecutus fuisset, à socienno suo, finito tempore statuto, miserè in frustra discerptus est, teste Platina. Alexander VI. venens, quod Adriano, familiaris suo, præberi jusserat, per errorem sibi porrecto & hausto, extinctus est. Joh. XII. in adulterio deprehensus, & confossus miserè perit. Bonifacius VII. cum Pontificatum quem malis artibus, acquisiverat, non melius administraret, tandem conscientiam scelerum actus, sine pœnitentia vitam turpiter amisit, autore itidem Platina. Clementis V. vitam improbè & crudeliter exactam, secutumque eam convenientem exitum, juvat memorare verbis Jeremiæ Drexelii lib. 2. Tribunalis Christi cap. 3. §. 2, qui cum seriã asseveratione ita de eo scribit: *cum Templarios, cœtam religiosum, & diu bonum atque utilem, Vienna in concilio damnasset, & in sodales ferro atque igne passim animadvertisset, vel (ut alii loquuntur) servisset, à pluribus eorum, uno præsertim Neapolitano equite, ad judicium divinum est appellatus, ita quidem, ut Clemens Pontifex & Philippus Gallicarum*

*liarū Rex ad tribunal Supremū citati intra annum se susterēt. Philippo Regi damnationes illae fuisse bono putabantur, Templariorum opibus ad eum devolutis & confiscatis. Neque vana fuit hac appellatio; nam intra tempus annum, uno sc. eodemq; anno 1314. tam Papa, quam Rex obierunt; Clemens 20. Aprilis, Philippus 26. Novemb.;*

6. XIX. Et jam quidem tempus monere videtur, ab obidā ista Mephiti discedere, nisi operæ pretium judicarem, paucula exempla infelicitatis humanæ ex proximo majorū nostrorū ævo, parcā manu, mantissæ loco adjicere. Tragicum & funestum vitæ exitum, morum asperitate & intolerandis facinoribus, accersivit sibi Petrus Aloysius, Parmæ ac Placentiæ Dux, Præterquam enim, quòd natales haud satis decores nactus erat, ( quippetex pellice Pauli III. Pontificis susceptus ) multis injuriis, præcipuæ nobilitatis viros, per annos plurimos, irritavit, obversante illis assiduè nefandò imprimis crimine, quod in Cosmum Gerium, Episcopum Faventinum commiserat, utpote quem primò frustra blanditiis tentatum, ad extremum suscipere colloquit, in secretius cubiculum servatum ope servorum, quamlibet renitentem, per vim in corpore nequiter sedaverat, cuius ignominia ipse impatiētior, ex mœrore animi inde contracto, interit. His igitur & similibus sceleribus conjurationem sibi conflavit, ipsius etiam Caroli V. Imperatoris assensu roboratā, nec hanc, decretò fatorū cōsiliis exitiō, præcavere poterant, vel monita pa-

tris, ex aërorum situ perniciem divinantis, vel ipsius diaboli, incantationibus evocati, magicæ delusiones. Tandem enim incautus in cubiculo est oppressus, & gladiò transfixus: nec furor intra mortem terminari potuit, *suspensio è muro per casenam cadavere, & ad ludibrium aliquandiu agitato, ac demum in fossam precipitato.* Refert Thuanus lib. 4. p. 324.

§. XX. Altero loco quàm sistamus Philippum II. Hispaniarum Regem, eò minùs nobis religio est, quando cum animis nostris reputamus, quòd ipse morti vicinus, & exquisitissimis doloribus cruciatus, suo exemplo successorem filium Philippum III. & filiam Claram Eugeniã movit, ut considerarent rerum humanarum instabilitatem, & miserrimam vitæ conditionem. Ipse equidem cætera sic satis probus, & malarum artium insolens fuit, plurima tamen regnante ipso contigerunt ( præcipuè in Belgio, ministerio ducis Albani) plena sævitie & atrocitatis, seu iussa ejus perpetrata sint, seu, quod æq. miserè, permissa. Nam penes quem est intercedendi potestas, is patiendò consentientis speciem præbet: judicante ita Dominico Budio lib. 3. Heroicorum carm. 6. qui ibid. abominandæ mortis genus, quò miser Rex defunctus est, his omninò versibus exprimit:

— — — — — *Rex ille Philippus,*

*Tot populiæ terrisq.ue potens, lateq.ue Tyrannus,*

*Occidit à fædorosis grege vermiculorum,*

*Carnificesq.ue suos miserando corpore pavit,*

*Vivens æque videns. Et patria funera planxit.*

Nam ut horribilem istum morbum describit Thuanus lib. 120. cum abscessus unus quidem in geniculo dextero, dein quatuor alii, superius in pectore nati, essent aperti, purulento humore per totum corpus se diffundente, tanta eluvio secuta est, ut vix indusio exuisset à quatuor hominibus paulum suspensio in linteis corpore, quantum per infirmitatem licebat, à duobus aliis per vices detergi posset.

§. XXI. Nec desunt alia ejusdem generis exempla, dignitate, si personas respicias, inferiora, si facta & eventus, non multò mitiora; è quibus non nisi duo, hinc strictim attingemus. Alphonfus Diazus Hispanus, cum sanguine fratris, eò, quòd pertæsus Theologia Pontificia, religionem Lutheranorum, ut scriptis Prophetarum & Apostolorum conformem, esset amplexus, manus suas cruentasset, post sexennium, in conciliò Tridentino, conscientia tortore afflictatus, postremò vitam sibi laqueo abruptit, pendens è collo mulæ suæ. Jacobus Latomus Hæreticæ pravitatis inquisitor, & orthodoxæ fidei defensorum persecutor acerrimus, cum ambitione præceps actus, Evangelicam veritatem crudeliter impugnasset, tandem totò corpore contremiscere, & animi moribus lancinari cœpit, adeò, ut ad desperationem conversus, repudiatis solatiis, & benignis amicorum appellationibus, inter horrendos mugitus animam efflaret, oris, totiusque corporis deformitate post mortem superextante.

ETHI-

# ETHICES PARADIGMATICAE

## PARTIS II,

Quæ agit de facultatibus animæ,  
civilis felicitatis capacibus,

### APHORISMUS I.

Ad capeffendam felicitatem civilem natura animos εὐφροιά & vividâ indole instruit.

§. I.

**A**ristoteles i. Eth. c. ult. non minus necessariam esse Ethico cognitionem animæ humane docet, quam Medico opus est cognitionem habere oculum, aut totum corpus, cuius ipse curam suscipere instituit. Porro, sicut sanitas non membro putrido, aut facultate vitali destituto, aut spiritibus animalibus exhausto potest induci: ita & norum doctor operam luserit, si distortis ingeniiis, & ut Philosophus loquitur, i. Eth. c. 10. *μη μετριέως*, qui laborant τῆ ἀπαισία τῆς διανοίας, ita dicitur 3. Phys. c. 3. medicam manum adhibere sustineat. Multum refert: utrum anima sit Igamemnonis, an Therisitæ; Alexandri, an

E Choresi.

Choroebi, Julii Caesaris, an Bambalioni. **Ne-**  
*que ut quisque voluerit, erit omnium optimus, nisi*  
*etiam natura extiterit: melior quidem certe erit:*  
 inquit Aristoteles 1. M. M. c. 14. Disertius &  
 prolixius hæc declarantur 3. Eth. c. 5. §. 41.  
 & seqq. *appetitionem suam peno sibi suo arbitrio*  
*adoptare potest, sed ita natum esse unumquemque*  
*oportet, ut quasi lumen mentis habeat, quo & ju-*  
*dicare recte, & id, quod vere bonum est, sperere*  
*atque optare possit; illum item esse bene informa-*  
*tum a natura: cui hoc, nature beneficio, bene con-*  
*stitutum est, eo, quod maxima sit ac pulcherrima*  
*isthac res, quamquam ab alio, neque consequens, neque*  
*discere aliquis possit, sed quam talem obtineat quis-*  
*que, qualis ipsi a natura data est, adeoque, quod ipsum*  
*illud, bene & pulchre a natura factum, compositum-*  
*que esse hanc partem, sit perfecta & vera nature bo-*  
*nitatis. Vocatur hæc devotus solertia item*  
*capetai Quomaj, 6. Eth. c. 13.*

§. II. Atque istud quidem nature benefici-  
 um quibusdam invitâ Minervâ natis, denegatur,  
 qui scilicet eâ laborant judicii imbecillitate, ut  
 nec sine alieno ductu satis perspicere queant,  
 quid salutare sibi, quid noxium sit, quique ani-  
 mi servitiô, corporis imperiô utuntur, quos  
 Aristoteles propterea *naturâ servos* vocat 1. Pol.  
 c. 5. in cujusmodi monstrosam animi deformitatê  
 incidit Q. Metellus quidam, cui Scipio aliquan-  
 do stomachatus dixit: *si quintum pareret mater ejus,*  
*asinum fuisse parituram:* ut est apud. Cic. lib. 2. de  
 orat. c. 66. & Erasmus in Apophth. p. 503. Dege-  
 neres tamen isti non minorem affricare labem

Possunt toti generi humano, quam, quod quidam prævaricantibus claudisve membris ac monstruosis corporibus nascantur. Oportet enim considerare naturam non in corruptis, sed in his, quæ magis se habent secundum naturam: quod ipsa etiam præclarum præceptum habetur loc. cit.

§. III. Præterea & illud hæc ad animum revo-  
cetur, paucissimos ita favente Jove natos, itaq;  
mirabili *αγχινοια* præditos esse; ad res univer-  
sas seu inventiendas, seu perficiendas; omnibus-  
que rebus; locis, temporibus & personis pru-  
denter sese in Aristippi rationem accommodantes,  
quales olim fuerunt Alexander Macedo, Pyr-  
rhus, Alcibiades, Scipio Major, Julius Cæsar,  
Carolus Magnus: hodie vero vix unum aut alio-  
rum hujusmodi ingeniorum justo & integro se-  
culò posse reperiri, scribit Brundus Richeus in  
Obstetricæ animorum c. 4. Sect. 7.

§. IV. Multum igitur diversa mensurâ & va-  
riis gradibus extant naturalis indolis munera in  
singulis, quæ universim sumta perfectissimam  
demum, & cœlestem ingenii vim adæquant. Cer-  
tè Plato lib. 3. de Rep. secutus Hesiodum, ut ipse  
ait, in libris de Legibus, alia ex auro esse facta in-  
genia, docet, cujus generis sint Principes; alia ex  
argento, qualia sint ministrorum & consiliariorum;  
alia deniq; ex ere & ferro, cujusmodi sint reliquo-  
rum civium, opificum, nundinatorum, agricolarum.

## APHORISMUS II.

Εὐφροία comprehendit primum naturalem ingenii facultatem, quã homines & honestatis pulchritudinem intelligere, & quæ ad scopum istum apprimè faciunt, sive τὰ περιστάσια, καθήκοντα, quæ rebus, personis, locis accommodata, exquisitè perspicere queunt.

§. I.

**H**Oc est illud moly, quod nemo, nisi Ulysses, effoderet: hic ramus ille aureus, quem solus Aeneas decerperet, ait Caselius in Propol. c. 18. Consistit autem hæc vis, vel δεινότης, tum in facili principiorum practicorum perceptione, tum in conclusionum inde eliciendarum industriã & sagacitate. De hæc accipiendum illud Cic. lib. 1. offic. c. 16. ut quisque maxime perspicit, quid in quòque re verissimum est, quisque & acutissime &



*celerissime potest & videre & explicare rationem, is prudentissimus & sapientissimus rite haberi solet.*

§. II. Exemplum, instar multorum, sistit Plato in Thezteto sub initium istius Dial. Nam, ubi disseruerat, ingenii acumen haud facile consistere cum animi moderatione, propterea, quod ut plurimum *μεγίστης τῆς ὀργῆς ἐξυπόμονη εἰσι καὶ ἀτῶντες Πιεγῶναι*, ut plurimum in iracundiam impetusq; precipites sunt raptati, quemadmodum sine retinaculis naves, hunc Theztetum, singulari Geniū privilegiō, a navis istis exemptū, hoc. elogiō insignit: *Hic vero ita leniter, libere, suaviter, expedite, maximā cum mansuetudine, ad disciplinas questionesq; graditur, ut nec lubricus, quietusq; olei flexus mollior & suavior videatur, & ut mirum sit, tantum ingenium tam mature ista peragere.*

§. III. Themistocles puer, ita ardoris animi plenus fuit, tantōque studio ad res gerendas propensus, ut, cum æquales tempus jocando luffrandōve fallerent, ipse orationes meditaretur, in quibus vel accusaret, vel defenderet pueros; teste Plutarcho in vita. Cyrum puerum Xenophon refert lib. 1. *παιδείας*, eum adeō solerti præditum ingenio fuisse, ut ad quæ sita celeriter & commodè responderet. Videatur Joh. Caselius in Propof. c. 20.

§. IV. E Romanis exemplum denunciabimus Titū Pomponium Atticū. De eo Corn. Nepos refert, quod valuerit & docilitate ingenii, & summā suavitate oris ac vocis, ut non solum celeriter arriperet que tradebantur, sed etiam excellenter pronuntiaret. E superiori ævo eminet Colu-

ma Cardinalis, is, cujus ope post, sub exercitu  
 Caroli V. Imperatoris, Roma capta est. *Hic,*  
*præterquam quod sub præceptore nihil diligentia in*  
*studiis intermitteret; cum M. Antonio patruele de*  
*bellicis laudibus, & de majorum supra præclaris*  
*gestis, assiduè disputabat, neque obscure arma tra-*  
*ctare malle videbatur, quam consensere in literis,*  
*que præstantissimis tantum ingenis gloriam affer-*  
*rent, mediocribus autè viæ necessaria viæ alimen-*  
*ta præbere consuevissent, ut est apud Jovium in vi-*  
*tâ. Haud minus aptum ad promerendam actio-*  
*num quarum vis præclararum laudem fuisse Job,*  
*Bodinum, ex Thuano discimus: habebat quippe*  
*ingenium in numerato, & paratum ad omnia, que*  
*proponerentur, pulcherrimarum rerum copiam, quâ*  
*pollebat, acris memoriâ effundebat.*

### APHORISMUS III.

Acumini accedere debet  
 directâ judicii norma,  
 cujus virtute mores &  
 negotia civilia peritè di-  
 scernantur, attributio-  
 nes & circumstantiæ ex-  
 pendantur, quiq; even-  
 tus,

tus, cum salutare, tum  
noxii, consequi soleant,  
prævideantur.

## §. I.

**E**Xperientiâ deprehensum est, ταχύνει in in-  
veniendis, destitutam acri & roboratò judicij  
moderamine, negotiis practicis feliciter expedi-  
endis non esse parem. Sine hac ingentis commo-  
ditate, negotia plerumque exitus, non solum mini-  
mè optatos, sed exitiales etiam habent: ait Hippo-  
lytus à Collibus in Consiliario p. 89. Acutuli ta-  
les, scribit Piccartus in Philosophia Alt. p. 155.  
in practicis nihil certi concludunt, neque in consi-  
liis firmi sunt, sed suspendunt potius animum ejus,  
cui consulere debeant, complures afferendo modos  
eluctandi è difficultatibus, simul tamen coacervan-  
do pericula. Præterea multipliciter peccant, dum  
hostes suis judicant ingenijs, qui stupidi sepe sunt,  
& inferiore, ut Poëta loquuntur, metallò cocti.

§. II. Causam indigitat Lipsius l. 3. Pol. c. 4. quia  
subtilia & ignea ingenia in assiduo motu sunt: qui  
ipse duas alias superaddit in Notis: unam, quam  
jam ex Piccarto proposuimus, alteram, quòd  
ingenia ista in multiplici inventione & rationum,  
copiâ natant, & agrè expediunt aliquid, cui inst-  
stant. Quibus omnibus momento non cedit,  
illa, à Cl. Conringio observata, l. de Civ. Prud.  
c. 13. quòd veria ingenia sepe numero corrumpat  
vicia sustinencia, quosm rectè inquit Cicero, cum

*Sapientia non commiscetur, aut precipitantiæ sive nimia celeritas.*

§. III. Talis igitur ingenii fuere Aegyptii, de quibus Curt. l. 4. c. 1. §. 30. quod novandis, quam gerendis rebus, aptiores fuerint. Ex eadem causa Megarenses, Syracusanos, Athenienses, Florentinos, Genuenses crebrioribus Reip. conversionibus obnoxios fuisse Bodinus l. 4. de Rep. cap. 1. & ex eo Forstnerus ad lib. 4. Annal. Taciti p. 374. asseverant, testanturque simul, Athenienses, centum paullo minus annis, quinquies, Florentinos septies Reip. statum immutasse: id autem nec Venetis accidisse, nec Helvetiis, qui ingenio minus valent.

§. IV. Clementii VII. quid ingenii natura negavit? erat enim egregius simulandi dissimulandi que artifex, si credimus Petro Svavi, in historia Concilii Tridentini l. 1. p. 40. At hic, cum iudicium ingenio non satis miscuisset, quam infeliciter rem gessit? certe prodigam effusione beneficiorum secularium & regularium, summum culmen improbitatis attingisse, eum refert dictus script. l. 2. p. 224. Et luit sane istam culpam, fugam & amissione Romæ, exemplum ad posteros nimis memorabile.

§. V. Contra mites & ad res exacte ponderandas ac prosperè gerendas idoneos animos indicant sequentia exempla. Pomponius Atticus consecutus à natura fuerat perpetuam naturalem bonitatem, quæ nullis casibus neque augebatur, neque minuebatur. Eam interpretatur Joh. Erasmus Brochmand in Specimine Ethicæ Historiæ, c. 5. p. 385. *cautum & beneficium*

*iudici-*

judicium, & in momentis omnibus ponderandis perscrutandisq; diligentia, & in statuendo firmitate. solent quippe ejusmodi ingenia fere cum tarditate quâdam & cunctatione, & hinc acrius sequente oratione tractari, donec advocato animo, & in sese ad meditanda rerum momenta reducto, negotiorum vim sufficienti subtilitate penetrent, & certi quid decernant.

§. VI. Non aliud temere illustrius ejus rei exemplum occurrit, quam quod exhibent vno ore Romani Scriptores in Fabio Maximo: vocem commodet Plutarchus p. 280. *Sedatum ingenium ejus & taciturnitas, magnaque in fruendis puerilibus oblectamentis cautio; tarditas, ac labor in percipiendis literis, facilitas & obsequium ad-versus sodales, stultitie opinioe ei apud ignotos & ignaviae prae-buit. Stabilem vero altamque ejus indolem, & animi magnitudinem atque celsitudinem, pauci fere qui perspicerent. Coniurabat eam oratio plena solidae prudentiae, cum singulari praestantique lumine & gravitate sententiarum, quas cum Thucydidis sententiis compararunt. Haud minus composito & sedato animo fuit Cato minor, eoque ad praecleara quaeque gerenda aptior. Fama est, inquit de eo Plutarchus in vita, in prima statim aetate, mores voce, vultu & per ludum, praese tulisse, ubiq; inflexibiles, infractos & stabiles.*

§. VII. Eodem nomine Batavos commendare non dubitat Brochmandus, uti conjicio ex l. c. p. 388, ubi inter alia notat: *Ejus gentis non possunt cunctationem non probare, qui prudentiam & consiliorum firmitatem, gravitatemque laudant.*

Quid

Quid, quòd in univèrsùm de Germanis pronun-  
ciat disertissimùs Barclajus in Icone Animòrum  
c. 5. quòd prudentia apud eas, non subtilia ingenia  
passim habeat, sed veris maturisq; judiciis insideat,  
quæ & facile caveant suis rebus, & alienos errores  
despiciant, quò etiam eveniat, ut tarde, & cum-  
stantibus consiliis, ad tumultus concitentur, sed  
excitos longa tempestas & hominibus digna exer-  
ceat.

### APHORISMUS IV.

Prudentia, in rebus civili-  
bus spectata, haud exi-  
guam partẽ à memoriã  
gignitur & adjuvatur.

s. I.

**H**Æc enim continet in se multarum rerum &  
actionum imagines, è quibus collectis ex-  
furgunt præcepta vitæ rectè & salutariter insti-  
tuendæ, & aliorum laudabilibus exemplis in re-  
citudinis semitã confirmamur, à damnorum,  
verò præcipitiis, intuitu alienorum malorum,  
abstrahimur. Quòd si enim ex Aristotelis præce-  
pto non parum conferre ad facultatem civilem ex-  
perientia videtur, adeo, ut cum ipsa etiam consue-  
tudine & exercitatione de loco & dignitate certare  
posse videatur. 10. Eth. c. ult. quis negaverit, me-  
moriã, experientia fidelem promam condam,

à latere ipsi assidue esse jungendam? Disertè  
 rursus Aristoteles libello de virt. & vitiis: me-  
 moria experientiaque & industria aut à prudentia  
 proficiuntur, aut comes ejus unaqueque earum  
 existit, aut cause coadjutrices (συνοίμα) ejusdem  
 sunt. Unde rectius prudentiæ convenire Lipsi-  
 us judicat, quod alias vetus Poëta Afranius de  
 sapientia edixit: *Ufus me genuit, mater peperit  
 Memoria.* Omnium dilucidissimè Plut. de li-  
 berorum educatione p. 15. *memorie vis in discen-  
 do exercitata, non ad eruditionem modo conducit,  
 sed & ad civiles actiones non modicum adfert ad-  
 jumentum; nam præteritarum actionum memoria,  
 exempla præbet benè consultaturo de futuris.*

§. II. Adde quòd præcepta, & sententiæ ve-  
 terum, memoriis adolescentum impressæ, in ip-  
 sam ætatem adultam firmissimè durant, secùdum  
 illud Æschinis in Demosthenem: *eam ob causam  
 sententiæ veterum pueri ediscimus, ut viri eis  
 utamur.* Videatur Caselius in Propol. c. 19. Con-  
 trà, quicumque apti quidem sunt ad virtutem &  
 ἀρετήν, sed hebetes, & memoriâ parum validi,  
 nunquàm ad summum, discendi veritatem perveni-  
 ent, vel virtutis, vel vitii, scribit Plato ep. 7. ad  
 Dionis propinquos p. 1289.

§. III. Agite libabimus paucula exempla,  
 quibus memoria ad felicem civilium negotio-  
 rum tractationem haud mediocriter adminiculum  
 præbuit. Meritò hic agmen ducit Cyrus cum  
 suis militibus, quos suo singulos nomine appellasse  
 paratâ memoriâ tenebat, quippe omni absurdum vi-  
 dere-

deretur, officium mechanicum nosse singula artis  
suae instrumenta; & medicum quoque sua; sicut &  
remedia: imperatorem autem exercitus ita fatu-  
um esse, ut nesciat nomina subditorum Ducum,  
quibus si opus est instrumentorum loca uti, ut dum  
anticipare quid velit, & dum cavere, dum excita-  
re ad virtutem, aut terrere nititur. Ita quidem Xe-  
nophontem Latine loquentem adducit Piccar-  
tus Observ. Hist. Pol. Dec. 7. c. 8. Addatur Muretus  
lib. 3. variarum lectionum c. 1. Ex eadem causa  
Trajanum suum Plinius predicat in Paneg. c. 15.  
5. 5. quod milites prope omnes nomine appellaverit,  
quod singulorum fortia facta commemoraverit:  
Ottonem Tacitus 1. Hist. c. 23. quod in itinere, in  
agmine, in stationibus, vetustissimum quemque mi-  
litum nomine vocaverit.

§. IV. Ecce miraculum memoriae Mithrida-  
tem Ponti atque Bithynia Regem, qui a Cu. Pam-  
pejo bello superatus est! is quinque & 20. gentium,  
quas sub ditione habuit, linguas percullis, earum-  
que omnium gentium viris haud unquam per inter-  
pretem collocutus est: sed, ut quemque ab eo appel-  
lari usus fuit, proinde lingua & oratione ipsius non  
minus scire, quam si gentilis ejus esset, locutus est. Re-  
fert Gellius l. 17. Noct. Att. c. 17.

§. V. Julio Caesari ita indulgens fuit memoria,  
ut epistol. magni momenti quaternas pariter dictas-  
ret, aut si non aliud ageret, septenas; teste Plinio  
Nat. Hist. l. 27. c. 15. Hinc Cicero ad Labundum  
dixit; nihil solere Caesarem, praeter injurias, obli-  
visci. Alius Hadrianus eam gavissus est memoriz  
fide-



fidelitate, ut nomina plurima sine nomenclatura reddiderit, quae semel & congesta simul audierat, ut nomenclatores saepius errantes emendauerit: atque ut incredibilem mentis vim agnoscas, uno tempore scripsit, dictavit, audivit, & cum amicis fabulatus est. Si potest credi, inquit Spartianus cap. 20. omnes publicas rationes ita complexus est, ut dominus privatam quivis paterfamilias diligens non magis noscere possit.

§. VI. E recentiori historia arcessamus Fredericum I. & Maximilianum I. Imperatores, qui eam valuerunt memoriae pertinacia, ut omnium etiam infimorum, quibuscum vel semel locuti essent, longo post tempore recordarentur, & hominem nosset. Drex. in Aurif. P. l. c. 2. Propè autem omnes suo aevò, expeditæ & capacis memoriae felicitate, perennique vigore superavit Franciscus I. Galliarum Rex. Hic exactè nãrat, quid, & quantum peculiaris commentus unaqueque provincia superpedicare posset, quanam itinera, quae flumina ad confectiones opportuniora & viciniora forent, & quibus hibernis equitum alae celerissime convenirent, adeo, ut rationes itinerum, compendia navigationum, civitatum vel remotissimarum copias, praecipua rerum omnium subsidia & memoriae thesauri depromeret, sicut hæc ibid. Drexelius memorat ex Pauli Jovii hist. l. 37.

§. VII. In felicitatis hujus societatem advocamus Paullum Foxium Archiepiscopum Tolosanum, olim in Parisiensi curia senatorè, postea Anglicanã ac Venetanã diu & aliis legationibus summã cum prudentiã laude felicissimè defunctum.

Quos. Is, ex quò Parisiensi Senatu excessit, & legationibus obeundis operam suam addixit, cùm omne tempus, ex peractis negotiis reliquum, studiis impenderet, puerum seu ex jure, seu ex Cicerone aliquid recitantem attentè audiebat, & post recitationem eadem ipse memoriter recitabat, atque etiam interpretatione adjuvabat, ita ut lectorem & auditores ex domesticis, eadem operâ instrueret, & ingenium exercendo, altius memoriæ recitata infingeret, eaque consuetudine effecerat, ut, quoties cum principibus aut aliis, Regis nomine, de magnis negotiis ageret, & quæ audiverat, & quæ responderat, fideliter describenda curaret. Thuanus in comment. de vita sua.

## APHORISMUS V.

Naturales animi dotes non æquali excellentiâ, nec pari gradu, hominibus in existunt, sed pro diversis temperamentis variant; unde etiam varii mores & diversæ ad actiones morales inclinationes sequuntur.

**C**larè & ingénue docet id Aristoteles lib. 2. de part. anim. c. 9. *Profecto naturam sanguinis causam esse, cur per multa animalibus veniant, tum per mores, tum etiam per sensum, ratio est; materia enim totius corporis est; quippe, cum alimentum materia sit; sanguis autem ultimum alimentum habeatur; facit igitur, ut plurimum differentie existat, si calidus aut frigidus sit, si tenuis aut crassus, si turbulentus aut nitidus, & 2. de anima c. 9. t. 94. secundum sensorium hoc ingeniosi sunt, & non ingeniosi: secundum autem aliud nullum: duri enim carne, inepti mente, molles autem carne, bene apti.*

§. II. Atque hæc causa est, quod prodigii instar sit, si memoria, ingenium & iudicium in excellenti gradu concurrant. Nam memoria & ingenium requirunt substantiam cerebri ex humiditate, eaque aëriâ, constantem, ut species ac figuræ penetrantes eò facilius recipi, & firmiter retineri queant; unde videmus pueros, ob cerebri humiditatem, memoriâ & ingenio pollere: iudicium verò postulat consistentem cerebri firmitatem, ex melancholiâ (quæ frenum humorum dicitur) defœcata, & puro sanguine contemperata. Hinc Aristoteles lib: de mem. & reminisc. c. 2. *reminiscentiam, iudicii utique administram, dicit esse velut syllogismum quendam, eamque tribuit melancholicis.* Quò respiciens olim Heraclitus apud Galenum & Plutarchum, pronunciavit, *animam siccam esse optimam & sapientissimam.*

§. III. Et Philosophus univērsaliter asserere non dubitat, sect. 39. probl. quæst. 1. *homines, qui vel in studiis Philosophiæ, vel in rep. administranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis excelluerunt, melancholicos omnes fuisse: inque illum censum refert Herculem, Ajacem, Empedoclem, Socratem, Platonem, alios.* Quem locum dum laudant Conimbricenses, ad lib. 2. de Gen. & Corr. quæst. 4. art. 3. duo esse indicant, melancholicorum genera, unum eorum, in quibus multa inest bilis atra, sed calore fota, & clarò sanguine bilique attenuata, ac purpureo colore nitens; alterum eorum, qui abundant etiam atrâ bili, sed admodum siccâ frigidâ densâque & fœtulentâ, qui colore luridò ac plumbeò suffusi, frigidi ac male concoquentes sunt: & prius illud ab Aristotele d. l. intelligi docent.

§. IV. Quod si qui ingenium velox & memoriam omnium capacem ad reimp. attulerint, illi rarissimè, iudicio rebus gerendis idoneo, civilia metiri queunt. *Rarâ felicitate sociantur ista, scribit doctissimus Bœclerus ad Nep. vit. 2. c. 1. §. 4. Agrippam quidem, ait porrò, commendari eò nomine a Vellejo lib. 2. c. 79. quod fuerit per omnia extra dilationes positus, consultisque facta conjungens.* Subjicit etiam exemplum Alexandri Severi, quem Herodianus lib. 2. c. 9. laudat quòd fuerit *νοῦσαί τε ὀξύς, καὶ τὸ νοῦθ' ἐν ὀπίτελει σαί τ' ἀχὺς*: *promptus excogitandis, acer exequendis rebus.* At rara ista exempla quàm superentur plurium multitudine, ubi memoria & iudicium dissociantur, nimium quantum constat. §. V.

§. V. Sanè de Themistocle , Alcibiade , aliis-  
 que, jure dubitas , plume commodi eximia illorū  
 indoles, ac ingenium in omnia versatilo; an pericul-  
 li & damnis, patrie ipsorum astulerit; judicante,  
 ita elegantioris literaturę ornamentō eximiō,  
 Joh. Andreā Bosio in Agric. Taciti p. 21. Clau-  
 dio Tiberio Druso quā promptum ad literas  
 Græcas Latinasque perdiscendas animum natu-  
 ra concessit? quibus eò usque profecit, ut, hor-  
 ante Livio, libros XL, historiarum scribere non  
 dubitaverit. Quā verò liberali memorię be-  
 neficiō gavissus fuerit, inde intelligimus, quòd  
 otum Homerum ita comprehenderit, ut, feren-  
 e rerum usu & occasione, plusculos sæpè ejus  
 versus recitare in parato haberet. *Verum ne sic  
 eisdem quicquā dignitatis assequi, aut spem de se  
 commodiorem imposterum facere potuit. Mater  
 Antonia portentum eum hominis dicitabat, nec ab-  
 olutum à natura, sed tantum inchoatum: ac si  
 nem socordie argueret, stultiorem a se habet filio suo  
 laudat.* Videatur Svet. in vita, c. 3.

§. VI. Multum autem varietates istę dispen-  
 antur ac reguntur à diverso cœlestium siderum  
 influxu, & hinc pendente terrarum situ atque  
 indole, & , ut venustè loquitur Joh. Barclajus in  
 cone animorum c. 2. ut eisdem cibi, praecandenti-  
 m arte, saporem quidem mutavit, ceterum inter-  
 a vis alendi aut nocendi nullis blandimentis in sa-  
 um corumpitur; ita in omni gente, per æstus suc-  
 edentium seculorum, mores animosque mutantin,  
 eret quedam vis inconcussa, quam hominibus, pro  
 condi-

conditione terrarum, in quibus nasci contigerit, sua  
fata diviserunt. Unde etiam Plato lib. 5. de leg.  
seribit, vel ideo leges sapè cōtrarias ac repugnantes  
sanciri oportere, quòd pro locorum varietate, homi-  
nes alii aliis sint meliores ac deteriores.

§. VII. Et Præceptorum quæ ψηΦος Aristoteles  
7. Pol. c. 7. non tantum requirit in civibus, ad vir-  
tutem dirigendis, ut naturâ sint Δεονητικοὶ καὶ ἰο-  
φουοεθεῖς intelligētes & animosi, verum etiam triplici  
populorum differentiam ex locorum situ & natu-  
râ arcessit. Nam Europæos quidem, & qui fri-  
gidas regiones incolunt, animo abundare dicit, &  
pugnaces esse, ingenii autem obtusis & crassis, un-  
de etiam reip. ritè administranda minus sint gnari,  
nec admodum laborent fines imperii sui proferre,  
contenti, si libertate suâ quieti perfruantur. Asia-  
ticos autem, & qui è locis calidoribus natales du-  
cant, ingenii quidem vigore & sapientiâ præditos  
esse, ait, sed simul tamen molles & effœminatos, ade-  
que ad parendum & serviendum proniores. Qui  
autem inter hos interjaceant, Græci, eos regionis  
frigore & calore temperate, beneficiò, ingenii soler-  
tiâ, & animi virilitate valere indicat. Conferatur  
Bodinus in meth. Hist. c. 5. ubi rationes ista-  
rum differentiarum prolixè indagat, simulque  
addit, hanc esse causam, cur Romani summum  
imperium orbis terrarum populis australibus &  
Septentrionalibus extorserint, quia sc. Scythæ  
literis & prudentiâ, Australes armis & fortitudi-  
ne superârunt, itaque pulcherrimas nature do-  
tes ad disciplinam adjunxerint. Huc referen-

du

ultimū iudiciūm Senecæ lib. 2. de ira c. 16. Ferè imperiapenes eos fuere populos, qui mitiore cælo nutantur. In frigora Septentrionemque vergentibus inmansueta ingenia sunt, ut ait Poeta:

— — — suoque simillima cælo.

§. VIII. Quod si singulas gentes lustrare juverit, deprehendemus fidem mereri, quod olim scripsit gravissimus Massiliensium Presbyter Salvianus lib. 7. de Gubern. Dei. Omnes gentes habent, sicut peculiaria mala, ita etiam quedam bona. Scythiis natura dedit, quod Greci longâ sapientum doctrinâ, præceptisq; Philosophorū consequi nequeunt, ex Just. lib. 2. c. 2. Campanis molities cœli, & effusa terræ agrorumq; in omni generis fruges luxuries, domicilium superbix excitavit. Itali ingeniorum subtilitatem in varias morum formas tam vehementer intendunt, ut non malè dictum sit à Barclajo in Icónè Animorum c. 6. Non alibi sanctiorum virtutum exempla, pejorumve facinorum, quàm in Italicis animis cerni; & quod quidam de Atticâ dicebat, nullibi vel atrociorē cicutam esse, vel sôavis apes, exactis digestisq; floribus, cellas implere. Galorum levitas & temeritas per omnium ora differtur, & in eo omnes, præter Hieronymū, convenire, fatetur ipse Bodinus l. cit. nisi, quod adulaturus patriæ suæ, istam levitatem interpretari gessit, pro animi quâdam alacritate ac celeritate, quæ mediæ regionis homines omnium aptissimos ad agendum reddat. Hispanis innatus animi tumor, in quem suæ natura sponte nati sunt.

Et hic illis vitiorum ac virtutum causam, ait Bar-  
cl. cap. 7. libri allegati.

§. IX. Non alia autem magis gens plures vir-  
tutes cœlo suo imputare videtur, vitæque coër-  
cere laborandi assiduitate, quam foli primæva  
infœcunditas, nunc arte & industria correctæ,  
imponit, atque Germani. Nisi quod naturalem  
humanitatem, candorem, beneficentiam, ebrie-  
tatis confiniò corrumpunt. Coacti, per ex-  
ternum plagæ Septentrionalis frigus, spiritus at-  
cendunt bibendi cupiditatem, & palato confve-  
tudinem, semper aut natantem aut arentem, in-  
duunt: unde videas, etiam adhuc ab ubere pen-  
dentibus lagunculas, ad similitudinem uberis  
effetas, & hordeacio potui plenas, tradi in ma-  
num. Quin eo usq; dulcedo istius peccati ma-  
jores nostros lymphavit, ut Tacitus memoriæ  
prodiderit in Germ. c. 4. *minimè sitim tolerare  
assuevisse; & cap. 22. diem noctemque potando con-  
tinuare, nulli fuisse probrum: adeo, ut si indulseris  
ebrietati, suggerendo, quantum concupiscant, haud  
minùs facile vitis, quam armis vincantur. cap.  
23. §. 3.*

§. 10. Porro animadvertas, inter ipsos Germa-  
nos ingenia & mores, pro diversis cœli solivè cõ-  
ditionibus, fingi aptarique. Ita Francica natio  
*simplicior, ac magis rustica & vehemens; Bavarica  
sumptuosa, conviviis operam dans, procax; Svevi-  
ca levis, loquax, gloriosa; Misnensis magnifica, lo-  
cupha, speciosa; Thuringica diffidens, attentæ ad  
parva quoque contentiosa; Saxones dissimulatores,*

ver-



*versuti, contumaces; Helvetica natio conjurata, aspera, armentaria; Belgica equestris, delicata, tenera, quæ quidem ex Joachimi Camerarii Arithmologia Ethicâ, cum Doctissimo Rittershusio, in comment. ad Salvianum p. 303. & seqq. petere cōsultum duxi, ne cōvitium faciendo nationibus integris, maledicentiæ suspicionem incurrerem. Veruntamen ( ut porrò invidiam, mollire liceat, cum Camerario ) quoniam scitum esse putatur, sua vitia, quibus aliquis laborat, non ignorare; & nullagens, aut civilis congregatio, neque omnino genus mortale reperitur inculpatū penitus aut incontaminatū; perspicuens aliquis ignominiam gentis suæ aut letabitur, sentiens, se eā carere, aut conabitur illam deformitatem, tanquā à natura sibi attributam, exercitationis quasi comitu occultare, & futilitatem contentione virtutis detergere.*

§. XI. Quod si, juxta proverbium, αἰχμῶν ἀρχαί, ab ipso Lare incipientes, Noribergensium mores & actiones penitus introspiciamus, videbimus & ibi peculiare motus & inclinationes à cœlo trahi. Nam eos quidem agri sui sterilitas varias artes, opificia & mercaturam edocuit, sicut observatum est Bodino, in methodo hist. c. 5. p. 138. unde Bernegg. quæst. in Germ. Taciti 17. *Noribergam Athenis similem, ingeniorum fertilitate & soli sterilitate, pronunciat. Prolixius populi Noribergensis ingenium depingit Conradus Celtes, lib. de origine, situ, moribus, & institutis ejus civitatis cap. 7. ingenia, ait, utriusque*

*sexūs delicata & uasra, & qua ( ut à sapientibus quoque traditum ) locorum etiam situs firmat: ut Philotimos, honoris & gloria laudisque cupiditate maxime flagrent, paratâ ingenii simulatione, & læcri causâ nihil intentatum relinquentes; utq; apes diversos flores pervagantur, ut favum construunt, & alvearia ditent: ita illi à diversis regionibus divitias & opes conquirunt, urbiq; sue invehunt: inde plurimum sibi tribuunt, & ad vulgi ostentationem se accommodant, popularis aura venatores & aucupes. Urbs profectò omnium, qua in Europa aguntur, gnata, & nihil reticens, & sermonum avida, quæque sui generis, divitiarum, facultatum, magistratuû, & honorum respectum maximè inter se & peregrinos habere velit & cupiat.*

## APHORISMUS VI,

Sicut quidam à foli bonitate degenerant, ita nonnunquam evenit, ut ingenii felicitas vincat & excedat consuetam terræ natalis sterilitatem.

**I**ngenerantur enim nonnunquam, adversus  
 pertinacem loci infelicitatem, mores æquio-  
 res, & indoles vegetior, seu, quòd parentes na-  
 vos infitos jam correxerint, & nobiliora semina  
 in liberos transfuderint, seu quòd homines na-  
 turæ pravitatem, diligenti culturâ, & prudenti  
 assuefactione, superârint & exuerint. Festive  
 Antisthenes, cum ei quidam objecisset, quòd  
*matrem haberet Phrygiam: & Deorum*, inquit,  
*mater è Phrygia est;* ridiculum arbitrans, cui-  
 quam probro dari patriam; cum in damnatissi-  
 mis regionibus interdum nascantur ingenia fe-  
 licissima.

§. II. Ut exemplis etiam præsentem materi-  
 am illustremus, Septimius Severus Pertinax,  
 primus & solus Imperatorum Romanorum,  
 Lepti, Africæ civitate, oriundus, adversus bar-  
 bariem patriæ, elegantiam ingenii & morum bo-  
 nitate ita luctatus est, ut Cuspinianus non du-  
 bitet, cum appellare *hominem providum ac sobri-  
 um, cui omnia mirabilia adfuerint, præcipuèq;  
 ingenii acumen, laborum tolerantia, rebusq;  
 maximis aggrediendis singularis audacia;* unde Au-  
 sonius in Epigr. 21. de XII. Cæsaribus:

*Punica origo illi: sed qui virtute probaret,*

*Non obstare locum, cum valet ingenium.*

Simile quidem de alio Septimio Severo, itidem  
 Afrø, (fortassis illius paulò antea dicti proavo,  
 ut arbitratur cum Baronio Vossius) canit Stati-  
 us Papinius lib. 4. Sylvarum: Google

*Non sermo Pœnus, non habitus tibi,  
 Externa non mens, Italus, Italus;*

*Sunt urbe, Romanisq; turmas*

*Qui Libyam deceant alumni.*

§. III. Abderitæ, Græciæ populi, in stupor-  
 is infantiæque fabulam abiere, unde Martialis  
 lib. 10. Epig. 25. descripturus hominem pinguis  
 crassique iudicii, ait;

*Abderitane pectora plebis habes,*

illorum tamen regio genuit Democritum, Phy-  
 sicum acutissimum. Unde eleganter Juvenalis  
 lib. 4. l. 10.

*————— Cujus prudentia monstrat  
 Summos posse viros, & magna exempla daturus,  
 Vervecum in patriâ, crassoq; sub aëre nasci.*

§. IV. Rectè igitur Apulejus in Apologia:  
*Non simpliciter, ubi prognatus, sed ut morat9 quisq;  
 sit, spectandum; nec, quâ regione, sed quâ ratio-  
 ne vitam vivere intererit, considerandum. Et Vo-  
 piscus in Aureliano cap. 3. An Platonem magis  
 commendat, quod Atheniensis fuerit, quam quod  
 unicum sapientiæ munus illuxerit? An eo mino-  
 res inveniuntur Aristoteles Stagirita, Eliatesq;  
 Zenon, aut Anacharsis Scytha, quod in minimis  
 nati sunt viculis; cum illos ad cœlum omnis Philo-  
 sophiæ virtus extulerit?*

## APHORISMUS VII.

Præter mentis sive intelle-  
 ctus

Et us facultates, requiritur ad virtutem capef-  
sendam etiam in volun-  
tate sincerus virtutis  
amor.

§. I.

**D**Ocent & urgent hunc animi vigorem Ari-  
stoteles & Plato, qui quidem τὸ θυμοειδὲς  
vocant. Plato Lib. 6. de LL. θυμοειδῆ μὲν θεῶν  
καὶ πάντων ἀνδρῶν εἶναι, πᾶσιν δὲ, ὡς ἴθις μέγιστον  
i. e. omnem virum decet animi quidem vigor ac  
ardor, componere tamen idem ad facilitatem  
quandam morum se debet, quam licet maximè. A-  
ristoteles autem amicum, ac non minùs virtutis,  
quàm civilis salutis amantem animum requirit,  
non tantùm in omni eo, cui integritas & probi-  
tas cordi est, verùm etiam in illo imprimis, qui  
rerum civilium administrationem suscipere au-  
sit. lib. 7. Polit. c. 7. Quò etiam referri nonni-  
hil posse putamus illud 3. Eth. c. 7. Talis unicui-  
que finis apparet, qualis quisq; est; quasi dicat, ho-  
mines ferè iudicia sua formare de rebus, ut ea-  
rum cupiditate ducuntur, & fugâ aut detestatio-  
ne ab iisdem avertuntur.

§. II. Talem autem virtutis sinceræ avidam  
indolem cognosces, si deprehenderis, alienam  
esse à levitate, mendaciò, ignaviâ, avaritiâ, mo-  
rositate, invidiâ, contumeliâ, injuriâ, animi an-  
gustiâ;

gustia; ostendat cōtra virtutis certa fecūdaq; semina, comitatem, erectam simplicitatem, benefaciendi studium, amorem laboris, tolerantiam ærumnarum, contemptum invidiæ & calumniarum, cupiditatem inserviendi bono publico & his affinia, quæ cum virtutibus sunt, & ad virtutem ducunt. Videatur Caselius in Propolitico.

§. III. Illustre exemplum in Græcis se exhibet Themistocles, qui, cū Miltiadis Ducis res præclare apud Marathonem gestas celebrari audivisset, ad eum incensus est amore fortitudinis, ut *somnum sibi adimi Miltiadis trophæo dicitur*. Hæc generosus amore flagravit C. Marius à primâ adolescentiâ, cujus magna ista vox est apud Sallustium in Jug. c. 85. *ita ad hoc ætatis à puertitiâ fui, ut omnes labores, pericula consueta habeam*. Et paullo post: *Mihi, qui omnem ætatem in optimis artibus egi, benefacere jam ex consuetudine in naturam vertit*. Eodem ex metallo fusa gestarunt pectora Q. Maximus, Pub. Scipio, & alii præclari civitatis Romanæ viri, quos memorat idem Historicus sub initium jam laudati libri cap. 4. dicere solitos: *Cum majorum imagines intuerentur, vehementissimè sibi animum ad virtutem accendi, scilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in se habere; sed memoriâ rerum, gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quàm virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit*.

§. IV. Eodem igne caluit Alexander M. Nam cum puer admodum inaudivisset, Patrem Philip-pum, secundò victoriarum cursu, magnum sibi gloriæ decus acquirere, non est gavisus, sed æqualibus dixit: *Pater mihi nihil faciet reliquum. Subjicientibus illis: Patrem ipsi ista parare, Quid refert, inquit, si multum habeam, & agam nihil?* ut est apud Plut. in Apophth. p. 305. Diffusæ hinc multò post tempore flammæ in cor Julii Cæsaris, nisi quòd cupiditatem rerum laudandarum non satis cautè modestiæ limitibus circumscribere valuit. Nam cum apud Gades Alexandri M. statuam vidisset, illacrymâsse fertur, quòd, cum Alexandro nec ætate, nec conandi viribus inæqualis esset, nullum ipse memorandum facinus designâisset.

§. V. Ex recentiori historia sistamus Galeacium Vice-Comitem, Matthæi M. Mediolanensis Principis filium. Is adhuc puer, tantâ equorum & armorum cupiditate ardebat, ut in ætate istâ, impari talibus exercitiis, thoracatus ocreatusque ludicra certamina, equestresque ludos agitare, querereturque, admirante Othone patruo, quod adhuc neque patris, neque hostium acies vidisset. Refert Paullus Jovius in vitâ. Huc pertinet exemplum, quod ex Doctore suo Philippo Scherbio se audivisse memorat Piccartus, in oratione de indiciis bonæ indolis Phil. Altd. p. 652. de filio Hieronymi Fracastorii. Eum cum pater aliquando in prædium, negotii alicujus curandi causa, misisset, ipse verò famulum, cursu

curfu, affequi non potuiffet, rediens inde fortis  
 fuæ infelicitatem apud patrem deploravit, quod  
 ipfe ingenuus, & nobili genere natus, fervo cursus  
 pernitate inferior effet. Pater verò laboris &  
 gloriæ ftudium hinc auguratus, refpondit: Bono  
 efto animo, mi fili, nam qui te pedibus prævertit, is  
 ingenii & animi dotibus palmam tibi concedere  
 tenebitur.

## APHORISMUS VIII.

A participatione civilis fe-  
 licitatis non prorfus ex-  
 cludenda eft fequior fa-  
 cultas, quam fenfitivam  
 vocam, Aristoteles ap-  
 pellat, i. Eth. c. ult. τὸ Ἰν-  
 θυμικὸν καὶ ὅλως ὀρεκτικὸν.

§. I.

ETſi πρώτου δεκτικὸν beatitudinis Prædicæ fit  
 anima per effentiam & formaliter rationalis,  
 non tamen inſuper habenda eft in hâc πραγμα-  
 τεία, altera illa, inferioris quidem dignationis,  
 quæque aliàs cum brutis nobis eft communis,  
 fed quatenus in nobis exiſtit μετέχουσα πῆ λόγου,  
 aliquo modo particeps rationis, i. Eth. c. ult. & 7.

Pol.



**Pol. c. 14.** *eidemque obedire potest.* Igitur si constare sua felicitati ratio integrâ & incolumis debet, flectendâ est illa brutalis natura, ad obsequium superioris, tanquam dominæ, imperio quodam πολιτικῷ καὶ βασιλικῷ ut dicitur. **I. Pol. c. 5.** quod imperium ita est comparatum, ut inferior quidem leges accipere non dedignetur, sed tamen facultatem resistendi non omnem sibi eripi patiatur.

**§. II.** Hoc laudabile in se imperium masculè exercevit Agesilaus Lacedæmoniorū Rex: quod vel ex hac ab ipso prolata sententiâ liquet: *malle se in coercendis cupiditatibus superiorem esse, quam ad versariorum urbem, fortibus viris instructissimam, capere: præstantius enim esse, ut quis sibi ipsi servet suam libertatem, quam ut aliis libertatem adimat: ut est apud Plutarchum in Laconicis, pag. 353.* Concinit illud Poëtæ veteris:

*Fortior est, qui se, quam qui fortissima vincit  
Mœnia, nec virtus altius ire, potest.*

**§. III.** Nulli autem affectus pertinaciùs bella movent, quam Ira & Amor. Atqui illam fortiter debellare sustinuit Plato. Is cum à servo suo graviter esset offensus, veritus, ne modum vindictæ excederet, Speusippo amico castigationis arbitrium commisit, deforme sibi futurum existimans, qui servum emendaturus esset, iracundiæ servitium subite. Val. Max. lib. 4. c. 1. exemplo externo. Refert idem paullò aliter & venustius his verbis Seneca lib. 3. de ira c. 12. *postquam intellexit. (Plato) irasci se, sicut sustulerat.*

manum suspensam detinebat, & stabat percussuro similis. Interrogatus deinde ab amico, qui forte intervenerat: quid ageret? exigo, inquit, poenas ab homine iracundo: velut stupens, gestum illum servituri, deformem sapienti viro servabat; oblitus jam servi, quia alium, quem potius castigaret, invenerat. Simili victoriâ adversus seipsum usus est Tarentinus Architas. Is dum addiscendæ sapientiæ causâ, lateri Pythagoræ hærens, multo tempore, domo & agrò abesset, demum rediens, negligentiam villicî, rura corrupta & perdita esse deprehendit, intuensque malè meritum: *summissum, inquit, à te supplicium, nisi tibi iratus essem.* Val. Max. loco allegato, exemplo externo primo.

§. IV. Quò blandius & occultius nocet Amor, eò difficilioris res negotii est, laqueos ejus evitare. Effugit tamen aliquando Alexander M. cæterâ populorum magis, quàm affectuum domitor. Nam cum Darii filias, eximie pulchritudinis captivas haberet, monitus etiam, invisere eas recusavit, dicens: *sibi non committendum, ut, cum viros vicisset, à mulieribus vinceretur.* Erasmus lib. 8. Apophth. Idem, cum in Hlyriam pervenisset, ac in Jovis arâ animadvertisset mulierem formâ præstantem, pulchritudinem admiratus, spectavit, cumque Hephæstion diceret, *equum esse, ut ipse amatam cuperet;* Annon, inquit, hoc indignissimum esset, ut, qui in aliorum incontinentiam animadvertere velimus, ipsi incontinentiæ servire ab aliis deprehendamur?

§. V. Severioris porticūs autor, Zeno, nondum gnarus paradoxorum, à successoribus sparsorum, *sapientem affectibus concuti, sed non proferri, exemplo suo comprobavit.* Nam cum proximus assidens Cleanthi, amoris igni æstuarē se sentiret, surrexit: admirante id Cleanthe; *etiam à bonis, inquit, medicis audio, adversus inflationes optimum esse remedium, quietem.*

## APHORISMUS IX.

Ad felicitatis civilis officia, rectè & commodè ob-eūda, requiritur, ut sensus etiam externi benè valeant, & integri sint.

### §. I.

Cum enim animus ministeriō corporis utatur multum utique situm erit, in promptā facultate percipiendi res externas, & ad phantasiā, ac dehinc ad intellectum, citra magnam molestiam & impedimentā deferendas. Hinc si sensus aliquis, aut ejus etiam organum, graviter sit violatum, videmus animum ipsum operationibus suis haud adeò feliciter defungi posse. Unde Horatius lib. i. sat. 3. v. 63.

*Simplicior si quis, (qualem me saepe libenter  
Obtulerim tibi, Mecænas) ut forsè legentem*

*Aut tacitum impellat, quovis ferme molesto ;  
Communi sensu planè caret, inquit.*

§. II. Nempè etiam in moralibus fidem invenit universale pronunciatum Aristotelis I. Post. c. 15. manifestum est, si quis sensus defecerit, necessarium esse, & aliquam scientiam deficere, quam impossibile est acquirere : siquidem addiscimus vel inductione, vel demonstratione. Sive enim respicias universalium præceptorum comprehensionem, collecta ea est primùm ex inductione singularium, quæ sensibus sunt obvia ; si ve actionum moralium & civilium non minùs, quàm rerum physicarum *νεστησιον*, quod est experientia, illud ipsum quoque in sensum etiam necessariò resolvitur. Unde Philosophus I. Eth. c. 2. In hâc Philosophiâ principium esse docet, scire quòd sit : quod si satis evidenter declaratum fuerit ; cur ita sit, non magnoperè desideratum iri.

§. III. Non autem æqualiter sensus operam suam locare in felicitatis officio possunt. Nam gustus, olfactus & tactus ordinantur potissimum à natura ad sensilia dignoscenda, & appetitui sensitivo proponenda : magis autem disciplinis serviunt visus & auditus, ille quidem inveniendis, hic verò jamjam inventis addiscendis. Unde Aristoteles I. Met. c. 1. *ὅτι περὶ ὅλων, τὸ ὄρα καὶ ἀκούειν ἀντι πάντων, ὡς εἰπεῖν, ἴσων ἄλλων* ; sive, ut agamus, ipsum videre præ omnibus aliis, ut sic dicam, eligimus. Causa autem est, (pergit idem) quòd sensuum hic vel maximè nos cognoscere quicquam facit, multasq; differentias manifestat.

§. IV.

§. IV., Quod igitur primum attinet sensum visus, ita ille dirigendus, & in officio continendus est, ne sit dux & irritamentum scelerum. *Amoris voluptas ex aspectu gignitur*, ait Philosophus 9. Eth. c. 9. n. 7. Cui consonum est illud Plutarchi in Sympos. lib. 5. quæst. 7. *Amores, quibus nullus vehementior animis motus accidit, ab aspectu principium ducunt, adeo ut fluat, & quasi liquecat amans, cum intuetur id, quod amat, inq; id veluti transeat.* Et paulò post: *neq; tangeres & audientes ita vulnerantur & afficiuntur, ut cum inspiciunt & inspiciuntur.* Decet autem hominem frugi non manus modo, sed oculos quoque continere secum, ex monito Periclis apud Stobæum ferm. 16. unde Xenocrates, Platonis familiaris, dicere solebat: *nihil interesse, pedes an oculos in alienâ domo desigeres.* Eodem enim modo peccare, tum eum, qui oculos in loca, quo non convenit, verteret, quam eum, qui quo non licitum est vestigia verteret. *Ælianus l. 14. c. 42.*

§. V. Hôc in præliô victor victorum cluit, celebratus in sacrâ historiâ Jobus, cujus est cordata illa, & ad sanctitatem composita oratio, cap. 31. vers. 1. *pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarent quidem de virgine.* *Jesæus Philosophus, à quodam, qui elegantissimam ostenderat fœminam, interrogatus: num formosissima videretur? respondit: πικραυμα ὀφθαλμοῦ, desili laborare pro oculis.* *Erasm. l. 8. Apophth. p. 659.* Xenocrates tam severæ fuit verecundiæ, ut si quid vel in bestiis impudici videre contingeret, aver-

his illud & retortis oculis continuo damnaret. Prorsus autem Heroicus fuit spiritus Scipionis Africani, qui, quantumvis juvenis & caelebs, quantumvis imperator, superiorem in militia non agnoscens, ad eò arctè oculos sub imperio tenuit, ut *captivos pueros puellasq; præcipua pulchritudinis ne in conspectum quidem suum passus sit adduci, ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem oculis videretur.* Florus lib. 2. c. 6. n. 40.

§. VI. Non caruit tamen exemplò præviò Alexandri M. Nam & is, reportatâ de Dario gloriosissimâ victoriâ, Regis uxorem, ejusdemque sororem, exuperanti formâ mulieres, in conspectum suum deduci vetuit, ut eas ne oculis quidem suis contingeret, ut est apud Gellium, l. 6. c. 8. Hujus luculenti facinoris justâ æstimatione abreptus Freinshemius ad Curt. l. 3. c. 12. §. 15. totus in laudes Alexandri effunditur, verbis hisce splendidis & magnificis. *Hoc ego solum & unum opere maximò unice demiror & adoro, solumq; dignum arbitror, ob quod Graeci omnes, omnesq; gentes ora obvertant sua, & Orpheus cum Apolline Musisq; omnibus desudet. Tertium & vigesimum agebat annum, in flore & ardore virentis ævi: formidabat neminem, ab omnibus formidatus aut amatus; ticebat illi, quicquid libebat, in potestate habebat Reginas Asiae totius, & totius Orientis dominas, tantâ oris venustate omnes, uti Nympharum formas extinguerent; & his comparata Helena turpis, turpis ipsa Venus, ipsò Paride judice, videri potuerint. ab his oculorum illecebris non mo-*

ad oculos, & vim a corporibus abstinnit, sed nec  
 verbum fieri patiebatur, cum ipse illas oculorum  
 tormenta appellasset, apud Plur. c. 36.

§. VII. Propioris ævi exemplum unicum,  
 præbeat Maximilianus. Is non tantum suos o-  
 culos à libidinum irritamentis sedulo abduxit,  
 sed etiam, cum corpore & aliis membris pul-  
 cherrimus esset, ea, quæ natura celari voluit,  
 diligentissime occultavit, adeo ut nemo vir aut  
 femina nudum eum viderit, seu cum cubitum  
 iret, seu cum purgationes naturæ vocarent. Præ-  
 cepit etiam moribundus, ut mox sibi subligacu-  
 lum indueretur, ne pudenda ejus post mortem  
 quispiam videret. Videatur Cuspinianus in vitâ  
 p. 734. Lipsius in monitis & exemp. Pol. L. 2. c. 17.

§. VIII. Auditus autem sensus ita rationi est  
 subjiciendus, ne per illius canales impuritatis  
 quicquam in pectus defluat. Eleganter Plutar-  
 chus lib. de audiendis Poëtis p. 23. *neq; urbi porte  
 ceteræ clausæ id præstabunt, ut non capiatur, s;,  
 per unam aliquam hostes recipiantur, neque ado-  
 lescentem continentia adversus reliquas voluptates  
 adhibita conservabit, sicubi imprudens per audi-  
 tum se illis capiendum dederit.* Quinimò audi-  
 tus, quò mentem ac rationem propius attingit,  
 eò plus damni ac corruptelæ affert ea, per ne-  
 gligentiam admissa, illecebra. Hinc, ut est apud  
 eundem Plutarchum in alio libello de auditione  
 p. 62. *Xenocrates aurium munimenta pueris po-  
 nit, quàm athletic applicari jubebat; quòd ho-  
 rum aures verberibus, illorum aures verbis perver-  
 berentur.*

§. IX. Hanc aurium curam veteres indicabant exemplò Ulyssis; qui cum ad Sirenum insulam appulisset, instructus monitu Circes, Solis filiz, aures suas nautarumque suorum cerâ obturavit, ne mollibus Sirenum cantibus delinuti, & insaniam correpti, in propriam perniciem ruerent, ut est apud Homerum *Odyss.*: M. v. 39. & seqq. Fuisse etiam fertur tanta veterum cantorum modestia & temperantia, ut neque inter procos quidem Penelopes, turpia aut lasciva canerentur, quamvis alias essent juvenes ad nullum non intemperantiz genus projectissimi. Videatur *Natalis Comes* l. 7. *Mythol.* c. 15.

§. X. Gustus cura eò ardentius est habenda, quò crassior ille est, magisque materiz immerfus, & magis ad corpus, quam ad animum refertur, & cui adeò beluz esse addictiores solent. Quò enim animal validius indiget ad individui sui conservationem cibo ac potu, eò acriore impetu & voluptate ad ejus consecutionem fertur. Hominem verò, altioribus animi functionibus naturâ destinatum, à corporeis istis voluptatibus eò diligentius remove se decet, quò magis menti officiant, si imoderatius eas consecutetur.

§. XI. Sensum hunc diligentissimè rexerunt, veteres illi, frugalitatis laude inclyti Philosophi, utpote Pythagoras, qui, Crotonam veniens, homines in luxuriam prolapsos, autoritate suâ ita ad temperantia leges revocavit, ut aliquos ex his luxuriosos incredibile videretur, ut est apud *Justinum* lib. 20. c. 4. §. 5. & 7. Nec minus Socrates,



continentiæ laude eminere voluit; Zenonis opsonium caricem, & Xenocratis cascolus, proverbio locum dedere. Isæus, Sophista Assyrius, juventutis suæ, luxuriâ corruptæ, mores ita corripuit in ætate virili, ut, interrogatus à quopiam, *quis piscis, aut que avis ad vescendum suavissima esset?* responderit: *desi ista curare;* & adjecerit: *sensi enim me è Tantalii hortis fructus colligere;* inveniens, ejusmodi voluptates non majoris se facere, quàm fallaces umbras fructuum Tantalii aviditatem eludentes, de quibus Poëtæ fabulentur.

§. XII. Curius Dentatus, Imperator Romanorum militaris, raparum opsoniò famem expellere inventus est à Samnitum legatis. Alexander ab Alexandro lib. 3. Genialium Dierum c. 11. Julius Cæsar vulgari dicitur celebratus est, quod *unus ex omnibus ad evertendam remp. sobrius accesserit.* Svet. in vitæ. 53. Augustus Imperator cibi minimi fuisse, atque vulgaris ferè, eidem Historico in vitâ c. 76. memoratur; ita ut *secundarium panem, & pisciculos minutos, & caseum bubulum manu pressum, & ficus virides appetere;* vini quoque naturâ parcissimus fuisse dicitur, adeo ut in cenâ non amplius ter bibere sit solitus. cap. 77. Carolus V. convivia sua sine convivâ, moderata & frugalia, in publico ferè, ut omnibus ea spectare liceret, peregit.

§. XIII. Olfactus actiones vix animadvertuntur inservire homini, ad civilem felicitatem aspiranti, unde neq; reprehensioni multum fiunt obnoxia: *circa delectationes enim ejus, est temperan-*

rantia secundario, in quantum sensibilia ejus sensus referuntur ad delectabilem usum rerum necessariarum, quæ pertinent ad tactum: ut ferè loquitur Thomas secunda secundæ quæst. 141. art. 5. Respons. Est tamen, ubi fragrantia rerum benevolentium accendat cupiditatem immoderatam rerum, ad gulam, imò etiam ad Venerem pertinentium; quem morbum suum prodit anus illa Plautina in Curculione act. 1. s. 2.

*Flos, inquit, veteris vini meis naribus objectus est, Ejus amos cupidam me huc prolicat per tenebras: Ubi ubi est, prope me est. Evax! habeo, salve anime mi.*

*Sed cum adhuc naso odos obsecutus es meo,*

*Da vicissim meo gutturi gaudium, Hoc est, quod scribit Aristoteles 3. Eth. c. 13. Qui pomorum, vel rosarum, vel suffimentorum olfactu delectantur, minime vocamus intemperantes, nisi per accidens; sed eas potius, qui unguentorum aut oponsorum odore illiriantur, quippe cum his propterea oblectentur intemperantes, quia per hac in recordationem concupitarum rerum venire consueverunt.*

§. 14. Omnium autem sensuum contumacissimus & correctu difficillimus est tactus, quippe crassior, & magis cum materia commercium habens, quique nobis inest, non qua homines sumus, sed qua animantes, unde ab iis per tactum non distinguimur; ex 1. cit. 3. Ethicorum. Quibus autem hominibus sensus ille paulò liquidior & subtilior contigit, ii, cum à materia contagione magis

magis sint liberi, videntur etiam promptius animi operationibus fungi, adeoque ad civilem felicitatem aptiores esse, juxta illud 2. de anima t. 94. *duræ carne, inepti mente; molles autem carne, bene apti.*

§. 15. Ad hanc beluinam tactus cupiditatem serviliter abjectus fuit Sardanapalus, gulæ quippe & abdomini per omnem vitam deditus, unde sepulchro suo inscribi jussit: *ô hospes! Ede, Bibe, Lude! reliqua humana ne tanti quidem sunt.* In quod monumentum incidens aliquando Aristoteles, dixit: *Quid aliud in bovis sepulchro inscripsisses?* teste Cicerone lib. 5. Tusc.

## APHORISMUS X.

Felicitas civilis cum naturali virtutis amore debet esse conjuncta.

§. 1.

Videtur hunc honestatis amorem indicare Aristoteles 7. Pol. c. 7. ubi ait: *θυμὸς ὅστις ὁ ποιῶν τὸ φιλιτικόν: vigor animi est, qui vim amandi & bene volendi gignit.* Sicut enim quodvis aliud negotium eò feliciorè successu excipitur, si naturali quâdam ὀρεμῇ & cupiditate ejus trahamur: ita nemo ad insignem virtutis profectum pervenire se posse confidat, nisi vehementi honestatis amore flagrare se intus sentiat.

*Amor enim, ubi generosam adolescentis attingit in-  
dolem, in virtutem per amicitiam desinit: scribit  
Plutarchus lib. de amatoribus p. 425. Rectè igitur  
Philo Judæus lib. i. de vita Moysis, pag. 486.  
Optandum est, ut menti contingat absoluta modis  
omnibus virtutis species; sin minus, saltem certum  
huius acquirendæ desiderium.*

§. II. Talem indolem eluxisse in Cyro etiam-  
num puero Xenophon lib. i. refert. *Fuisse  
quippe animo præditum humanissimo & discendi,  
adipiscendique honoris avidissimo, adeo, ut nullum  
non laborem perferret, nullum non laudis gratiâ pe-  
riculum adiret. Quam inexplebilis virtutis a-  
more inflammatus fuerit Alexander M. docu-  
mentò non uno ipse probavit. Insigne præ ali-  
is est istud, quòd, cum intelligeret, patrem re-  
rum feliciter gestarum gloriâ animos & ora ho-  
minum occupare, ardens emulatione, quere-  
lam ad æquales detulerit, patrem sibi & ipsis ni-  
hil reliqui facturum, cum adoleo esset.* *Sustius*  
in supplem. l. i. c. 2. §. 18. Idem studium arguitur,  
symbolò eius, quod Aristoteli præceptorì, mo-  
nente, ne ante ætatem maturam bellorum negotiis  
parandæ gloriæ occasione se implicaret, aliquando  
occentavit. *undiv avabamouevoc.*

§. III. Hæc cupiditas in M. Catone adhuc  
puero, quòdam quasi flore efferbuit, cujus indi-  
cium vel illud esse potest, quòd, cum ad Livium  
Drusum Poppedius Silo Latinorum Princeps  
diverteretur, jus civitatis suis impetraturus, &  
familiariter cum Catone puero cavillans, roga-  
ret,

ret,

ret, ut intercessione sese apud Drusum avunculum juvaret; ipse constanti & terro vultu negavit, cumque Poppedius precibus minas adderet, & extra fenestram elatum, pendulum teneret, dejecturum se inde simulans; Cato nihil motus, persistit silentio negare. Adeo pertinax in amore patriæ & virtutis fuit. Videatur Val. Max. lib. 3. c. 1. Lips. monit. & exempl. Pol. 1. 1. c. 7. & si cui plura desiderentur exempla, petantur è vitis Plutarchi.

# ETHICÆ PARADIG-

## MATICÆ

### PARS III.

Quæ agit de virtutibus Moralibus, seu mediis, quibus Felicitas Civilis, acquiritur.

#### SECTIO I. CAP. I.

### APHORISMUS I.

Virtutis femina hominibus, innascuntur, etsi sæpe incultu & ignaviâ sopiri & extinguui soleant.

## S. I.

**A** Deo natales suos primævos arcessere, ut felicitatem, ita virtutem, ex ipso etiam Aristotele colligimus, ut indicant verba ἀξικωνησόμενα, quæ habentur i. Eth. c. 10. Si aliquid aliud est a Diis hominibus exhibitum donum, verisimile est, felicitatem (virtutem) quoque θεοδοτέον εἶναι, à Diis exhiberi, ac tanto magis, quanto ipsa omnium rerum optima est. Verum recte Philosophus, dum ex παυδείας lege considerat, causam universalem & multis effectibus communem, non posse causæ proximæ, & quæstioni propter quid satisfaciens vicem obire, alterius disceptationis esse docet, inquirere germanum illi, πρῶτον.

S. II. Etsi verò etiam natura prima bonitatis semina subministret, non tamen in culmum illa exire & exuberare in fructum possunt, nisi partim exquisita informatio, partim sollicita assuefactio & exercitatio ea foveat, rigeat, calefaciat. Quem enim fugere temerè exempla possunt eorum, qui in naturam suam injurii, pubescentem bonæ indolis florem suffocarunt, & in sterile lolium converterunt? Alexandrum M. mihi videte! Quam ille felicissimus iræ & incontinentiæ victor, fuit, antequam fortunæ blandienti manus victas præbisset! hanc orientem moderate & prudenter tulit, ad ultimum in avaritiam ejus non cepit; hanc deperdit, jam in superbiam & iram est prolapsus, cadibus in amicos inter epulas est grassatus, egregiasque bello viros, & tot gentium sætum domitores, indictâ causâ non veritus est occidere. Curtius l. 3. c. 12. §. 19.

S. III.

§. III. Quantum, quam brevi tempore à se ipso mutatus est Nero? is primo quinquenniò imperii, quod secundâ militum voluntate, anno ætatis 17. acceperat, ita laudabiliter administravit, ut, postquam initio statim, ex Augusti præscripto, imperaturum se esse professus esset, neq; liberalitatis, neq; clementia, nec comitatus quidem exhibenda ullam occasionem omitteret. Suet. in vitâ c. 10. At labentibus pauculis annis, sub humana specie vix mentem humanam retinuit. Haud meliùs egit Maximinus Imperator. Nam & hic, si Zosimo credimus, eximias, quibus naturæ beneficiò est gavissus, dotes, ipsa potestatis licentiâ prodidit, ita ut tandem curæ intolerabilis evaderet, ne quidem iis parcens, qui in summâ dignitate essent constituti; denique avaritiæ & crudelitatis modum nullum faceret.

§. IV. Ad recentiore[m] historiam si flectamus oculos, unus instar omnium subjiciatur animo Carolus Junior Imperator, à corporis pinguedine Crassus dictus. Is cum ingenii dexteritate non minùs, quam fortunæ, votis respondentis, obsequiis, id assecutus fuisset, ut omnia Francorum regna, quæ majores sui non sine magnâ sanguinis effusione obtinuerant, brevi sine conflictu occuparet, tandem propter ignaviam (ita prodit Cuspinianus in vitâ) à subditis, tanquam inutilis, imperio est depositus.

## APHORISMUS II.

Semina virtutum eliciuntur, & ad justam maturitatem perducuntur sedulâ prudentique institutione.

## §. I.

Sicut enim inculta & socordia torpescunt & degenerant, ita diligenti culturâ hominum ingenia virtutis amorem induunt, & in latam, copiosissimarum frugum luxuriam adolescunt. *Difficile autem est, rectam ad virtutem institutionem adipisci, nisi quis illic, ubi sub hujusmodi legibus vivitur, fuerit educatus, ut scribit Aristoteles 10. Eth. c. 9. n. 20. Nempè, ut pulchrè canit Palingenius in Capricorno:*

*Per magni refert etiam, quos quisque parentes accipiat, quò sit p. etò nutritus, & a quo instructus. Nam quos quis mores adhibet, & quas Artes à teneris didicit, retinebit adultus.*

*Illà diu durant, animisque tenaciter herent, Quæ nunquam a primis nascentes hausimus annis.*

§. II. Hoc probè cum animis suis reputantes Persæ, pueros Regios, qui annum ætatis decimum quartum excessissent, quatuor Pædagogis informandos committebant, quorum unus sapientissimus, qui Magiam Zoroastris, &



ea, que ad Deorum cultum pertinerent, item, instituta regia traderet: alter veritatem doceret; tertius temperantiam & modum coercendi affectus inculcaret, quartus adolescentes à metu muniret, & ad subeunda presenti animo pericula obfirmaret; quod refert Plato in Alcibiade dial. 1. p. 441.

§. III Vim & fructum hunc disciplinæ mirè sensit Themistocles: is enim, cum primam adolescentiam, otio & luxu corruptam, transmisisset, eam tamen adhibitâ institutione ita emendavit, ut ad frugem perveniens, suo exemplo demonstrare soleret, *ex asperis & indomitis pullis utiles aliquando equos reddi, modo recta illis disciplina contingat*: ut est apud Plutarchum in vitâ. Eâdem blandâ industriâ naturæ pertinaciam fregit Stilpo Megareus Philosophus, qui cum primum ebriosus & mulierosus esset, postea vitiosam naturam sic edomuit & compressit, ut nemo vinolentû illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit. Hâc arte usus Socrates, ita alius à se ipso evasit, ut cum Zopyrus physiognomon, qui se profitebatur, hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere, stupidum eum judicaret; ille expulsis vitiis naturalibus, inusitatæ sapientiæ & probitatis documentis, omnium in se admirationem & elogia converteret: quod utrumque exemplum recenset Cicero de fato cap. 5.

§. IV. Contra, qui de hâc re non sategerunt, suam & suorum salutem præsentissimo discrimini

mini exposuerunt. Quid enim aliud magis par-  
tas tantis laboribus Cyri laudes cum ipso sepe-  
livit, quam quod eam, quâ sibi ad immortalita-  
tis templum gradum struxerat, educationem, in  
filiis neglexisset? Apertè & sine figura Plato iudi-  
cat lib. 3. de LL. p. 815. *in ceteris quidem ipsum  
& ducem bonum, & civilis vitæ amicum fuisse; re-  
ctam vero disciplinam nullò pacto attingisse, nec ad  
rei familiaris administrationem animum unquam  
applicuisse.* Et paulò post, asserti sui rationem  
addens: *a juventutè, inquit, per totam vitam, mi-  
litiâ occupatus, mulieribus filios tradidit educan-  
dos, quæ ipsos, ut felices statim pueros, atq; beatos,  
nullius rei indigentes, sic educabant, ut prohiberent,  
nequis, utpote beatis, aliquâ in re adversaretur,  
cogentes omnes, quicquid ipsi dicerent aut facerent,  
laudare.* Nec dissimulat Plato, quò eventu ex-  
cepta fuerit tam malè consultata educatio. Sic  
enim tandem concludit: *Cùm igitur, mortuò Cy-  
rò, rerum potiti sunt, utpote qui deliciarum &  
impunitatis ac licentiæ pleni essent; primum alter,  
equalitatem non ferens, alterum interficit: deinde  
ipse, ignorantia ebrietateq; furens, principatum per-  
didit. Medi enim, ac quidam Eunuchus tunc di-  
ctus, ipsum tanquam amentem contempserunt.*

S. V. Proximè superiori ævo Sebastianus,  
Lusitaniæ Rex, exemplum exitu triste præbuit,  
quanti sit adolescentum animos decentibus for-  
mis non imbuti. Is enim, cùm anno ætatis deci-  
mo quarto, autoritatem imperandi, ex vana  
virtutis opinione, stolidè arripuisset, indolem

nec

nec absurdam, nec pravam, juvenili ferocia, (quam prava educatio acuit) moderationem animi præcipitante, ita corrumpit, ut, cum ad veram gloriam tendere debuisset, ejus umbram lætatus, ac vanis rerum delusus, spes supra sortem, consilia supra ætatem, & expeditionem supra vires susciperet, quã postremò se regnum, & florentissimum in exitium lacrymosò sine coniecit: sicut memorat Thuanus lib. 65. Hist.

§. VI. Hoc primæ concoctionis vitium, jam adultior factus, & imperio admotus Maximilianus I. Imperator, in se advertens, non correxit tantum, exemplò raro & memorabili, verum etiã detestatus est. Nam cum adolescens, informandus esset traditus cuidam Petro Engelberto, homini spinosis argutiis, & Logicis cavillationibus ætatem terenti, principalium verò studiorum imperito; agnitã demum in ætate virili præposterã docendi ratione, in mensã, multis adstantibus, dixisse fertur: *Si hodiè præceptor meus viveret Petrus, quanquam multa Præceptoribus debeamus, efficerem, ut ipsum institutionis sue pœniteret*: sicut ex ore Imperatoris audivisse se testatur in ejus vitã Cuspinianus pag. 725.

## APHORISMUS III.

Educatio publica potior  
& utilior est privatã.

**I**ta docet Aristoteles 8. Pol. c. 2. propositâ simul ratione potissimâ ejus utilitatis: *cum unus*, inquit, *sit finis civitati toti, clarum est, oportere disciplinam quoque esse unam & eandem omnium, & hujus curam esse publicam & non privatam.* Et paulò post: *oportet publicorum publice exercitationem fieri, & simul non debet quisque civis se suum existimare, sed omnes civitatis: particula enim civitatis unusquisque est, cura vero singularum particularum respicere nata est ad curam totius.* Similiter differit Philosophus 5. Pol. c. 9. maxime, ajens, *ad reip. stabilitatem facere, erudiri ad reip. disciplinam: nihil enim prodesse utilissimas leges, quæ à gubernatoribus decernantur: nisi moribus instituti, & disciplinâ imbuti in Republ. homines fuerint: si leges populares, populariter; si paucorum potentia, ad hanc ipsam gubernationem.* Vult indicare Aristoteles, in popularium Republ. iis præceptis occupandos esse teneros animos, ut paulatim condiscant, se in eam Rempublicam delatos esse, ubi olim alternis vicibus sibi parendum & imperandum sit: ubi optimatum prudentiâ salus publicâ dirigitur, sciant, sibi observandum esse illorum jussu ac placida, autoritatemque ejus ordinis sanctè colendam: ubi publicæ res ab unius nutu pendent, meminerint, ad eisdem mandata velut oracula esse attendendum. Videatur Muretus in Comment. ad 5. Eth. p. 319. Ex hac causa Brutum interfecisse liberos suos, judicat Clapmarius, quod in regno nati & educa-

ti, minus

ti minus ad popularem statum idonei viderentur. lib. 2 de arcanis cap. 10.

§. II. Idem equidem Philosophus 10. Eth. c. ult. palmam hanc folis Lacedæmoniis inter veteres tribuit, quòd *Legislator educationis & studiorum curam ibi suscepit: cum in plerisque aliis, hâc neglectâ, vixerint homines fere Cycloppum more, ubi paterfamiliâs contentus fuerit, dare jura uxori & liberis.* Enimverò præstò sunt etiam plura è veteri ævo exempla, quibus consultum fuit visum, ut in lumine publicarum scholarum profectus discentium maturescerent. Persæ pueros in primâ parte fori, quod Liberum vocabant, in omnium conspectu educari faciebant, teste Xenophonte in Pæd. Cyri cap. 4. Atheniensibus quoque hunc morem placuisse constat, quod jam Solone autore, *à Sægori i. e. cætu quodam in ludum intraverint, & Plato existimavit, infantes quoq; à nutricibus in certum locum, quasi ludum deferendos, per singulas tribus, ut observavit in,* notis marginalibus ad Quintil. inst. orat. l. 1. c. 2. Guilielmus Philander Castilioniens.

§. III. Simul autem ex eodem Quintiliano discimus, quanti fecerint publicam institutionem Romani. Certè ut anteriorum temporum mentionem jam quidem nullam faciamus, ipse Imperator Augustus Cajum & Lucium, quos sibi filios adsciverat, non tantum privatâ diligentia informavit, verum etiam ordinavit, ut in ludum literarium ingenui pueri pariter & virgines nondum adultæ, literis & bonis disciplinis in-

H

forman

formanda ventitarent. Trajanus verò adole-  
scentes ad quinque millia bonæ indolis, ex omni  
imperio, selectos, publicè ali curavit. Apud  
Iberos Sertorius magistros, artium liberalium,  
callentissimos, juvenibus ingenuis, stipendiò  
publicò conductos præfecit: ut hæc talia solle-  
git Alex. ab Alex. lib. 2. Genial. dierum. c. 25.  
Turcas quoque non abhorreere ab hac consuetu-  
dine doceri possumus à Salomone Schvveikero  
lib. 2. itiner. c. 30.

§. IV. Nec verò causæ nos destituant, quæ  
publicæ educationis utilitatem & commodita-  
tem nobis commendent. Nam 1. ipsi Præcepto-  
res in majore veluti theatro collocati, ampliore  
spiritu se ad diligentiam incitant, Quintil. l. 1. inf.  
c. 3. Præceptores ipsi non idem spiritus & men-  
tis in dicendo possunt concipere, singulis tantum  
præsentibus, quantum illâ celebritate audienti-  
um instincti. 2. ut idem monet, affvescunt pue-  
ri, in isto conventuum lumine, jam à teneris non  
reformidare homines, neque solitaria, & velut  
umbratili vitâ pallefcere; languescit cõtra mentem  
in ejusmodi secretis, & quendam velut in opaco  
situm ducit, aut tumescit inani persuasione. 3.  
amicitiæ inter æquales tractæ è studiis comu-  
nibus, sæpè in ætatem virilem, ipsamq; etiam se-  
nectutem durant, sicut de Pomponio Attico scri-  
bit Corn. Nepos, cap. 10. n. 3. quòd *quemcumque*  
*puerum in ludo cognovisset, cum eo per omnem vi-*  
*sam postea amicissime vixerit.* 4. emulatione  
mutuâ discipulorum crescit flamma diligentiz in-  
pecto-

pectoribus puerorum, & licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est ait d. l. Quintil. ubi plura in eam rem argumenta producit.

## APHORISMUS IV.

Exercitatio perfectioni virtutis ultimam velut manum imponit.

§. I.

Uculenter Plutarchus de Educ. puer. p. 2. c. 4. §. 1. quod de artibus & scientiis solemus, id etiam de virtute pronuntiandum est: Scilicet ad eius perfectionem tria concurrere: naturam nimirum, rationem & assuetudinem; rationem vero intelligi volo doctrinam, & assuetudinis nomine exercitationem. Sedulo hoc ad animos revocantes Persæ iis artibus, cives suos à primâ usque aetate imbuere fecerunt, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitari solent. Sanxerunt namque publicæ legis edictò, decem annis, postquam è pueris excefferunt, ad curias somnare ipe; cum civitatis custodiendæ, tum exercendæ temperantiæ gratiâ. Et tenebantur præstare esse in venatione, instructi arte & pharetrâ, ut ad bellica negotia acrius se pararent. Id etiam consuetudine eò adducebantur, ut manducarent, & ad frigora caloresque perferendos

atque etiam ad itinera & cursus exercerentur, quæ quidem & similia instituta recenset Xenophon, L. I. de institut. Cyri. c. 6.

§. II. Quomodo ad virtutem confirmaverint statem teneram Mithridates Ponti Rex, describit Justinus. l. 37. c. 4. §. 1. & seqq. *Non in convivio, inquit, sed in campo; non in vacationibus, sed in exercitationibus; nec inter sedales, sed inter cæquales, aut equo, aut cursu, aut viribus contendebat. Exercitum quoq; suum ad parem laboris patientiam quotidianâ exercitatione durabat, atque ita invictus ipse inexpugnabilem exercitum fecerat.* Nempe, ut ad eum locum, adscriptâ Vegetii sententiâ, notat Berneggerus: *exercitus, ex ipsa atque opere exercitii, nomen accepit, ut nunquam liceret oblivisci, quod vocatur.* Mithridatis autem exemplum expressit Jugurtha, saltim in juventute, virtutis germina, et si & ipsa postea spes fallentia, ostendens; apud Sall. Jug. c. 6. *ubi primùm adolevit, pollens viribus, decorâ facie, sed multo maximè ingenio validus, non se luxuriamque inertia corrumpendum dedit; sed, uti magnæ gentis illius (Africanæ) erat, equitare, jaculari cursu cum equalibus certare, & cum omnes glorianteiret, omnibus tamen carus esse; ad hoc plerumque tempora in venando agere; leonem atque alias bestias primus aut in primis ferire; plurimum facere & minimum ipse de se loqui.*

§. III. Hâc viâ ad virtutis & gloriæ magnitudinem gradum sibi struxisse se significat Marius apud eundem autorem ejusdem lib. c. 85. Sic



nimibi, confutaturus inimicorum convitia & contemptus, laudes suas ipse ingreditur: *illa mul-  
tò optima Resp. doctus sum; hostes ferire, praesidia  
agitare, nihil metuere, nisi turpem famam; hinc mem-  
& astatem juxta pati, humi requiescere; eodem tẽ-  
pore inopiam & laborem tolerare.* Majorem hanc  
laudem iisdem artibus retinere apud posteros  
voluit Meccenas in orat. sval. in Augustum Im-  
perat. quæ extat apud Dionem Cassium L. 2. Ita  
enim inter alia infit: *hoc quoque te summoperà  
horror, instituas, ut patritii equestrisque ordinis ho-  
mines, dum adhuc pueritiam agunt, ludos litera-  
rios frequentent: adolescentes autem facti, equos &  
arma tractare discant, utrinque publicis à doctori-  
bus certò stipendio conductis. Ita enim statim à  
puero discentes ac exercentes omnia, quæ adultis  
sunt usurpãda, ad omnia negotia aptiores habebis.*

## APHORISMUS V.

Virtus perfectè acquisita  
trahit secum comitem  
præsentissimam volu-  
ptatem.

### §. 1.

**P**ROBAT id Aristoteles, 1. Eth. c. 8. aliquot ra-  
tionibus, utpote quòd *illa res cuique volupta-  
tem adferat, in quâ diligenter versari soleat, quòd  
actiones virtutum sint per se jucunde; vir bonus*

autem non conlectetur, nisi quod per se est bonum & jucundum: quod cōtra nemo viri boni nomen mereatur, qui non honestarum actionum voluptate capiatur: neque enim, inquit, vel justum quempiam dixeris, qui justè agendo non delectetur, vel liberalem, qui liberalibus actionibus non gaudeat: & in aliis simili modo. Hinc Socrates rectè pronuntiavit: eos, qui se ad continentiam ac frugalitatem exercuissent, & longè plus habere voluptatis, & minus dolorum, quàm qui summâ curâ undique parârunt oblectamenta. Erâsinus in Apophth. L. III. p. 162. Hanc voluptatem Stoici à sapiente suo nunquâ abesse ingeminant. Sen. ep. 23. ad Lucil. *Nolo tibi unquam deesse letitiam. Volo illam tibi domi nasci: nascetur, si modo intrate ipsum sit. -- Animus debet esse alacer & fidens, & super omnia erectus. -- Hoc gaudium, de quo loquor, solidum est, & quod plerumque pateat introrsus.*

§. II. In hanc serenitatem expōrrigens frontem Marius, apud Sall. in bello Jug. c. 85. *Me quidem, inquit, ex animi mei sententia nulla oratio ledere potest: quippe vera, necesse est bene predicet, falsam vitâ moresq; mei superant. Cui succinit illud Titi Vespasiani Imperatoris, apud Xiphilinum in vitâ: nemo, inquit ille, me injuriâ afficere aut contumeliâ potest; quia nihil ago, quod ledere alios posset.* Etiam Lipsius animum pascere hâc lætitiâ solitus est, ut ex his ejus verbis patet, quæ habentur Cent. 1. Sel. Epistolarum ep. 77. *Mibi sententia de me, non nisi apud me fertur: nec quis sim, alium rogo. Internò isto iudice, si probum*  
audiam

*audiam, quid addent aut dement mihi hi sermo-  
nes?*

SECT. I. CAP. II.

De materiâ virtutum, eâque in-  
ternâ, quæ sunt Affectus.

APHORISMUS I.

Virtutis studioso maxi-  
mum negotium faces-  
sunt affectus compe-  
scendi, & in ordinem  
redigendi.

§. I.

**N**on equidem exuere virum bonum affecti-  
bus fatagunt Peripatetici; sed potius eos re-  
linquunt, in materiâ acuendæ fortitudinis, &  
exercendæ constantiæ; nam neq; ex illis boni vel  
zali dicimur, neque ex iisdem laudari aut vitupe-  
ari consuevimus; non enim, qui timet, aut irascitur,  
laudatur; neq; qui irascitur, absolute vituperatur:  
sed qui quodammodo ita afficitur: ait Aristoteles 2.  
th. c. 4. Interim stupidos istos, & naturâ ad  
eruiendum factos famulos, intra gyrum hone-  
tatis cogere, & ad modum mensuramque infle-  
tere, hoc opus, hic labor est.

§. II. Successu tamen sic satis felici, præter alia pietatis, in sacris tabulis commendata, miracula, Josephum, Jobum, Moſen, Davidem, fuerunt etiã inter τὸν ἔξω, qui domestica sua mancipia domuerunt, propriò Marte, nec divinitus adſcitã aut confirmatã industriã: Ecce, quã repreſſerit bellacem virtutis hoſtem & inſidiatorem, Amorem, Scipio Africanus! is captivos pueros, puellasq̃, præcipue pulchritudinis, barbaris restituit, ne in conſpectum quidem suum paſſus adduci, no quid de virginitatis integritate delibãſſe ſaltim oculis videretur. Fl. l. 2. c. 6. n. 40.

§. III. Odio fibulas impoſuit M. Æmilius Lepidus his Conſul & Pontifex Maximus, qui cum diutinas ac vehementes inimicitias cum Fulvio Flaccò ejusdem amplitudinis viro, paſſiſſet, tandem quamprimũ audierat, ſe ſimul cum eò Cenſorẽ pronunciarum eſſe, in campo depoſuit, exiſtimans, eos non debere privatis odiis diſſidere, qui publice ſummã juncti eſſent poteſtate Val. Max. l. 4. c. 2. exemplo I.

§. IV. Superior evaſit contumace aliã adverſariò noſtrò, Iræ adfectu, Plato. Is, cum parato jam ad verbera ſuſtinenda ſervo immineret, poſtquam irã ſci ſe intellexit, manum ſuſpenſam deſiſcit, ſtans percuffuro ſimilis; interrogatus deinde ab amico, qui forte intervenerat; quid ageret, exigo, inquit, pœnas ab homine iracunda: veluſtupens, geſtum illum deformem ſapienti viro ſervabat, obliſtus jam ſervi, quia alium quem potius caſtigaret, invenerat. Itaque abſtulit ſibi in ſuo

poteſta

potestatem, & ob peccatum committor; tu, inquit, Speusippe, servulum istum objurga, nam ego irascor. Sen. lib. 3. de Ira, c. 12. Plutarchus de serâ Numinis vindictâ. p. 201.

§. V. Solicitum adversus pericula excubitorum, Metum, magni animi fiducia de arce mentis deturbavit Antigonus Secundus, Demetrii filius, Syriæ Rex: Is navali præliô cum Ptolemæi Legatis congressurus, dicente gubernatore, multo plures numero esse hostium naues: me verò, inquit, ipsum presentem quam multis comparas? Plut. in Apophth. p. 348. Haud minoris spiritûs erat illa Julii Cæsaris ad trepidum gubernatorem vox, cum nocte concubiâ, ardente ventis mari, speculatoriô navigiô veheretur: quid times, inquit, Cæsarem vobis? Fortunæ scilicet obsequentis beneficiô è tot periculis eluctatum. Florus. l. 4. c. 2. §. 37.

§. VI. Letitiam habens addustoribus temperavit Philippus Macedo. Ei cum nunciatum esset, unô die multas res simul feliciter gestas esse: nam eodem tempore tethrippô vicerat in Olympiis, & Parmenio Tarnenses præliô fuderat, & Olympias ipsi masculum foetum erat enixa; porrectis in cœlum manibus exclamavit; & ô fortuna, inquit, pro tot tantisq; beneficiis levi quôpiam malô me affice! Ver cordatissimus non insolenter gessit, ob rerum successum, sed fortune indulgentiam suspectam habuit, cuius ingenium esse novit, ut, quibus existium molitur, his prius novâ rerum prosperitate blandiatur: ceu subjicit ad exemplum memoratum Erasmus Apophth. l. 4. in initio.

- §. VII. Mœrerem in potestate suâ habuisse, testatum fecit Anaxagoras. Is, auditâ morte filii; nihil inquit, mihi inexpectatum, est novam nuncias: ego enim illum, ex me natum, sciebam esse mortalem. Aelianus lib. 3. variarum c. 2. qui sequenti cap. 3. simile refert de Xenophonte Socraticæ disciplinæ alumno. Huic, rem divinam obeunti, nunciûs quidam ex Mantineâ dixit, filium eius Gryllum defunctum esse. At ille solum coronâ ( lætitiæ apud veteres signô ) depositâ, in sacrificando perstitit. Cùm verò nunciûs etiam illud adjiceret, eum cum victoriâ mortuum esse, receptam coronam iterum imposuit. Alius ( addit Valerius Maximus post ista narrata, lib 5. c. 10. ) removisset hostiam, abjecisset altaria, lacrymis respersa thura disjecisset; Xenophontis corpus religioni immobile stetit, & animus in consilio prudentiæ stabilis mansit: Nam dolori succumbere, ipsâ clade, qua nunciata erat, tristitia duxit.

§. VIII. Etiam Misericordiæ suum esse ponendum modum censuit; Vir spectatæ, & nec ab invidiâ culpandæ probitatis, Cato. Nam cùm Cæsar paulò benignius, quàm hominum perditè improborum deplorata audacia merebatur, agi arbitraretur; tum ille sine figurâ professus, locum lenitati amplius non superesse; ista vobis, ait, rogatus sententiam, mansuetudo & misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam vertos. Sall. in Conj. Catil. c. 52. Ex eâdem mente crediderim profectum illud Senecæ, de vita Beata c.

24. quibusdam non dabo, quamvis desit i qua, etiam si dedero, erit defuturum.

§. IX. De inique Emulatione, velut virtutis magistrâ, utendum est, ne in invidiam aut tyrannidem degeneret. Nunquam enim in rerum honestarum certamine superari turpe est, dummodo arma non projicias, & victus quoque velis vincere: ait Seneca lib. 5. de Benef. c. 2. Expressisse eandem sententiam videtur Dominicus Badius Cent. 2. ep. 9. In eo genere certaminis, qui victoriam reportat, immortalem gloriam assequitur, & à bono vinci, nullum est probrum, imo laudi apponitur, si is, qui recessit inferior, sibi conscium sit, nihil ab se pratermissum, quo minus aut par, aut superior evaderet. Ex hoc fonte fluxit sapiens consilium Scipionis Nasicæ, qui Carthaginem, multa quantumvis pericula & damna Romanis creantem, vel eò nomine delendam esse negavit, ne metu ablatò emulae urbis, luxuriari felicitas Urbis inciperet; ut est apud Florum lib. 2. cap. 15. n. 5. In eandem sententiam respondit apud Plut. in Lacon. Cleomenes, interrogatus: cur Argivos devictos, qui sæpè bellum contra Spartanos susceperint, non deleverit? nequaquam, inquit, delendi nobis sunt, ne desint, qui juvenes nostros exercent.

SECT. I. CAP. III.

APHORISMUS.

Mediocritatem esse men-  
suram

suram actionum honestarum & laudabilium, nullius non ævi sapientes agnoverunt.

## §. I.

**I**ta pervagata est in animis priscorum Philosophorum sententia: *Μὴδὲ αἴψαν, ne quid nimis*; ut ferè in incerto sit, cui primo auctori sit assignanda. Sunt enim, qui Bianti tribuunt, sunt, qui Soloni, sunt qui Thaleti. Cleobulo vindicatur illud: *πᾶσι γὰρ μέτρου ἀριστον*. Nec desunt, qui ad Homerum velut fontem referant. Translata est deinde ista sententia ad Academiam & Lyceum. Socrates interrogatus: *quenam esset potissima juvenum virtus? nihil nimis*, inquit: ut est apud Laertium. In Aristotelis Schola idem præceptum utramque paginam facere, nemini vel mediocriter in illo versato obscurum esse potest.

§. II. Depicta etiam ista sapientia fuit poëtarum penicillis, & exemplis fictis adumbrata; quale est illud Dædali, filium suum Icarum instruens, ut mediö limite currat, ne, si demissiori feratur, pennæ aquis graventur; si altiùs volitet, liquecant ceratæ alæ. Ovid. lib. 8. Met. fab. 3. Et alterum istud, Solis patris, Phaëtonem, filium monentis, ne in gubernatione currûs sibi commissi nimis in sublime feratur, nec terras propiùs contingat, & noxam inferat. l. 2. Metam. fab. 4.

§. III. Al-



§. III. Alphonfus, Arragoniæ Rex, dicere solitus est, *optimum fore & peroptandum, si voluntas nostra inter amorem & metum media intercederet: ut quantum amor ad excessum, tantum metus pelleret ad defectum.* Maximilianus I. Imperator Apophthegmate hęc familiari gavisus est: *Mensuram tene, & respice finem.* Ei geminum est alterum: *semper cum cautione: allegete mit Hut.* Cui ut festivitatis gratiam adderet, pileum appingere solitus est. Vide Reusn. in symb. Cæs.

## SECTIONIS I. CAP. IV.

## APHORISMUS,

Finis virtutum γνήσιος & proprius debet esse unica honestas.

## §. I.

Raros equidem invenias virtutis cultores, quos solus recti decor, præmiorum dulcedine non illitus, moveat, quin potius plerosque gratis pœnitet esse probos, ex illò Ovidii lib. 2. de Pontò el. 3. Ut aded ex vero scripserit Aristoteles 2. Eth. c. 9. *Rectè facere, & rarum est, & laudabile, quemadmodum etiam honestum: tamen, si veteres annales consuluerimus, suppetent etiam, qui nullâ, nec lucri, ac ne quidem gloriæ aviditate ducti, sed solius honestatis autotamentò moti, vitia fugerunt, & probitatem se-*

§. II. Ejus monetæ homines, cum votò finerit, monitis formare conatus sit Socrates; quis dubitet, quin à suo, quod ajunt, *Lare incipiens*, exemplar in se expresserit? dicebat enim, *expeditâ & compendiariâ viâ eos ad gloriam pervenire, qui id agerent, ut, quales videri vellent, tales etiam essent.* Quâ quidem predicatione (ita non imprudenter judicat Val. Max. ista referens l. 7. c. 2. exempl. extern. 1.) aperte monebat, ut homines ipsam potius virtutem, quàm umbram ejus cõsectarentur.

§. III. At exempla fortassis desiderantur? è Græcis sistamus Antalcidam Spartanum: is, cum in Samothraciâ sacris initiaretur, rogatus à sacerdote, *quid egregium patrâisset in vitâ? si quid, inquit, mihi tale peractum est, sciunt ipsi Dii. Existimans ineptum, commemoratione suorum gestorum se Diis commendare, qui, sive predicaret sive taceret, nihilominus noverint.* Ita refert Erasmus Apophth. lib. 1. p. 44.

§. IV. De palmæ hujus, non operosè affectatæ, sed tamen invitum blandè vestigantis, gloriâ, controversiam meritò suo faciat M. Cato: hic virtuti simillimus, & per omnia ingenio Diis, quàm hominibus propior, nunquam recte fecit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non poterat: ut Vellejus Paterculus lib. 2. cap. 35. admirandus eum deprædicat; vel, ut calculò suo obfignans idem præconium, Sallustius, loquitur in Catil. cap. 54. *esse, quàm videri bonus malebat: ita, quò minus gloriam petebat, eò magis illam assequere.*

sequabatur. Eodem elogiô Agricola suum, maectans Tacitus cap. 9. num. 6. scribit, quòd ne famam quidem, cui etiam boni sepe indulgeant, ostentandâ virtute, aut per artem quaesiverit.

§. V. Similem animi magnitudinem in Tito Aristoneprehendens Plinius junior admiratur lib. i. ep. 22. utpote qui nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam retulerit, recteque facti non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petarit. Tam generoso spiritu suffultus Seneca lib. de Vita B. c. 20. nihil inquit, opinionis causâ, omnia conscientia faciam: populô teste fieri credam, quicquid me consciô faciam. Non minus altum animum spirat illud ejusdem lib. 3. de ira c. 41. Conscientia satisfiat: nil in famam laboremus: sequatur vel mala, dum bene mereâr. Cui consonum est illud Joh. Caselij, antiquos mores, & melioris ævi prudentiam, in seculum suum reducens, libello de Ludo literario rectè âperiendo, sub finem: Praclarum est, per se de mortalibus bene mereri, & secura est vita honesta obscuritas, nullius egens, cum animi tranquillitate, à qua non absit & cre bonarum artium studium. Libet subjungere in hanc rem jambos tersissimos Dominici Baudii, quem à primâ usque adolefcentiâ tenerè mihi amatum, velut aliquod numen in veteri lûco colere gestio Sic autem ille, lib. i. Gnomarum, carm. 7.

*Virtus ob ipsam percolatur, laus comes  
Sequatur ultro; laus amarricio modo*

*Prensat fugaces, & secutores fugit.  
 Sperti praecipat, quam vocatibus peti;  
 Clam possideri, quam precario, cupit.  
 Perit, pro cari si palam partes agit.  
 Cupido fama, non honesti dignitas.*

## SECTIONIS I. CAP. V.

De Principiis Actionum Humanarum.

### APHORISMUS I.

Ad omnem actionem moralem requiritur notitia circumstantiarum, & libera electio.

#### §. I.

**I**ndicat id Aristoteles lib. 6. Eth. c. 2. ubi, postquam tria in animo esse docuerat, quae in actionem & veritatem quasi dominatim habent; sensum, mentem, appetitum, & ex his tribus sensum nullius actionis principium esse; reliquum fecit, intellectum & appetitum, eumque rationalem, principia saltem remota esse actionum humanarum. Unde contra, si alterutrius facultatis motio absit, actio ipsa moralitatem obtinere amplius nequit: nam si desit cognitio, oritur actio invita  
 sper

per ignorantiam: si appetitio, aut voluntatis inclinatio abfuerit, dicitur invita per violentiam. Unde Aristoteles aggressurus III. Eth. geminos hosce actionum moralium fontes, necessario definiendum esse ait eis, qui virtutis vim naturamque quaerunt, id quod spontè & quod invite fit, quia in iis rebus, quas spontè facimus, laudes & vituperationes nos sequuntur, iis contra, que inviti facimus, venia atq; etiam misericordia tribuitur.

§. II. Ut igitur premamus vestigia ordinis Aristotelici, intercipiuntur primum actus externi seu imperati, cōtra inclinationem & appetitionem internam, per violentiam principii externi, seu extra patiens constituti. Exempla uti passim sunt obvia, ita in iis operosè colligendis labori parcere possumus; sufficiant ergò paucula. Tempore Diocletiani Imperatoris, Christiani abrepti, ac pedibus etiam protracti à cohortibus militum, ad impurissima & scelestissima sacrificia; animum flagitiò non contaminarunt. Ut enim memorat Eusebius l. 8. Hist. Eccl. c. 3. *Alius reclamabat, magnâque voce sacrificasse se negabat, alius Christianum esse se clamabat, & de confessione salutifera appellationis gloriabatur, alius se nec sacrificasse, nec sacrificaturum unquam cōtendebat.*

§. III. Hac ipsâ de causâ reprehensionem effugerunt sanctæ virgines, quibus circa eadem tempora libidinis vis illata fuit. Sic enim pie ac prudenter judicat Augustinus l. 1. de C. D. c. 16. *si imprimis positum atque firmatum, virtutem, quâ rectè vivitur, ab animi sede membris corporis impera-*

*imperare; sanctumque corpus usu fieri sanctæ voluntatis; quâ inconcussâ ac stabili permanente, quicquid aliud de corpore vel in corpore fecerit, quod sine peccato proprio non valeat evitari, præter culpam esse patientis.*

§. IV. Manifestum non minùs effrœnatæ crudelitatis, quàm violentæ actionis dicam, an passionis exemplum, quod evenit proximè superioris seculi Anno 63. in expugnatione Nonnæi Galliæ oppidi, à Protestantibus inhabitati refert Mich. Caspar Lundorpius in Cõtinuatione Sleidani p. 300. *Mulier, inquit, quædam è latebris, in quas, ad evitandum militum furorem, se unâ cum marito receperat, educta, & in conspectu ejusdem contumeliosissimè constuprata fuit: post gladium jussa stringere, in quem usum ignara, (regebatur enim alienâ manu & à tergo ab aliis impellebatur) in virum incumbit, eundemque letali ictu conficit, non contentô milite innocentis fœminæ pudicitiam violâsse; nisi etiam innocentes muliebres manus mariti sui sanguine contaminâisset.*

§. V. Quòd si notitiam circumstantiarum opprimat, vel eripiat ignorantia antecedens voluntatem & invincibilis, seu talis, quam vir prudens & necessariam diligentiam adhibens vitare, notitiamque sibi comparare non potuit; tùm factum, ex istâ ignorantia prodiens, itidem moralitate caret, & nec honestatis laudem mereri, neque vituperio obnoxium esse potest.

§. VI. Circumstantias illas velut per saturam recenset Aristoteles l. 3. Eth. c. 3. Harum prima est

est **QUI** vel **Persona**, aut **Personæ Qualitas** & **conditio**. **Personæ** patrociniò se defendens **Abimelech**, **Rex Gerar**, veniam apud **Deum** invenit, quòd ignorans, **Saram** esse uxorem **Abrahami**, in ædes eam suas deduci fecit: mortem namque minitanti **DEO**, respondit: *in simplicitate cordis mei, & munditiâ manuum mearum feci hoc*. Quam responsionem æquo animo recipiens **Deus** ait: *& ego scio, quòd simplici corde feceris, & ideo custodivi te, ne peccares in me, & non permisi, ut tangeres eam*. Gen. 20, 5. & 6. Ex eodem fundamêto culpam à se deprecatus est **Paulus**, cùm in principem sacerdotum acerbiùs esset invecus: *Nesciebam*, inquit, *Principem sacerdotum esse*. Act. 23. v. 5. Ex **Aristotele** huc referendum exemplum **Meropæ**, **Regis Corinthiorum Polybii**, uxoris, quæ filium **Ctesiphontem**, quasi sub specie hostis sibi obversantem, interficere voluit. Apud **Plautum** in **Capt. Hegio** filium unicè dilectum, **Tyndarum**, vinctum in lapidicinas detrudi, & arctè serviliterque haberi jussit.

§. VII. Altera circumstantia est **TI**, **QUAENAM** fit **RES** vel quodnam factum? Unde excusationis locum invenit apud **Areopagitas Æschylus**, qui quædam comprehensa inter sacra **Eleusinia**, seu **Cereris**, (quæ alioquin enunciare nefas erat) publicavit; ignorans, ista esse è numero eorum, quæ reticeri oportuerat, ἀγνοῶν ὅτι ἀπόρρητα ἦν, ut loquitur interpret. Hunc locum illustrare fortassè potest recentius **Erasmii** exemplum. Is,

cum aliquando evocatus ab Henrico VIII. Angliæ Rege, super negotio religionis, & post aliquot colloquia dimissus esset, auctus munere 50. Angelottorum, incidit in Inquisitores, & pecuniâ privatus fuit, relietò tantò viaticò, quantum satis videbatur, ignarus legis, quâ cautum erat, ne quis ultrâ necessarium viaticum, aurum vel argentum ex Angliâ secum auferret. Tum Erasmus, ut aliàs ad rem sic satis attentus erat, ægerrimè ferens jacturam tot aureorum, rediit in aulam Regis, & exposito damno, non solum priorum 50. restitutionem, sed etiam alios 50. aureos impetravit, ab ignorantia legis veniam cōsecutus. Referunt Melchior Adami in vitâ Erasmi p. 89. & 90. & Frölichius in Viatorio lib. 1. part. 3. p. 184.

§. VIII. Ignorantia ejus Quod Est, *αἰσῆ* seu OBIECTI, tollit aut levat facti invidiam, cum illa circumstantia inter *τὰ κρυψώτατα*, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις, numeretur ab Aristotele 3. Eth. Ex hoc capite, etsi non à fornicationis, tamen ab incestus crimine absolvi potest Judas in sacris, Gen. 38. v. 14. & seqq. quod Thamarem, quam velò tectam ignorabat esse nurum suam, compresserat. Nec Harpagus crudelitatis insimulari potest, quòd filium, ab Astyage Persarum Rege jugulatum, & in frustra concisum, partimque tostum, partim elixatum & probè conditum sibiq; appositū comedit. Tametsi enim, postquã sic passus, & interrogatus à Rege esset, respondisset; *Apud Regem omnem cœniam jucundam esse; tamen,*



mien, dissimulatō ad tempus dolore, pulsō tandem regnō Rege, sic satis ostendit, quā se invitō sibi factum istud accidisset. Videatur Herodotus lib. 1. c. 22. Sesi. lib. 3. de irā c. 15.

§. IX. Porrō respiciendum esse factum IN QUO admittatur, itidem innuit Philosophus, & significari posse Locum, indicat Eustrathius, ut puta, si quis versari se in loco profano arbitretur, qui tamen sacer sit: quā ex causā videtur leviūs peccāsse Pompejus, quando *ut Noachitas & Gentilis, adeoq̄, sacrorum Judaicorum ignarus, captis Hierosolymis introgressus est sanctum sanctorum*, uti quidem rectē interpretatur verba Flori l. 3. c. 5. n. 30. (qui vidisse Pompejum ait grande impię gentis arcanum patens) Seldenus de J. N. juxta disciplinam Ebræorum lib. 2. c. 8. quanquam, cœlesti, eāque occultā autoritate prohibitus esse videtur, ne etiam ex ignorantia gravius quidam ante definitum divinitus terminum, in sacrosanctum istum locum consuleret. Ita enim Josephus refert lib. 14. antiquit. Jud. cap. 8. *Introgressus est in illud ( templum ) Pompejus, & unā cum eo non pauci alii, & inspexerunt, quæ nefas est videre nisi solis sacerdotibus, cumq̄, intus essent ex auro mense, & candelabrum, & pocula, & odoramentorum magna copia, præterea in thesauris sacra pecunia circiter talentorum duō millia, nihil horum præ pietate attigit, sed hic quoque sui similis fuit, & nihil commisit indignum cæteris virtutibus.*

§. X. An huc referre liceat, etiam Loci acci-  
dens aliquod, vel respectum moralem? utpote si  
quis in novam regionem delatus, ubi medius lo-  
cus dignior dextrâ habetur, comiteque aliô in-  
ferioris dignationis adscitô, tangat proximè e-  
jus, quem honore honestiorem vellet, latus si-  
nistrum, & medium cum tertio comite deligat  
locum; aut si quis in Turcia honorare aliquem  
velit, & latus ejus tegat sinistrum, ibi enim *digni-  
or habetur locus sinister, quod eam partem gladius  
honestet, quodq; qui sit in parte dextrâ, quodammo-  
do gladium habeat sub manum ejus, qui sinistrum  
latus claudit: ille vero illum gestet liberum & expedi-  
tum* ut est apud Busbequium ep. 1. p. 19. Confer  
Lipsium lib. 2. Electorum c. 2.

§. XI. Quintam circumstantiam ponit Phi-  
losophus quo, vel Instrumentum, quod igno-  
rare aliquis potest, quomodo se habuerit, ut si  
quis hastam mucronatam ac cuspide præferra-  
tam, quam credat obtusam esse, vel lapidem,  
quem opinetur pumicé esse, in aliquem projici-  
at, atque ita imprudens interficiat. Exemplum  
triste Anno 59. superioris sæculi, cœlestis vindicta  
procuravit in Henrico II. Galliarum Rege Fran-  
cisci I. filio. Is, cum nuptiis Margaretae sororis,  
celebratis cum Emanuele Sabaudia Duce, inter-  
esset, *in ludis equestribus ad certamen provocavit,  
porrectâ etiam hastâ, reluctantem quantumvis  
Gabrielem Comitem Mongomerium. Hic, cum  
Rege concurrens, hastam quidem scite super Regis  
ferreâ thorace confregit, sed immixtis præter omnem*

inteu-

intentionem per galeam minus cautè clausam tenuissimis quibusdam haste fragmentis, vulnus Regi in cranio lethale infixit, ut post toleratos, per novem dies, gravissimos cruciatus, animam exhalaret, die 10. Julii eâ ipsâ horâ, quâ proximè superioris mensis die 10. senatores Parisienses Lutheranismi accusatos, Mongomerio captivandos & custodiendos mandaverat, cui postea in ludo equestri propriâ manu hastâ, quâ occisus fuit, in manus tradiderat, Thuanus lib. 22. & Christ, Matthias in Theat. Hist. p. 1090.

§. XII. Sextum attributum est cuius rei causa seu finis: hic, si alienus sit ab intentione agentis, actionem etiam ipsam ab eodem removet. Ita refert Aristoteles I. M. M. mulierem quandam, cum philtum propinâisset viro, quò haustò ille expiraverat, ideò ab Areopagitis crimine absolutam fuisse; quòd non perimendi, sed amoris conciliandi causâ poculum istud porrexerit. Hòc ipsò fatò interiisse Lucretium poëtam, ex Eusebio docet Vossius p. 13. de poëtis Lat.

§. XIII. Denique in modo error obrepere potest, *ὄιον ἠρέμα, ἢ σφόδρα*, num sensim an vehementer. Ita Patroclus apud Homerum queritur, interfectum à se imprudente filium Amphidamantis in ludo talorum Il. ψ. vers. 88. Huc pertinet constitutio divina, quâ asylum vel locus perfugii patebat ei, qui percussurus alterum contra animi intentionem interemisset. Videatur Ex. 21. vers. 13. Deut. 19. vers. 4. Nempè juxta veteres Menandri versiculos:

Ἀτύχημα καὶ ἀδίκημα διαφοράν ἔχει,  
τὸ γὰρ διὰ τύχην γίνεσθαι, τὸ δ' αἰεῖσθαι.

*Injuria illud distat infortunio,*

*Hoc casus, illam quod voluntas efficit.*

## APHORISMUS II.

Ignorantia universalium  
juris naturæ præcepto-  
rum non reddit fa-  
ctum invitum, nec ex-  
cusat ab improbitate,  
si ex eâ secutum sit fla-  
gitium.

S. I.

**N**AM *ob eam homines vituperantur*, inquit Ari-  
stoteles; quia scil. supinâ negligentia, &  
impotentiore vi affectuum, nimioque suorum,  
ipsorum amore, judicium rectæ rationis obnu-  
bilant & intervertunt. Huc referri debet dispu-  
tatio Aristotelis ex 7. Eth. c. 5. ubi eam docet esse  
conditionem incontinentis, ut universalium  
quidem notitiam habeat, sed eam ad particula-  
res casus & actiones non applicet: similis ita  
homini, qui altô somnô oppressus, non cogi-  
tat de iis, quorum alias exquisitam habet cogni-  
tionem, aut histrioni, qui *Empedoclis* Demonstra-

monstrationes & carmina recitans, connectit quidem verba, dat tamen sine mente sonum, & animam ad ea, quæ proloquitur, non intendit.

§. II. Tales *οὐκ ἔχοντες τὴν φωνὴν καὶ διαsequimini*, morbidi distortæque mente laborantes ( ut loquitur interpret ad 5. Ethic. 10. ) vel *ὡς ἰσχυροὶ δὴ ἢ δούλοισι ἢ κερδία*, quorum obtenebratum est inspiens cor verbis Apostoli Rom. 1. vers. 21. erant olim multi gentilium, utpote Babylonii, apud quos liberos conjugesq, cum hospitibus stuprò coire, modo pretium flagitii daretur, parentes maritique patiebantur. Curtius lib. 5. c. 1. §. 37. Similem consuetudinem usurpatam fuisse Lacedæmoniis, indicat illa, si sanctæ Themidi placet, lex à Lycurgo sancita: *si quis femina conjugium aversetur, ac nihilominus præstantium liberorum cupidus esset, licere, ut quamcunque fecundam & indolis generosa conspexisset, ejus marito persuasione suam in sententiam adductò, ita deinde prolem ex ea procrearet.* Xenophon de rep. Lacedæmoniorum.

§. III. Athenis sororem Germanam habere in matrimonio, nefas non fuisse habitum Corn. Nepos in Præf. vit. memorat, additque Michaël Ephesius ad 5. Eth. c. 10. *fratrem cum sorore concumbere, ab initio rem mediam fuisse.* Apud Persas jus fuisse cum matribus misceri, scribit Minutius Felix in Octav. Eundem morem probatum fuisse plurimis aliis gentibus, utpote Arabibus, Persis, Assyriis, Parthis, Medis, Ægyptiis, Phrygibus, Galatis, Æthiopibus, Indis, Scotis, Hibernis, Nauræ regionis incolis. No-

madibus ex Tiraquello docet Freinsh. ad Curtii  
l. 8. c. 2. n. 19. adducitq; ibidem illud Ovidianum  
10. Metam. v. 331.

————— Gentes tamen esse feruntur,  
In quibus & nato genitrix, & nata parenti  
Jungitur.

§. IV. Nec intra libidinem stetit supina ho-  
minum, cimmericâ caligine circumfusorum i-  
gnorantia; non conscientia, non religio velum  
remove ab hominum oculis potuit, quò mi-  
nùs grassarentur in propria viscera, in sanguinè  
à se stillantem. *Receptum ferme ubiq;* (scri-  
bit Hugo Grotius, certâ plurimorum Historico-  
rum fide subnixus lib. 2. de veritate Rel. Chr. p.  
99.) *ut humano sanguine Dii placarentur: quem  
morem nec Græca eruditio, nec Romanae leges sustu-  
lerunt; ut apparet ex iis, quæ de victimis factis  
Baccho Ornestæ apud Græcos, de Græco & Græca  
Gallo & Gallâ mactatis Jovi Latiali legimus, atque  
hòc more antiquò in Italiâ animos hominum vir-  
tos fuisse ex Dionysio Halic. idem Grotius docet  
ad locum jam dictum.*

§. V. Quantâ inscitiâ quamque brutali fa-  
vitiâ extinxerint non tantùm, sed etiam prostra-  
verint ~~superis~~ impetum Carthaginenses, non u-  
nò autore discimus. Testimonia denunciare  
possemus Diodoro Siculo, Plutarcho, Straboni,  
Pomponio Melæ, Minutio Felici, & quibus non?  
Nunc quidem sermonem, quo oculos & aures  
delinire suaviter potis est, commodet Lipsius I.  
1. monit. & ex Pol. c. 3. *Afri, inquit, Saturno vi-*

vos homines sacrificabant, & præsertim pueros, ætatem florentem, innoxiam, & ideo crudo illi Deo gratiorem. Res ita fuit: stabat Carthagine statua Saturni enea, manibus leuiter sublatis, iterumque pandis in terram demissis, in eas solenniter vir aut puer impositus, statim præceps devolvebatur in subiectum barathrum, igne & ejus alimentis plenum. Id vivicomburium Deo dabatur, stato quidem die quotannis: sed aliquando & extra ordinem, & multiplicatio victimis, si clades aut tristis aliquid civitati evenisset.

§. VI. De hac supinâ, & omne veniæ privilegium supergressâ ignorantia, non alius rectius judicasse videtur, saltem quatenus ad institutum nostrum id facit, Plutarcho lib. de superst. p. 292. Sic enim iste: *annon melius erat Galæis illis & Scythis, nullam penitus Deorum habere notitiam, neque imaginationem neque historiam; quam censere eos esse, qui gaudeant occisorum hominum sanguine, atque hanc perfectissimam victimam & sacrificium arbitrentur. Quid autem Carthaginensibus? nonne utilius erat, Critiam aut Diagoram à principio sumsisse Legislatorem, neque quempiam Deorum aut Demonum recepisse, quam talia sacrificasse, qualia Saturno sacrificarunt, non quemadmodum Empedocles ait, animalium occisores objugans,*

*At gnatum specie mutatum interficit, altè  
Sublatum genstor stultus, per multa precatus  
Divos*

*Sed scientes ac cognoscentes ipsi suos ipsorum liberos sacrificare.*

## APHORISMUS III.

**Ignorantia juris vel legis particularis vincibilis nonnunquam agenti veniæ & excusationis locum impetrat.**

§. I.

**T**alis ignorantia capitis supplicio exemit Jonathanem Saulis filium : nam, cum pater, absente filio, legem sanxisset, ne quis vel tantillum panis gustaret die illo, quo res feliciter adversus hostes gessisset, sortis indicio deprehensus est Jonathan gustasse paucillum mellis, & a patre, furore iraque mentem præcipitante, præsentissimæ morti est adjudicatus : cæterum populus, partim memor meritorum à Jonathane præstitorum, partim æquitatis rationem habens, culpam pariter & acerbioræ pœnæ sospitatorem suum liberavit. 1. Sam. 14.

§. II. Hoc fundamentò nixus, indignationem & pœnam effugit Hannibal Carthaginensis. Nam cum autor aliquando fuisset reip. suæ proceribus ut rebus ita ferentibus, pacem cum Romanis componerent, huic verò consilio adversaretur.

Gio.



Gisgo quidam, censens potius, instaurandum esse cum Romanis bellum; indignatus Hannibal eò tempore, talia ab imperitis viris jactari, di-  
centem adhuc hominem ex superiore loco de-  
turbavit. Quod audax facinus cum liberâ civi-  
tate indignum multitudini visum esset, sugge-  
stum adscendens: *Neminem inquit, indignari oportere, si is, qui à primâ pueritiâ, à Carthagine profectus, in bello & armis etatem egisset, urbanas consuetudines ignoraret.*

§. III. Hujus ignorantiz consideratione Jcti-  
iis, qui sunt minores viginti quinque annis jus i-  
gnorare permittunt, item sceminis quibusdam,  
in quibusdam causis, propter sexûs infirmita-  
tem; multa quoque militibus indulgent, quòd  
melius arma, quàm jura tractare sciant.

§. IV. Hæc tamen non aliter accipienda sunt,  
quàm si non facile comparari possit notitia talis  
legis particularis. Unde ipse Aristoteles 3. Eth.  
cap.7. *Eos quoque puniunt, (Legumlatores) qui  
aliquid eorum ignorant, quæ pertinent ad leges, quæ  
quidem & sciri debeant, & difficilia non sunt.* Un-  
de nonnulli Jcti rusticos excusari negant, si ne-  
sciant ea, quæ in civitate decreta sunt, quibusq;  
ipsi etiam obligantur, & tamen ipsi sint civitati  
vicini; & hanc sui ampliacionem venustò obli-  
gnant simili: *quemadmodum mulieres eunt ad Ec-  
clesiam pro indulgentiis, & rustici ad nemus pro li-  
gnis, ita debent ire ad civitates pro consiliis.* Vi-  
deatur Sam. Rachelii disp. de pœnis th. 57. & seqq.

## APHORISMUS IV.

Ea quæ ab ebris committuntur, ipsis ut scientibus imputantur.

## §. I.

**E**Ruditè & perspicuè hoc exponit Philosophus noster 1.3. Eth. c. 7. *ob ignorantiam, inquit, puniatur, qui sibi ipse ignorantiam causa fuisse videtur. Unde ebris duplices pœne constitutæ sunt. In ipso enim qui inebriatur, principium est, cum sui quisq; in eo Dominus sit, ut non inebrietur; id quod ignorantiam est causa.*

§. II. Porro, dum hîc dicit Aristoteles, de duplici pœnâ, decretâ iis, qui crapulâ se onerant, respicit legem Pittaci Mytilenæorum Principis, cujus etiam facit mentionem 2. Pol. c. ult. & 2. Rhet. c. 5. 6. 8. eamque in priori loco ita declarat: Pittacum non putâsse ebrios injuriam inferre majorem, cum ignorantes delinquant, sed quia insula Lesbos vino abundaret, & eò magis proclives sint ad inferendam injuriam, quàm sobrii, eoq; gravitate supplicii cives suos à nimis poculis vellet abstertere: quam quidem expositionem textui Græco convenientissimam suppeditat, Gerh. Joh. Vossius lib. 1. inst. orat. c. II.

§. III. Etsi enim ebrietas sit insania voluntaria ut loquitur Seneca, ep. 83, sicut tamen variat ratio voluntarii, sec. diversos gradus, ita omni-

nò diversa sunt judicia ferenda, de delictis ex ebrietate prodeuntibus. Quod si enim affectata sit, & consultò ac deliberato animo contracta, præsertim ab eo, qui scit, se minùs in potestate animum suum retinere posse; tum sanè gravius fuerit delictum, quàm si tale obrepserit ei, qui velignarus, vel præter animi intentionem, vini aut cerevisiæ potentia succubuerit. Æstimandietiam sunt gradus ebrietatis, ita, ut si cui exitium mentis prorsus inductum fuerit, talis minùs ~~regius~~ agere censeatur, quàm qui animum in cõsiliu adhuc vocare potest. Hic enim locum habet illud Quintiliani lib. 7. instit. c. 3. *Ebrietas in qualitate crimen elevat.*

§ IV. Culpæ igitur exsors esse nequit Alexander M. quando, victis merò mente & sensibus, tum Clytum vitæ suæ fidum aliquando sospitatore, è convivio exeuntem, miserabiliter, trucidavit, tum alia minùs dignitati suæ congrua & locutus est, & patravit. *Ita enim ebrietati servivit, ut à computatione sæpè totos dies, aliquando etiam & posterum somnò combureret.* Plut. symp. l. 1. probl. 6. Idem autor memoriæ prodidit, *proposuisse aliquando Alexandrum premium à negotiis ( qui per Liberi vestigia ibat scil. & hunc quoque honorem ei habebat ) victorem autem, & congloriarum quatuor, i. e. duodecim poculorum potorem, non talentum modò, sed & post triduum mortem retulisse.* Adde Lipsium epist. miscell. 51. p. 59. & seqq.

S. V. Patrocinium autem in ebrietate, cum amoris impotentia conjuncta se invenisse ratus adolescens, Lyconides; in Aul. Plaut. act. 4. scen. 10. *Veni, inquit, vitiò atq; amoris feci: cæcò de causa stultitiam à se admissam non vult pro facinore haberi.* Hinc Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 44. Lothum quòd miscuerit se filiabus suis, *culpandum quidem esse, dicit, non tamen quantum ille incestus, sed quantum illa mereatur ebrietas.* Allegatur in corpore Canonico caus. 15. quæst. 1. cap. 9. & præcedenti cap. 6. ex Ambrosio dicitur: *Ebrii si quid per vinum deliquerint, apud sapientes iudices venià quidem facta donantur, sed levitatis damnantur autores.* De tota autem re judicat rectissime Thomas sec. secundæ quæst. 150. artic. 4. in conclus. *Ebrietatis vitium, quò minus voluntarium est, eò magis à peccato excusat; ebrietas autem simpliciter voluntaria, aggravat peccatum.*

S. VI. Elevationem autem peccatorum ex ebrietate, eaque non ~~neglectis~~ contracta, admissorum, significare voluerunt veteres *majorum fabulis, quando Baccho simul & ferulam & oblivionem consecrarunt; nimirum hoc innuentes, aut non oportere meminisse, si quid in conviviis, patientibus ad simplices cogitationes animis, peccatum sit, aut certè levem admodum ac puerilem reprehensionem sufficere, sicut exponit Plutarchus lib. 1. Probl. sympof. probl. 1. & ex hoc Erasmus Chil. 1. Cent. 7. adag. 1. ubi exponitur illud vulgatum, odi memorem compotorem.* De omni autem hæc materia

hateria delictorum ab ebris defignatorum.  
 consulatur Reinking de Regim. seculari & Eccle-  
 siastico lib. 2. class. 1. c. 8. p. 39. & seqq.

## APHORISMUS V.

Qui iratus est, non vide-  
 tur ex ignorantia agere.

§. I.

PAR enim est, hominem prudentem ab affe-  
 ctuum mancipio omni cōtentione se vindica-  
 re, & τὴν ἄσμελην θῆναι κύριον εἶναι, *adhibenda dili-*  
*gentia dominus esse*, ut eleganter loquitur Ari-  
 stoteles 3. Eth. cap. 7. Sed ut idem pergit, *fortas-*  
*se huiusmodi (iræ serviens) aliquis est, ut diligen-*  
*tiam non adhibeat, at ut ejusmodi sint homines at-*  
*que injusti --- evadant, ipsi in causa sunt.*

§. II. Ergò & rursus censuram meritò subit  
 Alexander M. *quæ iracundia sua propemodum colō-*  
*teripuit*, ut scribit Val. Max. l. 9. c. 3. exemp. ext.  
 . Nam quid obstitit, quò minùs assurgeret, nisi  
 Lysimachu leoni objectus, & Clytus hastâ tra-  
 ectus, & Callisthenes mori jussus? quia tres ma-  
 ximas victorias totidem amicorum injustis ca-  
 libus (si non perfectis omnibus, saltem cogita-  
 tis, nam Lysimachus, exanimatâ ferâ, necem e-  
 rasit, ut indicat Justinus lib. 15. c. 3. §. 9.) victor  
 perdidit.

§. III. Nec reprehensionem effugere possunt  
 Itali, de quibus elegantiarum delicatus arbiter,

K

Joh.

Joh. Barcl. in *Icone Anim.* c. 6. *si quos oderunt, ( seu spontè averſi, seu ſe laceſſitos exiſtiment )* idè periculi plenior res eſt, quia hanc animi egritudinem plerunq̄ regentes, altè interim emulationis aut offenſe memoriã reconderunt: leſi interdum ad obſequium deſcendunt, ut inter amicitiæ juratoriori fraude graſſentur: etiam etatem hæc odia ferunt, ac, quod noxiſſimum putes, nonnunquam animus tam facilis eſt ad vulnus, quàm pertinax ad cicatricem.

§. IV. Cæterùm ſicut hæc accipiendã ſunt de ira, per pravam conſuetudinem, ſeu affectata ſeu retentã, in quam dominium exerceri à nobis æquiùs erat, ita cùm affectus iſte, ad defenſionem ſalutis & dignitatis noſtræ, veluti firmi præſidii locò, ſedem ſibi in pectoribus noſtris penitùs fixerit; ſi quid ex incitatore ejus commotione ſit peccatum, leviùs ſolet æſtimari, quàm quod ex inſidioſã voluptatis titillatione fuerit profectum. Diſertè Ariſtoteles, 5. *Eth.* cap. 8. §. 26. *Quæ per iram ſunt, facta non purantur de induſtriã. Non enim talium autor & cauſa eſt iſ, qui iratus facit, ſed iſ, qui laceſſivit atq̄ irritavit.* Et 7. *Eth.* c. 6. §. 9. *cupiditas turpior irã eſt: nam ira incontinens, quodammodo à ratione ſuperatur; ille autem alter à cupiditate, non à ratione, prætereà ignoſcendum magis eſt ei, qui naturales cupiditates ſequitur, --- ira autem & aſperitas magis eſt naturalis, quàm cupiditates immoderate (nimis, exquisiti cibi & potùs) minimeq̄, neceſſarie.*

§. 5. Ex

§. V. Ex hoc dolore justo, & irâ insuperabili, parricidii veniam consecutus est Heratius ille, qui, cum spoliis onustus optimis, ex hoste redisset, & lætitiâ privatam pariter ac publicam metu corrumpere soror, quæ sponsi interfecti desiderium potius habebat partâ felicitate totius Reipublicæ; ipse rem indignam minùs æquè ferens, ut erat iratus, per latus sororis enses aegit. Etsi autem leges citarent nefas, tamen factus intra gloriam fuit: rejecto enim ad populum iudicio, adolescens parricidii crimine absolutus est; nisi quod Rex Tullus censuit Deos & genios placandos esse, & lustrandum hominem lustrationibus, quibus solent cædes non voluntariæ expiari. Dion. Halic. l. 3. Rom. Antiq. c. 5.

## APHORISMUS VI.

Inter actiones voluntarias & invitas simpliciter tales mediant mixtæ, sicut ament, ut magis accedant ad spontaneas, quàm ad invitas.

### §. I.

Per actiones mixtas intelligimus eas, quæ proveniunt à voluntate, actionem aliquam, cum

damno aut molestiâ conjunctam, intendente aut  
 suscipiente, propter majus bonum sive verè sive  
 apparenter tale consequendum. Ac eas spon-  
 taneis magis accensendas esse, docet Aristoteles  
 3. Eth. c. 1. triplici de causa: (1.) quia eo tempo-  
 re quò exercentur, agens habet liberum arbitri-  
 um eas persequendi aut intermittendi. (2.) quia fi-  
 nis earum istòc tempore bonus est eligendus:  
*minus enim malum quodammodo bonum esse vide-  
 tur: ut dicitur 5. Eth. c. 1. & plus boni ac minus  
 mali est lucrum 5. Eth. c. 7.* (3.) organa & mo-  
 tus eorundem, manus puta pedesque, utpote in-  
 strumenta animæ, non ab aliò extrinsecus mo-  
 ventur principio, sed sunt in potestate agentis,  
 quâdo agit, & urgente adhuc violentiâ externâ:  
 sicut ex. gr. tyrannò jubente, ut quis civem  
 aliquem interficiat, alioquin ipse periturus, ma-  
 nu suâ sponte sublatâ hominem perimit. *Est ergo*  
*(ut ait Paraphrastes) sponte quidem ipsa actio*  
*respectu calamitatis (vitandæ, & boni puta*  
*vitz conservandæ) simpliciter autem & per se con-*  
*siderata, (intuitu videlicet conjunctorum inevi-*  
*tabili necessitate malorum) invita.*

§. II. Porrò actionum talium mixtarum qua-  
 tuor genera constituuntur ibidem, quorum unum  
 LAUDEM, alterum VITUPERIUM, tertium VENIAM  
 postremum EXSECRATIONEM & DETESTATIONEM  
 meretur. Primi generis actiones vocat Aristo-  
 teles, cum homines, magnarum atque honestarum  
 rerum causâ dedecus aut molestiam aliquâ sub-  
 eunt: cujus exemplum præbere potest Zopyrus

Perf



Perſa, qui, ut Babylonem, Aſſyriorum manibus extortam, Dario recuperaret, naſum, aures & labia ſibi domi truncari fecit, ut vulneribus hiſce, velut pignoribus, fidem Babyloniorum demeretur, & tandem, creditò ſibi exercitu, totàque urbis caſtodiã, utramque in poteſtatem Regis Darii redigeret. Juſt. lib. 1. c. 10.

§. III. Huc referenda exempla Solonis & Lycurgi, quorum ille inſaniam ſimulavit, ut legem, de dimittenda in perpetuum inſulã Salaminã abrogaret, & animos Athenienſium ad vindicandam eam atque è manibus Megarenſium eripendam erigeret: Hic verò voluntariò exiliò, eòque æternò, ſe damnavit, ut legibus ſuis ſanctis, & ad reip. felicitatem compositis æternitatem daret, poſtquã juramentò cives obſtrinxiffet, nihil ipſos de legibus ejus mutaturos, priusquã reverteretur: Refert idem Juſtinus lib. 2. c. 7. n. 9. ſeqq. & 1. 3. c. 3. n. 11. ſeqq. Hujus cenſus eſt exemplum Zaleuci Locrenſium Ducis, qui cùm legem tuliffet, ut adultero deprehenſo uterque oculus erueretur, eveniffetque, ut filius ejus legem illam violaret, ſimul tamen à tota civitate preces interpoſitas, pro veniã impetrandã, obtiniffet; ipſe parens, ne inſitum fieret, quod ſemel omnium ſententiis confirmatum erat, pro altero filii oculo, alterum ſibi effodi paſſus eſt, ut ne oculo utroque adoleſcens privaretur. Ælianus lib. 13. cap. 24. Val. Max. l. 6. c. 5. exemp. ext. 3.

§. IV. Actiones autem, quæ vituperium merentur, ſunt tales, cùm quis minoris boni impetrandi,

trandi, vel minoris mali vitandi causâ turpe quid admittit. Hôc nomine meritò reprehenditur Vespasianus Imperator, qui, ut ærarium locupletaret, *negotiationes quoque, velut privato pudendas, propalam exercuit, coëmendo quedam tantum, ut pluris postea distraheret: imò etiam tributum è lotio exegit, collectumque filii naribus admovit, dicens: num& hoc male olet?* Svet. c. 16. & 23. Huc pertinet exemplum Rabirii, qui pecuniæ creditæ persequendæ causa Alexandria pællium sumere haud erubuit, abjecto cultu Romano, Cic. pro Rabirio cap. 9.

§. V. Hujus generis facta sunt, cùm homines ex pusillanimitate & impatientiâ ærumnarum se ipsos vitæ possessione expellunt, sicut Calanus Indus, ut morbi molestiâ liberaretur, in rogo, vitam vivicomburiô abruptit, teste Plut. in Alex. aut, cùm Saguntini maluerunt se suaque omnia, flammis perdere, quàm arbitrio victoris se permittere. Florus lib. 2. c. 6. n. 6.

§. VI. Tertii generis actiones vocat Aristoteles eas, quæ nec laudem nec vituperiû, sed Veniam tamen, intuitu humanæ imbecillitatis, impetrant. De hoc genere Aristoteles l. c. *Sunt negotia quedam ejusmodi, ut, etsi propterea laus quidem nulla tribuatur, venia detur tamen; cùm videlicet quæ minimè sunt agenda, ea quis egerit, ob hujusmodi aliquid, quod humane nature vires superet, quodq; nemo, qui perferat, reperiat. Magnarum enim consternationum hec est indoles, ut non patiantur ad aliud hominem respi-*

gere.

cere, quàm quod tantâ circumstantiâ animum occupavit, præsertim ubi urgentius malum est, quàm quod mitti in consilium cogitationem sinat: scribit Bœclerus in Comment. Grotianô l. 1. c. 1. p. 98.

§. VII. Ex hoc capite excusationem apud suos inveniunt, qui rebus omnib9 ad incitas redactis, vel arces dedunt, vel fugam capeffunt; sicut Varro apud Romanos domi laudatus fuit, cùm ex tuento ad Cannas prælio, aliis cœsis, ipse incolumis domum sese referret. Eleganter de hoc exemplo Lipsius lib. 1. de Const. c. 22. *Ex illo pari Consulum apud Cannas, fortiorem civem Varronem habeo, qui fugit, quàm Paulum, qui occubuit. Nec aliter Senatus Populusque Romanus judicavit: qui publicè gratias ei egerunt, quòd de rep. non desperasset.* In hunc censum referenda sunt exempla eorum, qui victi acerbissimorum cruciatuû sævitiâ, vel amicorum thesauros produnt, vel aliud malum triste seu ærumnam suis accersunt. Ejusmodi exemplum refert Josephus l. 16. Antiq. c. 17. His verbis: *cùm Tiro quidam miles, simul cum filio, falsò delatus apud Herodem, propter insidias vite sue structas, & crudelissimis tormentis subiectus fuisset, jussusq; veritatem dicere; tandem filius, miseratione erga patrem ductus, cùm nullam spem salutis superesse animadverteret, professus est, indicaturum se veritatem, si tormenta sibi ac parenti mitterentur, acceptâque in hoc fide dicebat, convenisse inter eos, ut Tiro suâ manu Regem interficeret; patere enim ei aditum soli ad solum: atq; ita perpetratô facinore libenter quidvis passurum in Alexandri*

*Alexandri gratiam. His dictis patrem exemit cruciatibus, incertum veritate expressâ, an ut se ac genitorem hoc pacto à diuturniore vexatione redimeret.*

§. VIII. Quartum deniq; genus actionum mixtarum constituunt illæ, ad quas nemo ullo metu aut cruciatu impelli debeat. Verba Aristotelis, quibus eas exprimit, sunt ista: *Nonnulla sunt ejusmodi, ut fortasse nullâ vi aut necessitate coacti, ea agere debeamus, utque potius mors nobis sit appetenda, gravissimique cruciatus preferendi.* Hinc Philosophus ibidem ridiculam vocat excusationem Alæmæonis apud Euripidem, causantis, adactum se ad matris cædem fuisse execrationibus patris; uti quidem Eustratius explicat. Rectè igitur Laco ille cuidam, scelus suum purgaturus, & dicenti: *invitus se peccâsse*, respondit: *ergo & invitus pœnam lues.*

§. IX. Noxâ igitur soluti non sunt, qui in persecutionibus ab Ethnicis Imperatoribus Ecclesiæ inflictis, tormentorum cruciatibus superati fidem Christianam abnegârunt, quales trium generum numerari solent: Primò Traditores, qui Sacros libros tradebant Ethnicis comburendos. Secundò Libellatici, qui ære redimebant libellos, quibus sacrificâsse dicebantur, atq; ita idololatriam simulabant. Tertiò sacrificati & Thurificati, quos vocabant, qui reverà thus adolebant, & idolis sacrificabant.

§. X. Haud majore culpâ laborant, culpæ tamen expertes non sunt, qui metu amittendarum

opum

opum & existimationis, religionem Evangelicam, cum alterâ Papisticâ, corruptelis & superstitionibus, manifesto DEI verbo evidenter adversantibus, intolerandum in modum inquinatâ, comutant: sicut sæpè infelici & tragicô suo exitu, in extremo conscientiz & mortis agone, miselli istiusmodi homines comprobarunt, utpote Franciscus Spiera, homo forensis, & Causidicus valdè exercitatus, in oppido Citadella degens: qui cum puriorem amplexus esset doctrinâ, postea tamen comperisset, periculum sibi imminere, contra conscientiam eam retractavit; unde in eam ægritudinem, tum animi, tum corporis incidit, ut nullâ consolatione admisâ, per extremam desperationem vitam finiret, ut est apud Sleidanum de statu Rel. lib. 21. & Camerarium in vita Melanchth. p. 279.

§. XI. Paulò mitius fatum, excusationem tamen haud benigniorem invenit Hugo Socellus Rosarius, Ecclesiz Aurelianensis in Gallia Pastor, magni nominis inter Protestantes Theologus. Is metu mortis, & periculorum, quibus alii involvebantur, territus, eam, quam hætenus non tantum ipse professus fuerat, puriorem religionem, verum etiam viros Principes, præsertim Ludovicum Borbonium Condæum, multos per annos docuerat, abnegavit, & ut alii desererent, suo exemplo & monitis induxit. Tandem autem factum illud denuò ad animum revocans, culpam suam gravissimam est detestatus, & disertè à Condæo veniam petiit, quòd exitio-

sò suò & impiò ministeriò, illuc in tantum conscientia periculum precipitasset. Thuanus l. 53.

## APHORISMUS VII.

Ex Proæresi magis, mores adeoq; meritum & culpa, quàm ex actionibus ipsis, æstimari solent.

### §. I.

**I**Ta docet Arist. 3. Eth. c. 2. Scilicet in univèrsum Ethicus objecta sua προαιρέσει definire & explicare solet, adeò, ut si illa abesse intelligatur, actio ipsa, utut prodeat, agenti imputari, aut vituperium laudemve conciliare non possit. Is enim demum *bonus est, qui certò quòdam modò affectus unum quodque agit, v. g. si tale consilium ceperit* *Να προαιρέσει* ut dicitur 6. Eth. c. 12. Imò tantam vim habet προαιρέσει, ut si factum externum non sequatur, voluntate intereà seu mutata, seu obstante extrinsecò impedimento, sola illa, non culpâ modò, sed etiam pœnis implicare, molientem facinus aliquod, possit & soleat; si sc. actus internus proæreticus per confessionem innotescat, aut in actus externos, puta conatum vel machinationem, influat.

§. II. Prioris casus exemplum refert Bodinus lib. 4. de rep. cap. 7. Cùm Nobilis quidam, Normanno fraterculo suo sodali confiteretur, se  
Franci-

Franciscum Regem occidere voluisse, nihil tamen ausum esse, & flagitiosæ voluntatis sponte pœnitere: sodalis reo confitenti, ac scelus deprecanti, quantum quidem poterat, ignovit, eundem tamen paulò post ad Regem detulit, qui reum comprehensum, ad curiam Parisiorum mitti jussit. Curia capitali supplicio, quasi perduellionis convictum, damnavit. Equidem Bodinus rectius ignovisse Regem judicat, quòd voluntatis ac cogitationis sceleratæ hominem pœnituisse. Enimverò nescio, an non potius laudandum Regis factum sit, saltem è jure domini eminentis proveniens, dum hòc rigore subditos etiam à cogitatione tam immanis facinoris abstertere voluit.

§. III. Lucem his affundere possunt, quæ disputat Hugo Grotius libro posthumo de Imperio summarum potestatum circa sacra, c. 3. §. 1. *Secundario, inquit, actus quoque internos subesse imperio, dupliciter habet locum: aut ex intentione imperantis, aut quòdam repercussu. Ex intentione imperantis, ubi actus internus cum externo conjunctus est, & in eum quasi influit, quomodo in delictis perfectis aut inchoatis animus estimatur. Per repercussum verò, ut quia aliqua actio, per imperantis interdictionem facta est illicita, ideo & cogitando talem actionem, ut faciendam, eligere illicitum est, non quia cogitationi propriè lex humana sit posita, sed, quia nemo honestè potest velle facere id, quod factu turpe est. Adde eruditissimam disp. auspicalem Nobiliss. Dn. D. Dilherri de Conatu pœnam incurrente, th. 40. & seqq.*

§. IV.

§. IV. Quod si quis vultu, verbis, captō consiliō, armis, cogitati facinoris indicium fecerit, cum culpæ affinem jura Naturæ, Divina & Humana pronuntiabunt, Seneca lib. 5. de Benef. c. 14. *Latro est, etiam antequā manus inquinet, quia ad occidendum jam armatus est, & habet spoliandi atque interficiendi voluntatem. Exercetur & aperitur opere nequitia, non incipit.* Ecce in promptu ex Anglia exemplum. Johannes Dudlejus, Northumbriæ Dux, Sommersetum, Regni Protectorem malè habuit, & carceris ignominia affectum eò adegit, ut patientiam in furorem convertere statueret. Igitur ad ejus domum, specie visendi illum, accedit occultâ loricâ tectus, & alios secum armatos trahens, quos in proximo cubiculo reliquerat. Sed cum ad Dudlejum nudum & lecto decumbentem summâ benevolentie significatione introductus fuisset, vir miti ingenio pœnitentiâ ductus, quod destinaverat, exequi noluit, atque inde re infectâ discessit. Re postea detectâ, suis ipsum prodentibus, accusatus, quantumvis invito Rege, cujus pœnitia sub eo adoleverat, ad mortem damnatur, quod in legem nuper latam peccâisset, quâ constitutum erat, ut si quis aliquem ex Regio Senatu occidendi consilium cepisse deprehenderetur, quamvis rem non perfecisset, capite lueret. Thuanus lib. 8. p. 626.

§. V. Ex eodem fonte manavit, cum Romani bellum denuntiaverunt Regi Perseo, quòd apparatus bellicum adversus populū Romanum comparâsse diceretur; teste Livio lib. 42. c. 18.

Hoc



Hoc ipsum intelligentes Rhodii apud eundem Livium lib. 45. c. 24. postquam Romæ innocentiam suam prolixè declarassent, ipsi nobis, inquit, hanc legem dicimus: si omnes volumus, quod arguimur, non distinguimus voluntatem à facto; omnes plectamur.

§. VI. De hoc negotio eruditè differit Jctorum Smaragdus, Scipio Gentilis lib. 1. Parerg. c. 31. istis verbis: *Diversissima hæc sunt, concipere scelus & velle, b. e. deliberare, & conari facere. Adulterium quis in animo cogitavit suo, hunc tamen ut adulterii reum punies? Ne digito quidem attinges, opinor: Sed si consilium cepit, si sollicitaverit, si codicillos nuptie miserit, & , ut uno verbo dicam, si ausus fuerit facinus, etiamsi auso potitus non fuerit, puniri debet: quàm graviter, dices? ac si potitus esset. Ut in homicidio equè lex eum punit, qui occidendi hominis causa cum telo fuerit, & eum qui occiderit. Et paulò post: Clarè perspicimus, non cogitationem delendæ patrie puniri, sed consilia atque conatus: non temerarios & inditos voluntatis, tanquam impetus, sed confirmatos & expressos, & quasi foràs prominentes.*

## APHORISMUS VII.

Electio à viris prudentibus non suscipitur, nisi præcesserit consultatio.

§. I.

**T**ὸ γὰρ προαιρετὸν προβεβουλευμένον. *Quod sub electionem cadit, tale esse debet, ut de eo prius consultatum fuerit, inquit Aristoteles 3. Eth. c. 4. Nam primquam incipias, consulto, & ubi consulueris, mature facto opus est, ait Sall. in Caril. c. 1. Videtur expressisse Philosophi Nostri verba 6. Eth. c. 9. §. 7. Δὲ ταχὺ πρᾶξιεν τὰ βουλευόμενα βουλευσῶς δὲ βραδέως: oportet celeriter agere, spisse verò lenteq; consultare.*

§. II. Exempla talium deliberationum insignia habentur apud Homerum Il. β. præsertim in Agamemnone & Nestore, ut observavit Quintilianus, & ex eo Giphanius. In Augustâ historia celebrari meretur Antoninus Pius Imperator, qui nihil egit, de quò prius cum viris prudentibus non cõferret, hâc gnomâ sapienter usus: *Æquius est, ut ego tot taliumq; amicorum virorum consilia sequar, quàm ut tot talesq; amici meam unius sequantur voluntatem.* Cuspinianus in vitâ. Haud magis fîsus ingenio suo, cætera rerum arduarum non incapaci Aurelius Alexander Severus: nam & is viris Jctissimis, qui latus suum tegebant, ita se tradidit, ut nec ullam legem sanciverit, nec de ullâ re graviori statuerit, sed ita, ut iretur per sententias singulorum, ac scriberetur, quid quisque dixisset: datoque spatio ad inquirendû & cogitandum, priusquam dicerent, ne incogitati de rebus gravioribus dicere cogerentur. Abl. Lampridius in vitâ.

§. III. De Carolo V. dubites, an successus rerum suarum secundos magis fortunæ indulgenti, quàm virtuti in acceptum referre debeat, nisi sententiam dicerent historiarum monumenta. Nam antequàm quicquam aggrediretur, diu multumque prius deliberabat, in publicum non prodibat, neminem ad se intromittebat, quin etiam sæpè morbum simulabat, quò ipso effecit, ut non prius ejus consilia deprehēderētur, quàm in opus deducta essent. Zuing. in Theat. vol. 1. l. 2.

## APHORISMUS IX.

Voluntatis objectum est bonum, non tantum verum, sed etiam apparens.

### §. I.

**P**Rout quis animum, rerum seu honestarum, seu turpium cupiditate & consuetudine imbuat; ita judicium etiam suum juxta eam informat, vel potius ad rerum amorem & libidinem inflectit. Exprimit hoc verbis istis memoratu dignis Aristoteles 3. Eth. c. 4. *Bono quidem viro id est vplendum, quod reverà bonum est, vitioso autem quicquid fors obtulerit; ut & corporibus bene quidem constitutis salubria sunt ea, qua reverà talia sunt, morbosis autem & egris alia: itemque amara, dulcia, calida, gravia & cæterorū unūquodque.*

que. Nam ferè de singulis rebus judicat vir bonus, & ei statim, quod in unaquaque re verum est, elucet. Ex cujuscunque enim habitu honesta & jucunda finguntur.

§. II. Hinc adeò fluunt diversa hominum studia, de quibus Persius sat. 5. vers. 52.

*Mille hominum species & rerum discolor usus ;  
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.*

Theocritus Ecl. 6.

πολλάκις --- ἄ μὴ καλὰ, καλὰ πὶ Φωταίῳ  
ἔρωτι

*Quae minimè sunt pulchra, ea pulchra videntur  
amori.*

Cicero lib. 5. de fin. Suo quisque studiò ducitur maxime,

§. III. Ex hâc Φιλαυτία evenire sæpè & facile potest, ut sub specie bonitatis, obrepât malum, & vitia virtutis velò induta, incautioribus imponant. Unde etiam fit, ut nonnunquam vera rerum vocabula amittamus, & bona aliena largiri, liberalitas, malarum rerum audacia, fortitudo vocetur : quemadmodum queritur apud Sall. in Catil. c. 52. Cato. Decipimur specie recti, ait Horatius in arte Poët. vers. 25. ut adeò ex meritò calculum assignare liceat Socrati, qui summam dixit esse sapiëntiam, bona malaq; distinguere ; apud Sen. ep. 71. Denique autor fuit hominibus, ut nihil à Diis immortalibus peterent, præterquam bona, quia ii demum scirent, quid unicuique esset utile, nos autem plerumque id votis expetamus, quod

*non impetrasse melius foret, ut est apud Val. Max. l. 7. c. 2. ex. exter. 1. Addatur Arist. 5. Eth. c. 2.*

§. IV. Annon (ut ex abundantia exemplorum penu paucula in manipulum colligamus) Israëlitæ specie Regiæ dominationis fascinati, in servitutem se, filios filiasque præcipites dederunt? ipsò Deò stultam cupiditatem infelici eventu damnante, & larvam præpostero voto detrahente? Quid aliud exitio fuit Græciæ civitatibus, quàm quòd in Philippi Macedonum Regis candore & auxilio vanam spem collocantes, mutuis accusationibus & præliis, in servitutem se deturbârunt? *Dum enim imperare singula cupiebant, imperium omnes perdidit: Philippò velut è specula quadam, libertati omnium insidiantes, ac demum victos pariter, victoresq; subire Regiam, servitutem cogente.* autore Justino l. 8. c. 1. Annon populus Romanus, dum cupiditati suæ, orbis terrarum imperiũ molienti, modum imponere nescit, *eò magnitudinis crevit, ut viribus suis conficeretur?* iudice Florò lib. 3. cap. 12. n. 6. cui accinit Venusina Siren. Epodâ 16. v. 2.

*Suis & ipsa Roma viribus ruit.*

§. V. Quid aliud Carolum V. Imperatorem in tetricum animi mœrorem, ac imperandi tadium conjecit, quàm malè consulta persuasio, de eliminanda Protestantium doctrinâ, & coercendo primario ejus patronò, Electore Saxonix, Joh. Friderico. Excepta sanè, haud multò ante obitum ejus tempore, vox est, ab ipso, rum gestarum, in mappis pictarum, recordationi

tionem intento, & captivitatem Electoris contem-  
 planti: *Hunc si reliquisssem, qualis fuerat, mansis-*  
*sem & ego, qualis eram.* Hujus æmulus, & po-  
 steâ hostis acerrimus, Franciscus I. Galliarum  
 Rex, & ipse, agonem mortis aggressurus, a-  
 gnovit demùm, falsâ opinionis imagine se cir-  
 cumfusum fuisse, cùm oppugnaturus Carolum  
 Turcarum arma in auxilium sollicitâisset. Ecce  
 quò, palpitante adhuc paucillùm spiritu, sibi  
 parentavit, feralem ejulatum: *perii, heu!*  
*perii, quòd volui esse fœderatus ei, qui est hostis*  
*Christiani nominis!*

## PARTIS III. SECT. II.

De virtutibus moralibus in specie  
 consideratis.

### CAP. I.

De Fortitudine.

### APHORISMUS I.

Non omnia, quæ formi-  
 dolosa sunt, fortitu-  
 dinis objectum sunt.  
 cùm nonnulla omnino  
 timere debeamus, qua

& timere honestum, &  
non timere turpe est,  
cujusmodi est infamia.

§. I.

[Tasentia Aristoteles 3. Eth. cap. 9. Talis enim  
metus ex amore honestatis proficiscitur, & si-  
cut crudelis in se esse censetur, qui famam suam  
negligit; ita abjecti & vilis animi est, qui judicia  
hominum, de vitæ & actionum suarum ratione,  
usque deque habet.

§. II. Cleanthes Assius cuidam probri cau-  
sæ obijcanti, quod esset timidus: Ideo, inquit,  
nimum pecco. Diog. Laërt. l. 7. Et Xenopha-  
nes Lagi filius, cum ipsi Hermoneus timidita-  
tem obijceret, quod nollet secum tesseri ludere;  
ator, inquit, me non solum meticulosum, verum  
tiam vehementer meticulosum esse, sed adversus  
honestam. Plut. in libro de nimia verecundia.

§. III. Imò viri bellis clarissimi, gloria sibi  
luxerunt, metuere turpem famam; ut C. Marius  
enerosè meritat apud Sall. in Jugurthino bello,  
ap. 85. & Alexander M. impensè delectatus est  
legis barbari, in regione Omphis, de se fiducia  
& iudicio; dicebat enim; corpus suum & regnum  
permittere Alexandro, quod scires, gloria mi-  
uantem, nihil magis, quam famam timere perfidie,  
Iurt. l. 8. c. 12, §. 10.

## APHORISMUS II.

Paupertas, morbus, solitudo, vel carentia amicorum, imò etiam mors propria, rectè metuuntur, utpote felicitatem civilem non mediocriter lædentia; ut tamen nostra culpa non accersuntur, nec nostrâ industriâ vitari possunt, decet præsentia ea excipere animo.

### §. I.

**U**trumque habetur apud Aristotelem 3. Eth. cap. 9. & 12. Quia enim res adversæ, præsertim si illæ vehementiores & multæ ingruant, haud parum sufflaminant cursum felicitatis civilis, cum & molestias afferant, & multis operationibus impedimento sint, ut dicitur 1. Eth. cap. 11. Rectè utique vir bonus ac fortis & formidat & pro virili arcet ea mala, quæ probitatis ac felicitatis

licita



licitatis occasionem ipsi eripiunt & intervertunt.

§. II. Nec enim abs re est, quod Horatius pronunciat lib. 3. Carm. od. 24. v. 42.

*Magnum pauperies opprobrium jubet*

*Quidvis & facere & pati,*

*Virtutisq; viam deserit arduæ.*

Hinc Phormio Atheniensis, etsi vitæ integritate, & majorum splendore, nemini Atheniensium esset secundus, recusavit tamen imperium clasfis suscipere, quod ære alieno obrutus, negaret se satis autoritatis apud milites habiturum; teste Pausaniâ in Atticis p. 51. Et Carthaginenses non optimos solum, sed & ditissimos censuerunt magistratibus admovendos, quod arbitrarentur fieri non posse, eum, qui egestate premeretur, rectè sincerèq; magistratum gerere, aut quietem optare. Cælius Rhodiginus lib. 20. cap. 25.

§. III. Rectè etiam sapiens, vel vir bonus, firmâ valetudine sibi ad res feliciter gerendas opus esse intelligens, à morborum incommodis & periculis corpus munit. Exemplo sit Demonax Atheniensis Sophista, qui cum aliquando in balneis refugeret ingredi aquam ferventiorẽ, & alius illum appellaret meticulosum, quid? inquit, an hoc pro patriâ passurus essem? sentiens, meritis esse non fortitudinis, subire periculum, si ob causam gravem & honestam fiat. Erasmus lib. 3. Apophth. p. 725.

§. IV. Amicorum, quò jucundior & utilior possessio est, adeò, ut Aristoteles 8. Eth. c. 1. demonstret,

monstret, eorum præsidium, in omni vitæ genere & conditione, magnum ad res benè gerendas adferre momentum, eò majore cum timiditate & curâ sancta illa societas est ineunda & colenda. Indicatur hoc illò Solonis dicto: Φίλους μὴ ταχὺ κτῶ, ἕς δὲ ἀν κτήση, μὴ ἀποδοκίμαζε; *amicos nec cito compares: quos autem acquisiveris, ne rejicias contemnasve.* Quò quidem vehementer delectatum fuisse Albertum II. Imperatorem, memorat Reufnerus in Symbolis Imperatoriis classe 3. p. 270.

§. V, Denique mors, cum sit rerum humanarum terminus, ultra quem non tantum nihil mali amplius ferendum superat, sed etiam boni nihil sperandum, ut dicitur 3. Eth. c. 9. vir bonus & publici studiosus, à morte debet abhorrere, quippe per quam intercipitur sibi occasio, virtutem suam civibus porro approbandi; unde Cebes apud Platonem in Phædone p. 48. *Sapientes deest graviter mortem ferre, insipientes libenter.* Utrumque prudenti Apophthegmate expressit Aristippus Philosophus: Is, cum navi vectus, obortâ tempestatè vehementiùs solito angeretur animo, quidam ex iis, qui simul navigabant, anne inquit, etiam tu, qui Philosophus es, mortem non formidandam esse predicas, in discrimine expalliscis; nobis indoctis nihil timentibus? imò verò, à ille prorsus; neque injuriâ: mihi enim curæ est anima viri boni ac felicitis; vobis hominum scelerarum & infelicitum. Ælianus lib. 9. variar. c. 2. Gellius lib. 19. c. 1.

¶ VI. Alterum verò illud, non pertimescenda videlicet viro forti mala esse, *μη δὲ κακίας μὲν δι' αὐτὸν, neque ipsius malitiâ, neque sponte accessita*, non tantum firmatur autoritate Aristotelis; verum etiam exemplis virorum constantium & *πρωτόνων*. Non certè animo dejectus est Zeno, qui, cum Athenis, optimis studiis intentus, audisset merces suas periisse naufragiò: *b. ne facis, inquit, fortuna, que me ad pallium & vitam Philosophicam redigis*. Plut. libro de exilio.

¶ VII. Quid, quod nec morbi tanta semper existere potest vehementia, quæ animum prorsus in potestatem suam reducere, & omnem bene agendi industriam intervertere queat; imò verò ipse magister patientiæ, domitor luxuriæ, doctor humanæ fragilitatis existit. *Imbecillitas carnis mentis vigorem acuit, & affectis artibus vires corporum in virtutes transferuntur animorum, ut mihi genus quoddam sanitatis esse videatur, hominem interdum non esse sanum*: verba sunt Salviani ep. 5. Certè morbus articularis, tartareus ille corporum humanorum tortor, patrocinium à Discipulo suo consecutus, magnificis verbis suam (si Hygiæ placet) dignitatem exornare non dubitat. Verba quæ comodat Nobilissimus, & de patriâ insigniter meritus, Wilibaldus Pirckheimerus, inter alia sunt ista p. 209. Apologiæ seu laudationis Podagræ: *Hominum vitia præ cunctis ego curare novi, ita ut nemini hæc arte cedam, sive ille sit Philosophus, sive sit Theologus. Non solum enim impedimento sum, ne mei*

*precipites in scelera ruant, sed etiam mala, que jam diu inolevere, deleo, ac sæpius penitus expello, & ne impunè peccasse videantur, diligenter annitor; & n̄ hæc cuncta præstarem, plerique nunquã à vitiis desisterent, sed assiduè cumularent malum malo.*

§. VIII. Nec minùs eleganter Joh. Jovianus Pontanus lib. 2. de Fortit. c. 8. *Tunc in singulare certamen cum fortunã descenditur, cum corpus ab ea vexatur, cetera exteriora sunt, itaque tanquã agri populantur. Quam infracto animo in acie adversus morbum dimicavit Ft. Vespasianus, muneribus Imperatoriis etiam in lecto defungens? Unde à Medicis reprehensus, respondit: Imperatorem oportere stantem mori. Suet. in vitã c. 24. Non detraxit C. Druso autoritatem cœcitas, cujus domus, ut Cicero meminit, à Consuloribus quotidie complebatur.*

§. IX. Amicorum equidem dulci contubernio carere, res acerba est, & juxta Senecam Confol. ad Helv. c. 16. *nullò dolore affici, cum aliquem ex charissimis amisseris, inhumana duritia est. At viri boni cogitant sese mortales amare, ficut olim respondit Anaxagoras, cum ei nuntiata esset filii mors: nihil mihi inexpertum aut novum annuncias, ego enim illum ex me natum sciebam esse mortalem. Non minùs præsentem in filii mortis animum retinuit Agricola, de quo gener ejus Tacitus in vitã: Eum casum neque ut plerique fortium virorum ambitiosè, neque per lamenta rursus ac mœrorem, muliebriter tulit: & in luctu bellum inter remedia erat.*

§. X.

§. X. Denique si ita necessitas flagitet, ex ipso tenebricosi orci metu animum exporrigit vir fortis, juxta illud Lucani lib. 7. vers. 105.

————— fortissimus ille est,  
*Qui promptus metuenda pati, si cominus instent,  
 Et differre potest.*

Et hoc verè est Philosophicum, cujus specimen, ne verba dedisse pro rebus existimes, exhibuit jamjam ad mortem damnatus Socrates. Nam, cum sortem ejus miseraturus, amicus Apollodorus diceret: *ego verò, mi Socrates, molestissime fero, quod injustè necari te video: tum Socrates caput, ejus demulcens, dixisse perhibetur: tunc charissime Apollodore, videre me malles jure occidi? Refert Socratis auditor Xenophon, in apologia pro Socrate p. 76. cui haud absimile est illud, quod de Phocione Atheniensium Duce scribit in vita Corn. Nepos. Is, cum ad supplicium insons duceretur, obvius ei fuit Emphyletus, quò familiariter fuerat usus. Is cum lacrymans dixisset: ô quàm indigna perpeteris Phocion! huic ille: at non inopinata, inquit: hunc enim exitum plerique clari viri habuerunt Athenienses. c. 4. n. 3. 4.*

§. XI. Qui admirationem & stylium Senecæ meruit animi altitudine, dignus etiam nobis videtur, qui aliquã paginæ partem impleat Canus Julius. Is à Caligula jussus duci ad necem, datò prius decem dierum spatio, quò se ad mortem pararet, gratias egit, quasi pro beneficio promisso.

L §

Igitur

Igitur interea temporis curarum molestiam leniturus, iudebat latrunculis, cum Centurio, agmen periturorum trahens, & illam quoque excitari iubet. Vocatus numeravit calculos, & sodali suo, vide, inquit, ne post mortem meam mentiaris te vicisse. Tum annuens centurioni: testis, inquit, eris, uno me antecedere. Lusisse tu Canum illam tabulam putas? illusit. Tristes erant amici, talem amisisti virum. Quid moesti, inquit, estis? vos queritis, an immortales anime sint: ego jam sciam, nec desit, in ipso veritatem sine scrutari, & ex morte sua questionem habere. Prosequebatur illum Philosophus suus: nec jam procul erat tumultus, in quo Caligula fiebat quotidianum sacrum. Quid, inquit, Cane, nunc cogitas? aut que tibi mens est? observare, inquit Canus, proposui illo velocissimo momento, an sensurus sit animus, exire se, promissumque, si quid explorasset, circumiturum amicos, & indicaturum, quis esset animarum status. His ipsis verbis historiam hanc recitat Seneca lib. de tranquill. c. 14.

§. XII. Plura suppetunt ex veteri memoria exempla: nescio tamen an ullum æquari possit ei, quod reliquit superiori seculo Johannes Fredericus Saxonie Elector. Is cum à Carolo V. victus & captivus, cum Ernesto Brunsvicensi, Torgam velut in triumphum duceretur, nec ulla mororis signa ederet, à fortunæ & captivitatis socio reprehensus, respondit: numquid ab illa angerer, que quando in potestate nostra sita non est, ad nos minime pertinere existimare debemus? Demum denun-

denunciatâ ipsi, more solemnî, mortis sententiâ, vultu nihil motus, nec animo turbatus, Brunsvicensem ad ludendum secum latrunculis invitavit, hâc etiam securitate contentum mortis & hostis pariter præ se ferens. Thuanus lib. 4. Hist. p. 284.

## APHORISMUS III.

Vir fortis in morbo aut  
 mari vitam sibi eripi  
 meritò dolet.

### §. I.

**I**ngloriam enim illam mortem iudicat; quippe cum nulla utilitate publicâ conjunctam, quam tamen unicam metam præfixam oculis tenet. Hinc Hercules apud Senecam Herc. Oet. A. 4. vers. 1171. cum virus, philtro sibi allatum, intra venas furens sentiret, rabie anhelâ artus squalentes urente exclamat, dolet, cœlum implet lamentationibus:

*O misera virtus! summus Alcide dies  
 Nullum malum prostermit: impendo malè  
 In nulla vitam facta. Proh! mundi arbiter,  
 Superique quondam dextera testes mee!  
 Proh! cuncta tellus, Herculis vestri placet  
 Mortem perire? dirus ô nobis pudor  
 O turpe fatum!*

### §. II. Eo-

§. II. Eodem justò furore incitatus, cùm à tempestatibus præsentissimam sibi mortem intentari cerneret Æneas, indignatus, non licere sibi hostili manu cadere, exclamat:

— — — O terque quaterque beati  
*Quis ante ora patrum, Troja sub mœnibus altis  
 Contigit oppetere! ô Danaûm fortissime gentis  
 Tydide, mene Iliacis occumbere campis  
 Non potuisse? tuâque animam hanc effundere  
 dextrâ?*

*Sævus ubi Æacida telo jacet Hæctor, ubi ingens  
 Sarpedon, ubi tot Simois correpta sub undis  
 Scuta virûm, galeasque & fortia corpora volvit.*

Virg. i. Æn. vers. 98. seqq. Cui similem querelam apud Statium lib. 9. Theb. vers. 506. ingeminat Hippomedon:

— — — *Fluvione (pudet!) Mars inclyte, merges  
 Hanc animam? segnesq; lacus & stagna subibo,  
 Ceu pecoris custos subiti torrentis iniquis  
 Interceptus aquis? adeone occumbere ferro  
 Non merui?*

§. III. Nec sine murmure spiritum dimisit Aristides Locrensis, morfu mustelæ Tarthesiæ lethale sibi vulnus inflictum esse sentiens: multò enim jucundiozem ait mortem futuram fuisse, si ex leonis vel ex pardalis morfu abiisset, quandoquidem necesse fuisset aliquam mortis occasionem existeret.



*stere, non debuisse ab ejusmodi contempta bestiola  
interimi. Aelianus in Var. lib. 14. c. 4. Simile  
quid de Gothofredo Bullione refert Freinshe-  
mius ad Curtium lib. 3. c. 5. n. 5.*

## APHORISMUS IV.

Vir fortis in morte bellica  
præcipuam laudem &  
decus collocatum esse  
intelligit.

S. F.

**A**Ristoteles eam mortem convenire viro for-  
ti docet 3. Eth. c. 9. *quæ in rebus pulcherri-  
mis spectatur, ἐν τοῖς καλλίστοις; in maximo &  
pulcherrimo periculo, ἐν μεγίστῳ ἢ καλλίστῳ κιν-  
δύνῳ, unde mors pulchra consequitur ὁ καλὸς θά-  
νατος:* sicut hæc unô veluti fasce ibi compre-  
hensa efferuntur. Ad quam loquendi formam vi-  
dentur se effingere voluisse Latini Scriptores,  
quando & ipsi pulcherrimam mortem, quæ in  
bello appetitur, velut olearii in velabro con-  
spirantes, vocant. Virgilius fortitudinem in a-  
pum popello delineaturus 4. Georg. vers. 216.

—————      —————      —————      Corpora bello  
Objectant, pulchramque petunt per vulnera mor-  
tem.

Eadem

Eadem verba repetit II. Æn. vers. 647. Etiam Florus *pulcherrimam mortem* vocat, quæ pro patria oppetitur lib. 4. c. 1. §. 12.

§. II. Sed nobis exempla sunt promenda. Numantinis tam grave fuit, fame vires bello pares confici, ut à Duce Scipione *prelium orarent, ut tanquam viros occideret.* Florus lib. 2. c. 18. §. 13. Quam obviò occurſu velut amplexatus est mortem, periculis bellicis accerſitam Epaminondas, Thebanorum Dux? Is, *ut relatus in castra semianimis, vocem spiritumque collegit, id unum à circumstantibus requisivit: num cadenti sibi scutum hostis ademisset? Quod ut servatum audivit, allatumque, velut laborum glorieque socium osculatus est.* Iterum *quaesivit, utri vicissent? ut audivit Thebanos; Bene habere se rem, dixit; atque ita, velut gratulabundus patriæ, expiravit.* Just. lib. 6. c. 8. §. 13. Alex. Severus Imperator, eodem lætitiæ genere elatus est, *quòd sibi mortem bellicam & Imperatoriam crederet imminere.* Lamprid. in vitâ c. 62.

§. III. Hujus monetæ est, quod refert Joh. Jov. Pontanus lib. 1. de Fortit. c. 7. de Jacobo Caldora. Is mirâ cum animi voluptate præ se ferebat, quòd in pugna casurus esset, sic enim à Mathematico prædictum acceperat; cumque aliquò gravi morbo esset correptus, sentiretque medicos de salute desperantes: *atqui bonò vos, inquit, animò esse volo: in bello enim atque in acie armato mihi, non in lecto sub culcitra est cadendū.* Quod hostea contigit; nam cum collem Samnii castel-

castellum oppugnat, dum ex equo milites cohortatur, animam repente extulit, nullò doloris signò datò, præterquam quòd, dum à satellitibus equò expirabundus aufertur, atque in tugurium sub tectò collocatur, nutu labrisque significavit, *velle se in tabernaculo vitæ fungi*: indignù Imperatore ducens, sub tugurio emori. Delatus itaque in tabernaculum, statim & acquievit, & diem obiit.

## APHORISMUS V.

Vir fortis etsi est imperterritus in discrimine bellico, non tamen omni prorsus metu est vacuus, sed timet, ut recta ratio & honestas flagitat.

§. I.

**N**on fingendus est nobis animo vir fortis; ut *ἡλιθίος* vel *ἀνάληγτος*, ex sensu, vel doloris sensu carens, ut dicitur 1. Eth. c. 10. §. 2. cùm enim & ipse è carne constet, sanè plagæ & vulnera, & omnis denique labor dolore & molestiâ afficiunt, etsi intuitu finis jucunda ipsi existunt, ut eruditè differit Philosophus 3. Eth. c. 10, & 12.

§. II.

§. II. Sanè Theseus post exantlatos gravissimos dolores, malis se defatigatum esse conqueritur apud Senecam in Hippol. a. 3. v. 843. his verbis:

*Sed fessa virtus robore antiquò caret  
Trepidantq; gressus: heu! labor quantus fuit  
Phlegethonte ab imo petere longinquum aethera  
Pariterque mortem fugere, & Alcidem sequi.*

§. III. Periculis porrò imperterritum se offert vir strenuus, sic tamen, ut non inconsultò in ea se præcipitet, neque ut caput discrimini exponat, ubi extrema necessitas non flagitaverit; sed potiùs majori fortunæ & pulchriori honestatis occasione se reservet. Hâc arte Demosthenem valuisse compertum est. Is, cùm in prælio, quò Philippus Macedo Athenienses apud Chæroneam vicit, clypeò abjectò fugisset, idque ei probro datum fuisset, addito *μψάσπιδος* nomine, cavillum, proverbiali versiculò elusisse legitur apud Plutarchum: *Ἀνὴρ ὁ Φύγων καὶ πάλιν μαχήσεται. Vir fugiens denuò pugnaverit.*

§. IV. Quæ gens Germanis priscis animosior? quæ ad excipienda pericula, si res tulisset, alacrior? at ipsis *cedere loco, dummodò rursus instes, consilii quam formidinis visum est.* Tac. in Germ. c. 6. §. 8. Leonidas Spartanorum Rex, cùm Persarum multitudine circumfusus victoriæ spem sibi nullam superesse cerneret, socios est hortatus, ut recederent, & se ad meliora patriæ tempora reservarent. Just. l. 1. cap. II. §. 5. *Ætoli, quæties Atheniensium milites impetum in eos fecerant,*  
pedem

pedem referebant, ubi se recepissent, rursus instabant, quò genere pugna diu fatigati Athenienses in fugam effusi casiq<sup>3</sup> fuerunt. Thucyd. l. 3. De Parthis memorat Tacitus lib. 6. Annal. c. 35. §. 2. quòd sequi vel fugere pari arte sucti, distrahere turmas, spatium ictibus querere soleant.

## APHORISMUS VI.

Fortes in operibus ipsis accrescunt ac celeres, antea quieti sunt.

### §. I.

Ita Aristoteles 3. Eth. c. 10. Cui prorsus consonum est illud Taciti 1. Hist. c. 84. §. 3. *Fortissimus in ipso discrimine exercitus est, qui ante discrimen quietissimus: & juxta Livium lib. 7. cap. 10. Pertus animorum iraq<sup>3</sup> tacita plenum omnem ferociam in discrimen ipsum certaminis differt.*

§. II. Hòc nomine laudantur Homero Græci; Iliad. Γ vers. 8.

Οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μέγα πνεύοντες Ἀχαιοί.

*Illi vero ibant cū silentio robur spirantes Achai. Eodem elogio mactant Æneam suum Princeps Poëtarum Homerus & Virgilius, velut æmulâ Musâ in laudes ejus proveci. Ita enim II. Γ vers. 200. loquens introducitur.*

Μὴ δὴ μ' ἐπίσσειε νηπύτιον ὡς ἔλαπτο δειδίξεοθ'.

M

No

*Ne me verbis tanquam puerulum speres territum.*

Et vers. 211.

ὅτι γὰρ Φημι ἐπίεσοι γὰρ ἠπυτιόισιν  
ὡς δὲ Νάακον θέντα μάχης ἐξαποπέσοις.

*Non enim puto verbis puerilibus sic diremtos à pugna redituros esse.* Alter Poëta exhibet nobis Æneam Ligeri maledicta patienti aure excipientem, & non in verbis, sed in re virtutem sitam esse docentem. Sic enim inquit Æneid, 10. vers. 584.

————— *Sed non & Troius heros*  
*Dicta parat contrà; saculum nam torquet in hostem.*

§. III. Contrà Græcos alios ut plurimum linguâ magis strenuos, quàm factis pronunciat Livius lib. 8. c. 22. Nempè ignavissimus quisque, & in periculo non ausurus; nimii verbis, lingua feroces: sec. Tacitum 1. Hist. c. 35. n. 2. vel juxta Aristotelem nostrum: præproperi sunt & præcipites, periculumque, antequam periculum ostensum est, adire volunt: in ipsò autem periculò tardiores & à sententiâ desistunt: prorsus ut Pyrgopolinices Plautinus, qui famulis suis imperat his verbis:

*Curate, ut splendor meo sit clypeo clarior,*  
*Quàm solis radii esse olim, cum sudum est, solent;*  
*Ut, ubi usus veniat, contrà consertâ manu*  
*Oculorum præstringat aciem in acie hostibus.*

Vel ut Drances ille Virgilianus, quem his verbis objurgat Turnus lib. 11. Æn. vers. 378. & 389.

*Larga*

*Larga quidem semper tibi, Drance, copia fandi  
 Tunc, cum bella manq̄ pascunt, patribusq̄ vocaris  
 Primus ades: sed non replenda est curia verbis.  
 Imus in adversos? quid cessas: an tibi Mavors  
 Ventosâ in linguâ, pedibusq̄, fugacibus istis  
 Semper erit?*

Unde apud Bactrianos vulgò jactatum esse Curtius memorat lib. 7. c. 4. §. 9: *Canem timidum vehementius lacerare, quam mordere: altissima queque flumina minimò forò labi.* Adde Erasmus Chilia ad. 2. Cent. 19. ad. 47. Lipsium 5. Pol. c. 13.

## APHORISMUS VII.

Est quoddam hominum genus, quod metu plus quàm hominem decet, præ stoliditate quâdam vacat.

### §. I.

**S**I quis non contremiscat ad ea, quæ sunt *ἐπιεικῆ* & *ἀνθρώπων*, & graviora, quàm ut ab homine contemni possent, vires quippe humanas & prudentiam nostram prorsus superantia, is *μανώμενος καὶ ἀνάλογος*, insanus & doloris expertus haberi sciet, cum non extimescat, *κατὰ φόβον τῶν ἐπιεικῶν*, quod omni homini sanâ ratione attentè terribile est: ad quem ferè modum differit Philo-

sophus 3. Eth. c. 10. Porrò idem exempli loco suppeditat Celtas, de quibus refert Ælianus lib. 12. Variarum c. 23. quòd *in fluctus armati se injiciant, & eorum impetum excipiant, protensis gladiis evaginati, & hastis vibratis; perinde atque si terrere vel vulnerare possent.*

§. II. Stultitiâ simili cùm laborarent Pſylli Africæ populi, pœnas naturæ, ludibrium posteris dederunt. Nam cùm exsiccante regionem suam Austrò, penuriâ aquarum urgerentur, in itò publicè colloquiò & còsilio, in animum tandem induxerunt, expeditionem facere adversus Austrum: at is consiliò carens, inconsultos & incautos arenis obruit. Herodotus in Melpomene p. 123. An huc referendi Thraces, de quibus memorat Olaus lib. 3. c. 2. de gentibus Septentrionalibus: quòd *concitato in nubibus fragore, sagittas in aëra excutientes, ostenderint, se opem ferre Diis suis velle, quos tunc ab aliis oppugnari putabant, nec eâ temerariâ superstitione contenti, inusitati ponderis areos malleos, quos Joviales vocabant, ad eum usum habebant, ut per eos tanquam per Claudiana tonitrua cœli fragores, quos malleis cieri credebant, exprimerent.*

## APHORISMUS VII.

Qui confidendo in rebus  
terribilibus excedit, au-  
dax



dax est: qui quidem audax & arrogans esse, & fortitudinis sibi laudem fumere videtur, itaque quô ille animo est in rebus formidolosis; eodem vult hic esse videri.

## §. I.

**H**is coloribus audaces delineat Philosophus; & exemplis repræsentant literarum monumenta. Cyrus plerumque in principiis consistere solebat, nudô capite pugnam præstolatus, ut moris apud Persas erat: sed minùs felicem eventum sortita est temeritas ista: cùm enim in confertissimam hostium turbam se immitteret, cum hostibus implicatum, & iræ indulgentem equus procul provexit, jam tenebris ingruentibus, ignotum hostibus, & amicis quæsitum: demum præter opinionem à Mithridate, Persâ Juvene, jaculô per tempus transverebatur, pòst etiam à Care quodam à tergo vulneratur, hinc ex equo prolapsus & saxo allisus, miserè periit.

§. II. Alexandro Magno quid, nisi fortuna obsequens, fortitudinis decus conciliavit, cùm ex temeritate potiùs, quàm consilio difficillimis

mis rebus caput toties objiceret? Tyrum expugnaturus, cum incolæ acerrimè resisterent, tandem eam muri partem, quæ infirmissima erat, aggressus, cum potè ex ligneâ turri urbis mœnibus adjecisset, solus per illum in murum transcendit, nihil fortunæ invidiam reveritus; nec vehementissimò Tyrionum impetu absteritus, alios interim hastâ, alios ense feriens obtruncavit: nonnullos clypei umbone subvertens, viam sibi in urbem fecit. Diod. Siculus lib. 17. Biblioth. Historicæ. Majori admiratione dignum est facinus, quod affectavit in Sugambrorum urbe. *Hanc cum videret à defensoribus esse desertam, in urbis planitiem sine ullo satellite desiliit, cumq; hostes clamore editâ concurrerent, in uno capite bella orbis finituri, — Alexander constanter resistit, unus adversus tot millia preliatus. Incredible dictu est, (ait Justinus lib. 12, cap. 9.) ut eum non multitudo hostium, non vis magna telorū, non tantus laceffentium clamor terruerit; solus tot millia occiderit & fugaverit.*

§. III. Ita audaciam Fortuna juvat. Fuerunt autem complures, quibus talis audacia damno & exitio fuit. Igitur qui hostem suum, quia imbecillis videtur, minus timet, cogitet Carolum Audacem, quem tota quondam verebatur Europa, superatum fuisse à rudibus adhuc, & militarium rerum ignaris Helvetiis. Videat magnum illum Regem tot, tam vastarum regionem Dominum Hispanum, sæpè victum, & à cōfœderatis Belgis vinci quotidie: quæ quidem

exem-

exempla adducit Jacobus Zevecotius ad Flo-  
rum lib. 2. cap. 14. Ex superiore seculo referimus  
huc tragicum casum Ludovici Hungariæ Regis,  
qui A. 1526. apud campum Mohacz, nescio, im-  
prudentiore, an inauspicatiore consilio cum  
exigua militum tumultuariorum, & magnâ ex  
parte Rusticorum inermium manu, contra ingentes  
easdemque exercitatissimas Suleimanni copias sta-  
re non dubitavit: ut scribit Busbequius epist. 1.  
p. 88.

## APHORISMUS IX.

Qui metuēdo modum fu-  
perat, is ignavus timidus-  
que nominatur. Nam  
quæ metuēda non sunt,  
& quemadmodum non  
sint, metuit, omniaque  
ejusdem generis eum  
comitantur. Confiden-  
tiâ quoq; idem deficit.  
Sed in doloribus ac mo-

# lestis, quia nimis est, magis se indicat ac prodit.

## §. I.

**H**unc timidi characterem ibidem exhibet nobis Philosophus, loco citato. Est enim proprium timidorum, animo labascere, & ad impulsum periculorum viribus deficere, & ignavia dicitur, quia à navanda opera hominem revocat, ubi vel maximè res & pericula eam requirebant, cum quâ jungit se diffidentia, quæ à rerum arduarum conatu hominem absterret, aut ab incepto turpiter desistere cogit.

§. II. Ecce nobis Pompejum! quàm eî gloriam Magni subitò eripuit metus? quàm omnem animi aciem præstrinxit offusus in bello Pharsalico extremorum periculorum fumus? nam ut equites conspexit, ab altero cornu effusè fugientes, non ultrà idem ille fuit, sed tacitus se recepit in prætorium, ibique sedens, eventum expectavit pugne: quousque, omnibus in fugam consternatis, adorirentur hostes vallum, & cum statione præliarentur. Tunc quasi ad mentem reversus, cum unam hanc (uti ferunt) vocem misisset: *Etiam in castra? depositis insignibus imperatoris, sumtâque fugienti congruâ veste, eiecit se clam ex castris.* Plut. in Cæsare.

§. III. Idem autor memorabile illud refert, de Arato, Sicyoniorum Tyranno, cæterâ insigni, nec prudentiâ destituto imperatore, quòd imminente præliò ita viribus fractus & attonitus steterit,

steterit, ut per ludibrium adversarii jaētarent, alium ipsi, instante pugna, moveri, & vertigine ipsum atque somno corripere, simul atque tuba sonuisset, cumq; aciem instruxisset, & signum dedisset pugnae, rogasse praefectos suos & ordinum duces, nūquid praesentia sua sit opus? (nam) actam esse aleam) se cedere praestolatum procul eventum.

## APHORISMUS X.

Mortem obire, ut vel paupertatem, vel amorem, vel ægritudinem aliquā fugiamus, non est viri fortis, sed ignavi potius. Mollis enim animi est, res ærumnosas & laboriosas fugere: at ille non ob id mortem subit ac perfert, quòd honestum sit, ita fugere, sed quòd malum fugere studeat.

## §. I.

POSTquam sententiam hanc laudaverat Muretus lib. 4. var. lect. c. 2. subjungit, idem etiam antè Euripidem docuisse in fine Herculis Furentis, ubi Herculem primò faciat succumbentem magnitudini ejus doloris, quem hauserat è cæde uxoris & liberùm, quam ipsemet, furore divinitus immisso, perpetraverat, & ob id è vitâ discedere meditantem: deinde redeuntem ad se, & mutantem consilium, verentem, ne id sibi ignavia adscriberet, si lucem relinqueret, tanquam ægritudini impar ferendæ.

§. II. Mihi verò videtur hanc doctrinam Aristoteles bibisse è paterâ Pythagoræ, qui vetuit, *injussu Imperatoris i. e. DEI, de presidio & statione vitæ discedere*, ut est apud Ciceronem in Catone Majorè c. 20. Nisi fortasse quis propiùs eam malit arcessere à Socrate, cicutam bibere publicâ autoritate jussu, cujus hæc gravis inter alias oratio extat apud Platonem in Phædone p. 47. *Sermo ille, quod nos homines sumus in quâdam custodia, neq; decet quenquam ex hac seipsum solvere, neque aufugere, magnus quidem mihi videtur neque cognitu facilis. Nonne itaque, ô Cebes & tu si quod ex mancipiis tuis seipsum perimeret, eum tu minimè significasses velle te ut è vitâ excederet; irascereris illi? & si potestatem haberes, poenâ quâdam afficeres? Fortasse igitur hoc modo non præter rationem est, non priùs decere seipsum interficere, quàm Deus necessita em aliquam imposuerit, qualem nobis imposuit in presentia.*

§. III. Et

§. III. Et certè, si accuratiore mentis trutinâ pensitemus quæcunq; exempla eorum, qui violentas sibi manus attulerunt; deprehendemus, furorem istum, si non ex animo malè consultò, & umbram bonitatis pro verâ honestate sibi proponente, certè plerumque ex impatientia, ferendi vitæ hujus ærumnas, profectum esse. Quid aliud in hanc insaniam perpulit heluonû Dictatorem Apicium, Senecæ seculum luxuriæ famâ implentem, quàm egestatis, & famis, sibi acerbissimè utique exituræ metus? Cùm enim absuntâ magnâ per gulam pecuniæ vi, rationibus demùm inspectis, superfuturum sibi sestertium centies cognovisset, venenò vitam finiit, teste laudato jam Romanò Sapiente, Consol. ad Helv. c. 10.

§. IV. Annon amoris insania Didoni Virgilianæ ferrum in viscera adegit? annon Leucadis Petra, multis spiritum elisit, qui præcipites in eam dati, remedium amoris in ea invenire se posse putabant, ut ex autore nondum edito Prolemæo Hephæstione memorat Scaliger, & Etionum Aufonianarum lib. 2. cap. 18. Quid aliud in eam sententiam perduxit Calanum Indum Gymnosophistam, cùm in morbum incidisset, quàm ut eò quamprimùm se liberaret, in pyra extractâ; & super impositâ aureâ lecticâ, corpus in cineres redigens? teste Strabone lib. 15. Eâdem persuasione indutus, mortem sibi accersivit Atticus apud Corn. Nepotem cap. 21. & 22. ut ex ejus ad amicos habito sermone patet: *Mihi, inquit,*

quit, stat, alere morbum desinere, namque his diebus quicquid cibi sumsi, ita produxi vitam, ut auxerim dolores, sine spe salutis. --- Et licet Agrippa eum, flens atque osculans, oraret atque obsecraret, ne id, quod natura cogeret, ipse quoque sibi acceleraret; nihilominus preces ejus Atticus taciturnâ obstinatione comprimens, & biduum cibo se abstinens, tandem morbô levatus decessit.

§. V. De his & similibus exemplis omnibus generaliter pronunciat, Freinshemius in Comment. ad Curtium lib. 5. c. 9. §. 5. quod profecta sint ex quâdam animi mollitie, cum officii sui contentu, quod ab unico illo bono magistro homines illi nondum didicerant, aut si didicissent, flagitiose neglexerant. Excedere enim ajunt se è vita, ut suô potiùs arbitriô, quàm alieno, moriantur; nec tormeliis, & doloribus, ad jussum alicujus Tyranni, corpus atque membra præbeant; ut denique ostendant, nihil in se licere, quantumvis petenti Domino, si ipsi noluerint. At totum hoc (pergit Freinshemius) quædam animi temeritas est, qui infirmitatis suæ conscientia quicquid molestum sentit, fugit potiùs, quàm constanter aut perfert aut profligat, falsâ persuasione cæcatus, hæc ratione finem malorum queri.

## APHORISMUS XI.

Fortitudinem imitantur  
V. species æquè adul-

terina.



# terinæ, nec à virtute & honestatis amore profectæ.

## §. I.

**P**Rimam speciem appellat Aristoteles πολιτικὴν, Civilem, quòd in civitate soleant aliū præmiis invitari ad res fortiter gerendas, aliū pœnarum aut ignominiarum metu ad officium reducantur, quos honesti amor nequit ad pericula, patriæ causa subeunda, incitare. Romanos credideris omnibus gentibus signa veræ fortitudinis sustulisse, si rerum gestarum magnitudinem, si victoriarum felicitatem consideres; sin levatò velò rem aspicias, deprehendes, lautissimorum præmiorum splendore, animos ipsis ad virtutem accensos fuisse. Nec enim aliò spectabant coronæ, triumphalis, obsidionalis, civica, muralis, castrensis, navalis, ovalis, oleaginea, de quibus videatur Gellius lib. 5. Noct. Attic. c. 6. Huc pertinebant statuz, equestres ac pedestres, supplicationes, ovationes, triumphus.

§. II. Illorum verò, qui vitandi opprobrii & infamiæ causa, molesta & periculosa negotia in bello sunt aggressi & tolerarunt, exempla Tacitus indicat in Germ. c. 14. Ita enim ille de Principum comitibus: *Cum ventum in aciem, turpe Principi virtute vinci; turpe comitatui, virtutem Principis non adquare. Jam verò infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem Principi suo*

*suo ex acie recessisse.* Hoc pudoris fræno etiam milites Romanos coërcuit C. Marius, *armatus, intentusque milites cogens*, teste Sallustiô in Jugurth. c. 100. Julius etiam Cæsar in bello Gallico, cum aciem inclinare videret, nunc hos manibus prensando, nunc illos objurgando, *scuto denique è fugientis militis manu raptô, in primum volitans aciem, manu prælium restituit*, ut solus ipse fortiter rem fecisse, cæteri ob pudorem magis, quàm ob virtutem, hosti restituisse viderentur. Florus lib. 3. c. 10. §. 4. Val. Max. lib. 3. c. 2. ex. 19. His talibus exemplis meritò opponas illud Philosophi 3. Eth. c. 11. Δεί δὲ δι' ἀνάγκης ἀνδρείον εἶναι, ἀλλ' ἢ καλόν: oportet non ob necessitatem fortem esse, sed ob honestatem.

§. III. Præter hos sunt & alii, quibus umbram fortitudinis conciliat Εμπειρία, quam quidam milites sibi comparant, frequentibus præliis feliciter debellatis, quam larvam detrahit, & animos revelat durior aliquis casus, qualem ipsi nondum subierunt. Exemplum describit Julius Cæsar lib. 1. de bello Gallico cap. 22. & seqq. in suis militibus Romanis. Horum virtutem luculentam & invictam cum aliquoties in rebus dubiis & afflictis comperisset, paulò tamen post fama nunciasset, congregiendum sibi esse cum Germanis, non minùs incredibili virtute & exercitatione in armis valentibus, quàm ingenti corporum magnitudine nitentibus, *tantus subito timor omnem exercitum occupavit, ut non mediocriter omnium mentes animosque perturbaret: ad-*

è ut vulgò totis castris testamenta obsignarentur, horumque vocibus ac timore paulatim & ii, qui magnum in castris usum habebant, milites centurionesque, quique equitatus præerant, perturbarentur.

§. IV. Perperam etiam fortitudinis gloriam sibi arrogant, qui Iræ impetu præcipites acti, ad vindictam explendam, bellica pericula subeunt, seu, ut ex Homero Philosophus describit, quibus *Δίος ἐμβαλε θυμῶν*, vires injicit ira. Nam nec ipsi honestatis causâ agunt, sed affectûs impotentia obsecundantes, belluarum more, dolorem propulsare conantur: nam & fere, cum percussæ sunt, aut timent, incitantur, & asini, cum esuriunt, & si plagis mulctati, indignantur, & à pabulo se abigi non facillè patiuntur, ut differit Aristoteles 3. Eth. c. II. Hujus fortitudinis imaginem exhibent populi Septentrionales, Cimbri, Theutoni, Germani. Sic enim de iis Seneca lib. I. de irâ cap. II. *Quid Cimbrorum Theutonorumq; tot millia superflua Alpibus ita sustulit, ut tante cladis notitiam ad suos non nunciis, sed fama pertulerit; nisi quod erat illis ira pro virtute? que ut aliquando perculit stravitque obvia, ita sapiens sibi exitio est. Germanis quid est animosius? Quid ad incursum acrius, quid armorum cupidius? quibus innascuntur, innutrienturque: quorum unica illis cura est, in alia negligentibus. Quid induratus ad omnem patientiam? ut quibus magnâ ex parte non regumenta corporum provisâ sunt, non suffugia adversus perpetuum cæli rigorem.* Hos tamen Hispani Gallique

*& Asiæ Syriæque molles bellô viri, antequàm legio visatur, cadunt, ob nullam rem aliam opportunos, quàm ob iracundiam. Jungamus his similibus, aut fævioris ingenii hominem Amurathem I. Turcarum Imperatorem, de quo Chalcondylas lib. 1. de rebus Turc. p. 72. refert, quòd nunquam cupidinè rerum, sed rabie tractus fuerit ad prælium, nec unquam cruore saturari potuerit.*

*§. V. Alios Spei dulcedo armis induit, temulentis similes, quibus ex vino nihil est confidentius: cùm enim illi fiduciâ rerum ex animi sententiâ eventurarum res arduas aggrediantur, ubi Mars ἀλλοτρίου λόγου votis non responderit, terga vertunt, & incepta deserunt. Hos depingit Polybius lib. 16. istis verbis: interdum multis, dum è longinquo res intuentur, etiam ea quæ fieri nequeunt, concupiscunt, propter magnitudinem spei, quæ ostentatur, cupiditate usum mentis & rationis singulis mortalium vincente: qui ubi ad rem propius est ventum, temerè rursus inceptis ab-sistunt, difficultatibus atque impedimentis, quæ occurrunt, oculis ipsorum caliginem offundentibus, & in vanos errores ipsos inducentibus. Expertus in castris hoc suis est Catilina, qui cùm militū suorum virtute certam sibi victoriam polliceretur, postea patefactâ conjuratione, sensit dilabi, quos ad bellum spes rapinarum, aut novarum rerum studium illexerat; teste Sall. in Catil. c. 57.*

*§. VI. Sunt denique, qui cæcò Ignorantiæ ac imperitiæ impetu, præcipitant se in pericula,
 quæ*

quæ dum ingruunt, nisi pœnitentiâ ducti in fugam se proripiunt, & ludibrium hostibus debent. De his circumfertur vulgatum Proverbium, quod ex Pindaro citat Erasmus chil. 4. cent 1. ad. 1. γλυκὺς ἀπειρῶ πόλεμος. *Dulce bellum inexper-  
tis.* Quod Vegetius ita reddidit lib. 3. de re mil. c. 14. *Nec confidas satis, si tyro praelium cupit, inex-  
pertis enim dulcis est pugna.* Exemplum vanæ ejus fortitudinis exhibet Aristoteles in Argivis, qui in bello inciderunt in Lacedæmonios, quorum erat maximum nomen bellicæ virtutis, putantes eos esse Sicyonios quos despiciebant, ac nullò negotiò superare se posse confidebant: sed hanc imperitiam Argivi suò damnò & clade expiarunt. Huc refert P. Victorius in comment. ad h. 1. illud de Pelopidâ Thebanò, cui exercitum ducenti cùm accurrisset quidam, dicens; *incidimus, Imperator, in hostes,* respondit: *Cur magis, quàm illi in nos?* exprobrâs ei sermonis confidentiam, & virium propriarum ignorantiam.

---

PARTIS III.

SECT. II. CAP. II.

DE

TEMPERANTIA

APHORISMUS I.

Temperans in fruendo ci-

bo & potu , rei que ge-  
nialis usu, sanitatis & ne-  
cessitatis rationem ha-  
bet, nec vehementi il-  
lorum voluptate affici-  
tur.

§. I.

**M**ensura optima assumendi victus, & genialis  
voluptatis fruendæ, est necessitas reficiendi  
vires corporis, partim labore, partim nativò &  
intrinsecò calore depastas, nec nõ insita plerisq;  
mortaliũ cupiditas generatione sui similis pro-  
hibendi interitum speciei humanæ: quæ qui-  
dem officia ad honestatis regulam dirigit tem-  
perantia per tres, ut sic dicam, facultates suas  
ministras, seu ut aliis loqui placet, partes pote-  
stativas; Frugalitatem, Sobrietatem, Castitatem.

§. II. Prius naturæ officium, in cibi & potus  
assumptione consistens, scitè definivit Socrates;  
quando docuit, *abstinendum à cibis, qui non esu-  
rientem incitarent ad edendum, & à potu, qui non  
sumentem invitaret ad bibendum.* His enim re-  
bus non esse utendum, nisi quatenus corporis neces-  
sitas exigat. Eras. in Apophth. lib. 3. Unde etiam  
dicere solebat, *alios vivere ut ederent, se autem  
edere ut viveret*, teste Plut. lib. 10. de audiendis  
Pœtis. Cui consonat illud Eusebii Philosophi  
apud

apud Stobæum ferm. 17. *optimè constituti animi hoc argumentum est, non ad epulandum se natum existimare, neque in eo vitam reponere, sed vivendi gratiâ nobis alimenta dari iudicare.* Cujus quidem continentix singularis id præmii tulit, ante laudatus Socrates, ut non tantum omnem ferè vitam inoffensâ valetudine traduxerit, verum etiam, totâ Atheniensium civitate internecionò mortis genere laborante, salubritates corporis retinuerit, & communi clade exemptus fuerit. Ælianus lib. 17. Var. c. 17. Gell. lib. 2. Noct. Attic. c. 1.

§. III. Agmen igitur temperantium dignus est qui ducat Socrates. Hunc meritò excipiat edoctus in ejus ludo Plato, magnam eò nomine gratiam iniens apud Timotheum Cononis filium, Atheniensium Ducem. Nam cum hic, omisso opiparò apparatu & splendidis epulis, convivio Academicò, eoque adeò tenui & frugali, sed salutaribus colloquiis instructo exciperetur, tam impensè delectatus fuit ista hospitalitate, ut palam prædicaret, *Platonis cœnas etiam in alterum diem sapere.* Ælian. lib. 2: c. 18. Bellariis his Philosophicis accedat *Xenocratis caseolus*, qui meruit proverbiali figurâ tenuia prandia celebrare.

§. IV. Ac ne sub sordidis tantum Philosophorum palliolis sedem fixisse. Divam istam arbitreris, ecce, quam in ipsis Regum palatiis, & Principum aulis locum nonnunquam inveniat. Invenit sanè apud Alexandrum M. parariò

Diogene Cynicò, Philosophò utique, cujus vita frugi, & deliciarum exors, adeò ipsi aliquando placuit, ut pronunciare non dubitârit: *Nisi Alexander esset, Diogènem se velle futurum.* Sed ecce specimen luculentum! Cùm Regina Carum, Adas, assidua ei mitteret opsonia bellariaque, per talium rerum architectos coquosque magnâ arte parata, Alexander ait: *Seipsum habere meliores opsoniorum artifices; ad prandium quidem nocturnum iter, ad cœnam vero tenue prandium.* Plut. in vitâ.

§. V. Ac ne Romanos veteres in theatrum producamus, quibus frugalis simplicitas viam ad ampliorem virtutum campum struxisse videtur; duravit hæc, etsi rerum secundarum affluentia haud rarò corrupta, sæpè profligata, per tot casus ad ipsum usque Augusti Imperatoris, ævum, ad quem translatum quâdam fatorum industria videtur, ut *prorum in omnia mala, & in luxuriam fluens seculum, gravibus severisq; legibus multis coerceret*: juxta verba Flori lib. 4. c. 12. §. 65. Is igitur à suo, quod ajunt, Lare orsus, cibi *minimi voluit esse, atque vulgaris ferè. Secundarium panem, & pisciculos minutos, & caseum brebulum, manu pressum, & ficos virides bifera maxime appetebat: vescebaturq; & ante cœnam, quocunque tempore & loco stomachus desiderasset.* Unde ausus in quâdam epistola scribere: *Ne Judeus quidem, mi Tiberi, tam diligenter sabbati jejunium servat, quàm ego hodiè servavi, qui in balineo demum, post horam primam noctis, duas*  
buccas



*buscedo manducavi; priusquam ungi inciperem.*  
 Refert Suet. in vitâ c. 76.

§. VI. Succedente tempore degeneratum, rursus est ab avitâ continentiâ: sed eam cum pristinâ virtute in integrum restituere conatus Carolus M. Is cùm in cibo & potu temperans, in potu tamen temperantior esset, ebrietatem in qualicumque homine, nedum in se ac suis plurimum abominabatur: teste Eginhardo in vitâ. Adeò longè diversus agebat à majoribus suis, priscis Germanis, qui, etsi sine apparatu, sine blandimentis, expellerent famam, adversus sitim tamen, non eadem durârunt temperantiâ. *Si indulseris ebrietati* (ait Tacitus Germ. c. 23. §. 3.) *suggerendo, quantum concupiscant, haud minùs facile vitis, quàm armis vincuntur.*

§. VII. Sed cum Magno certavit de hac palma, virtute & rebus gestis non minor Carolus V. Is namque convivia sua, sine convivâ, moderata & frugalia, in publico ferè, ut omnibus ea spectare liceret, peregit. Ab ebrietate & omni conviviorum & vestitus luxu, & voluptatibus cæteris, non minùs in adolescentiâ, quàm virili & senili ætate alienissimus semper fuit. Nihil concessit in hâc laude fratri & antecessori Ferdinandus I. Hic tam pertinacis temperantiæ exitit, ut vulgò jactatum fuerit: *Ferdinandum nunquam fuisse vinò superatum.* Unde cùm quorundam Germaniæ Principum Legati ad Comitia missi multa convivia instituerent, totosq; dies ac noctes perpotarent, eos ad se vocatos

hisce verbis objurgatoriis allocutus est: *Sciatis vos non belluandi, sed publica Imperii negotia tractandi causâ huc missos esse. Quare vestrum est, ut ebrietatem maledictam, quæ simul corpori & animæ nocet, cœu pestem fugiatis, & ea, quæ vobis commissa sunt, summâ cum diligentia perficiatis.* Christ. Matth. in Theat. p. 1083.

§. VIII. Hæc cibi & potûs abstinentia nutrit & in sinu vovet delicatam filiam Castitatem. Ea duplex est; Virginea seu cælebs, & Conjugalis: *Illæ occasiones & irritamenta libidinis sedulo fugit, nec illicitarum voluptatum desiderio torquetur, sed spe honesti matrimonii se sustentat. Hæc intra unius thalami pudicitiam affectus sepelit, non servit libidini, sed tantum querit prolem Christo educandam & frequenter orandi gratiâ intermittit usum conjugii, ut alicubi ab Erasmo describitur.*

§. IX. Juvenibus omnibus memorabile: tropæum erexit Scipio Africanus, dum devictâ Hispaniâ, curarum vacuus, lætitiâ exultans, adductam inter puellarum captivarum agmina virginem comendatissimæ formæ, eamque illustri loco natam, sponso, præsentibus parentibus, intactam, uti acceperat, restituit; adjecto insuper summæ dotis aurô, quod pro redemptione puellæ allatum erat. Val. Max. lib. 4. c. 3. exemp. 1. Sed Scipioni quidem litem de hæc gloria moveri posse Gellius subindicat lib. 6. N. A. c. 8. Sufficiamus g. ei Alex. M. hominem, si non sincerô virtutis amore flagrantem, saltem splendoris externi, quem ipsa suis cultoribus conciliat, cupidif-

capitissimum. Is victo Dario, cum fortuna, simul cum Regiis opibus ejusdem & uxorem & filias transtulisset, in tantâ licentia ita arctè stimulos libidinis repressit, ut, cum ipse alias oculorum tormenta mulieres illas appellaret (ut est apud Plutarchum in vita. c. 36.) non modò vim à corporibus, sed etiam oculos ab his illecebris abstineret. Curt. lib. 3. c. 12.

§. X. Affectavit autem, & meritissimò affectata est hanc laudē prisca Germanorum natio, de quâ non tantùm Cæsar lib. 6. de Bello Gallico: *Intra annum vigesimum fœmine notitiam habuisse in turpissimis habent rebus; sed etiam Tacitus de Germ. moribus c. 20. Sera juvenum Venus, eoque inexhausta pubertas. Nec virgines festinantur. Eadem juvenia, similis proceritas, pares validique miscentur, ac robora parentum liberi referunt.*

§. XI. Præter hæc suppetunt etiam conjugalis fidei & continentiae exempla: nam & ista laudem merentur, quòd affectus in fruendo venereò amore vehementiam intra custodiam unius tori compingi posse docent. E Lacedæmonum sobriâ disciplinâ sistamus hîc pudicam illam fœminam, quæ de stupro per internuntium appellata responsum reddidit: *Puella cum essem, patri didici dicto audiens esse, idque feci, postquam nupsis viro; si igitur equa à me postulat, huic primùm id aperiam.* Plut. in Lacon. Non multum ab simile in Christianis reperimus, quod memorat Ludov. Vivès lib. 2. de Christiana fœminâ: Im-

pu<sup>d</sup>icus quidam amator, cum potiri illicito cō-  
plexu Mediolanensis cujusdam matronæ impen-  
sè desideraret, sciretque quòd ipsa Marfidium,  
maritum suum tenerrimè diligeret, ausus est rem  
turpem petere per vitam & salutem Marfidii;  
tùm illa: *Marfidius mallet centies mori; quàm id  
semel à me committi; quod verò per salutem illius à  
me requires, ab ipso petito.*

§. XII. Discrepat nonnihil, sed fidem tamen  
conjugalem abundè demonstrat, quod refert  
Plutarchus lib. de Virtut. Mul. Cùm Romani,  
Duce Manliò, vincerent Gallos Asiaticos, evenit,  
ut Chiomara quædam inter alias duceretur ca-  
ptiva. Qui ea potitus erat Centurio, libidino-  
sus & avarus, pudicitia ejus vim fecit. Mulier,  
dissimulatò dolore, pretium numeratura pro li-  
berando corpore uni eorum, qui se redemptum  
venerant, innuit, ut Centurionem, qui ipsam  
tùm complectens valedicebat, percuteret; cum-  
que is paruisset, & caput occiso amputâisset,  
Chiomara id gremio involutum secum abstulit:  
cùmque ad maritum venisset, ante eum projecit,  
& mirante eo, ac dicente: *O mulier, præclara res  
est fides! omninò, inquit; sed id pulchrius est, unum  
tantùm vivere, qui tecum rem habuerit.*

§. XIII. Miscere his Turcas libet, in ipsa et-  
iam Barbarie suâ castitatis & integritatis conju-  
galis amantes. De iis Busbequius scribit ep. 3.  
*Turce, si qua alia gens, uxorum pudicitia student;  
ideo conchas servant domi atque abduunt, ut vix  
solem adspiciant; quòd si in publicum necessitas evo-  
cet.*

cet, ita tectas, ita pannis obvolutas emittunt, ut mere larvæ aut spectra occurrentibus videantur. Ipsi quidem viros per lineam aut setaceum videndi copia est; viris nulla earum corporis pars ad conspectum patet. ----- Qui sunt opulentiores, aut in aliquo honoris gradu, eâ lege ducunt, ne limine unquã pedem efferant, ne quis, quæve, ad eas, visendi vel quacunque de causa admittatur, ne consanguineorum quidem proximi, excepto patre & matre, qui die Paschatis visere filiam non prohibentur. Pro quo si mulieres eminenti dignitate patrem habeant, aut dotem attulerint grandiore, repromittunt vicissim mariti, se nullus habituras pellices, sed eis solis contentis fore.

§. XIV. Et hæc quidem foeminarum potissimum exempla sunt, quarum ad honesta aut prava major sæpè impetus. Sed nec viri destituuntur ejus continentiae exemplis. L. Lucullus occupatâ Tigranocertâ, multas potentissimorum, conjuges captas nec ipse contaminavit, & ab aliorum injuriâ defendit; eoque factò maritos sibi conciliavit. Autor Dio Cassius, lib. 35. in initio. Augusti Cæsaris domum libidinibus infamem quis nescit? At eum aliquando incessit verecundia, foedò facinore se polluere. Cleopatra enim ad pedes ejus provoluta, clementiam formæ beneficio impetratura, tentavit oculos ejus frustra. Nam pulchritudo intra pudicitiam Principis fuit. Ita scribit Florus lib. 4. c. 11. §. 9. De Juliano Cæsare Ammianus Marcell. lib. 24. Ex virginibus, inquit, quæ in expugnatione cujusdam oppidi speciosa

*ciose sunt captæ, ut in Perside, ubi feminarum præ-  
 chritudo excellit, nec aliquã contrebere voluit, nec  
 videre. Cæterum in hac exemplorum segete to-  
 tus est occupatus Lipsius lib. 2. Mon. & Exempl.  
 Polit. c. 17, cui addatur Lansius in Consult. pro  
 Germaniã.*

## APHORISMUS II.

Circa cupiditates volupta-  
 tum multis modis pec-  
 catur: nam cum hujus  
 aut illius rei amantes ex  
 eo dicantur, vel quòd  
 re delectentur, quã non  
 oportet, vel quod nimi-  
 um delectentur, vel  
 quòd ita ut vulgus, vel  
 quòd non ita ut oportet,  
 vel quòd non quã  
 parte oportet; intem-  
 peran-

# perantes his omnibus in rebus modum superant.

## §. I.

**V**erba hæc sunt Aristotelis 3. Eth. c. 13. Potest autē vel hic locus confirmare veritatem illius asserti, quod idem Philosophus ex Pythagoræorum scholâ haustum assert lib. 2. Eth. 5. *Peccare multis modis possumus: rectè verò agere uno tantum modo licet.* Igitur sicut temperantiæ officium consistit in τῷ τηρεῖν τὸ χρὴ Φύσιν, ut servetur modus nature conveniens, seu tantum edatur & bibatur, quantum naturæ necessitas postulat: ita intemperantia leges ejus virtutis multis modis transgreditur, utpote 1. earum rerum delectatione capi, quæ sanitati officiant, nimio seu calore seu frigore. 2. gulæ nimis indulgere, & corpus animumque prægravare iis fruendis, quæ palato sunt grata. 3. obvia quævis deglutire, nullâ delectûs ratione habitâ. 4. neglectis decoro, personis, locô, tempore, aliis circumstantiis vocare ad ingluviem usque, ambabus faucibus expletis, & bibere totâ amysside. 5. Venere promiscua, & pudore ac famâ insuper habitâ, uti. Quæ quidem omnia ad tres species revocari solent, quarum prima est voracitas, altera Bibacitas, tertia Libido,

§. II. Prodeant ergò primò nobis γαστρίμαχοι, Lurcones, Comedones heluones qui in ventre habent confidentiam ut Ergasilus ille Plautinus in Capt. act. 4. sc. 2. v. 25. qui bovem in faucibus

*bus portant, ut est in proverbio, nato vel à Theogene Athleta Thasto, vel à Milone Crotoniatâ, quorû alter bovem solidum solus comedit, teste etiam Gracô Epigrammate, alter in Olympiis Taurum quadrimum humeris sustulit ac stadii spatio gestavit eumque eodem die solus comedit. Videatur, Erasinus Chil. 2. Cent. 3. ad. 10.*

**§. III.** Maximini Imperatoris voracitas fidem superaret, nisi historiarum monumenta simul monstruosam hominis staturam indicarent. Is igitur, præterquã quòd sæpè uno die amphorã vini bibit, comedit libras carnis 40. aut etiam 60. ut ex Ælio Cordo & Capitolino refert Heidemannus compendii Hist. l. 4. p. 210. In hunc censum referendus ille Phago, quem aluit Valerius Aurelianus, qui tam capaci gulã ac ventre fuit, ut uno die ante mensam ejus, aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellum comederet: biberet autem infundibulo appposito plus orcã, ut auctor est Vopiscus in Aurel. cap. 50. Numerum faciat fruges consumere natorum Barbarus ille, in comitiis Trevirensibus A. 1511. ad Imperatorem Maximilianum ductus, qui pro unâ refectione vitulum vel ovem devorabat, & nihilominus se adhuc esurire protestabatur: ut ex Basilio refert Christ. Matth. in Theatro p. 1031. Plura ex antiquã memoriã exempla qui desiderat, consulat Athenæi librum 10. Dipnos. & Lipsii epistolam 51. Miscellanæam.

**§. IV.** Nos manduconibus potatores sufficemus, ut *Vana sequatur vibiam*; nec verò foris  
aut



aut è longinquo nobis petendâ sunt exempla. Domi atque adeò in sinu nostro nascuntur, hæreditariò quòdam jure translata ad nostram, haud deterio-rem avis, ætatem, mox daturam progeniem vitiosiore? Quæ enim frons esse potest quæ id dissimulet? ingenuè Tacitus de Germanorum moribus, vel ideò fide dignus, quòd alioquin nec virtutes eorum, quantumvis hostium, sicco pede prætereat. Sic autem in fit cap. 22. *Diem noctemque continuare potando, nulli probum; addit etiam: de reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & asciscendis principibus, de pace denique & bello, plerumque in conviviiis consultare: tanquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat.*

§. V. Nos ipsos è Germanis natos esse, vel sola potandi libido argumento esse queat. Quis nescit sodalitia bibonum, certamina potantium? unum instar omnium esto exemplum, quod referunt Camerarius operarum succis. Cent. 1. cap. 94. & Lipsius loc. cit. Nuptiæ paulò antè finem superioris seculi in Nariscis celebratæ sunt viri Nobilis. Ibi ad exhilarandos convivas certamen potionis propositum, editumque inter ministros. Cùm multi de palmâ strenuè dimicassent, unus ex illis sex conchios, i. e. decem & octo pocula, seu mēsuras nostrates octodecim exhaustis, & præmium retulit. Haud ignarus ejus indolis Carolus V. cùm aliquando admone- retur in castris, ut Germanis militibus de vitadâ ebrie-

ebrietate leges ferret, respondit, *perinde fore, ac si Hispanis interdiceret, ne furarentur.* Hoc vitium festivis cavillis exprobrat Martialis Britannicus, Joh. Ovvenus, utpote lib. 1. epigr. 18

*Mersum in nescio quo Verum latitare profundo*

*Democritus, nemo quod reperiret, ait:*

*Si latet in vino verum, (ut proverbia dicunt)*

*Invenit verum Tonto, vel inveniet.*

Et lib. 2. epigr. 55.

*Mors ( inquit Seneca ) est non esse, Palynice;*  
*contra*

*Germanus mortem non bibere esse putat.*

§. VI. Taubmannus etiam nec ipse incitus argutiarum artifex, postquam in comment. ad Plauti Persam act. 5. sc. 1. vers. 20. docuerat, *solitos fuisse Grecos & Romanos non tantum Diis, sed & Principibus, Beneficis, Praeceptoribus, Amicis libasse, eorumque honori bibisse inter pocula & mensas maxime secundas;* subjungit demum: *Quanquam simplex ibi libatio & gustatio, apud nos vero λυτῆρον ἔστιν ἢ ποτὸς, balneum est, non potio; ita infundimur & perfundimur hodie, atque adeo confundimur, dumque alienae saluti libamus, nostram limamus atque ledimus.* Et saepe fit, ut apud ejusmodi balneatores jus brutorum nullis precibus impetrare possimus. (Das Ochsen-Recht kan man nicht haben/denen weder in Fressen noch in Saufen mehr wird aufgedrungen/als sie selbst wollen.)

§. VII. Sed Germanus candor veritatem hanc nobis extorquet. Neque tamen in aliorum vitiis nos talpas esse oportet, cum in nostris lynceis  
simus.

simus. An enim sicciore Germanis Græcos esse putemus? atqui horum nomen vitæ genialis & voluptatibus effœminatæ significationem apud Latinos Poëtas subiit: quid enim aliud sibi vult illud Comici in Mostell. A. I. sc. I. v. 21.

*Dies noctesque bibite, per, grecamini,*

*Amicas emite, liberate, pascite*

*Parasitos, obsonate pollucibiliter.*

Imò à quibus aliis, quàm à Græcorum symposiis, ortum traxit rigor illius legis: ἢ πῖσι ἢ ἀμῖσι *aut bibe aut abi.* Quanto civilior hæc lex, quàm ea, quam Empedocli in convivio præscripsit convivii præfectus, ut aut biberet, aut vinum in caput illius effunderetur. Vid. Erasmus in Adag. Chil. I. cent. 10. ad. 47.

S. VIII. Sectatus etiam in hoc certamine, palmam est Alexander M: ne, qui victoriarum felicitate superiorem ferre neminem poterat, in computationibus succumberet. Certamen potandi aliquantò indicit strenuissimo bibonum. Protheo Macedoni, proposito duorum congiorum poculò, quod cum ille bis eduxisset, & impletum Alexandro rursus propinasset, hic impar viribus, non sustinuit, & in pulvinar reclinato poculum è maribus est elapsum. Ac jam inde morbo correptus, interiit; Bachò, ut fama est, irato, quòd Thebas, patriam obsedisset. Bibacissimus Alexander certè fuit, ut qui temulentus sæpiùs duos totos dies, noctesque totidem cubans, crapulam edormiret. Refert Athenæus lib. 10. Dipnos. c. 9.

§. IX. Concatenata ejusdem potandi gymnasmata memorat etiam *Alianus Var. Hist. lib. 8. c. 23.* his verbis: *Cum quinta die mensis, ut fama est, perpotasset apud Eumaeum deinde, sextam crapulam edormivit, neque plus illo die fecit, quam ut surgeret, & Ducibus de crastina profectioe mandata daret, inquiring: eam summo mane futuram. Septimam deinde die epulatus est apud Perdiccam, quam se rursus vino ingurgitavit, & octavam dormivit. Et decimam quintam die ejusdem mensis iterum indulsit vino, & sequenti solito more crapulam somno decoxit. Vigesima quartam cenavit apud Bagoam.*

§. X. Receptui sanat huic ebriosorum exercitui Bonafus, Rhetoris aut Pædagogi literarii filius, è Britannia, professione quidem miles, sed qui magis adorem in symposiis, quam præliis sectabatur. Is enim, ut est apud Vopiscum, bibit, quantum hominum nemo. Itaque *Aurelianus Imperator* sæpè dicebat: *Non ut vivat, natus est, sed ut bibat.* A quo tamen in pretio habitus est, quod, si quando barbarorum Legati advenissent, vino eos inebriare & ita deponere poterat, ut secreta ab eis cognosceret. Ipse interea quantum libet bibisset, semper securus & sobrius erat, ita, ut adhuc in viro prudentior deprehenderetur. *Quantum enim biberat, tantum mesere solitus est: neque unquam aut pectus ejus, aut venter, aut vesica gravabatur. Victus tandem à Probo, cum laqueo vitam finisset, joco locum dedit. Amphoram perdere, non hominem. Dignus omninò hic siphon, cujus se-*  

pulchra

pulchro inscribatur epitaphium illius parafiti, quod, repertum Romæ juxta portam Campenam, ubi olim sepulturarum monumenta apud Veteres Romanos posita erant, memorat Camerarius Operarum Succif. Cent. I. c. 94. Sic autem illud habet:

HEUS. HIC. SITUS. EST. OFFELIUS. BUBALUS. BIBULUS. QUI. DUM. VIXIT. AUT. BIBIT. AUT. MINXIT. ABI. PRÆCEPS.

§. XI. Cæterum ut Ceres & Bacchus multos mortalium ad generum Cereris morte madidâ demittunt: ita iidem Divi Venerem irritant: unde Aristophanes οἶνον Ἀφροδίτης γάλα, *vinum lac Veneris* appellavit; nec aliam causam putemus esse illius, quod scribit Val. Maximus lib. 2. cap. 1. Ex. 5. *Vini usum Romanis fœminis ignotum fuisse, ne sc. in aliquod dedecus prolaberentur; quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit. Fit enim plerumque, ut homines lenti ac ebriis, tunc, cum cibô potuque ad summum distenti sunt, ad res Veneras prouant sese: ut scribit Phil. Melanch. T. 1. Declam. p. 683.*

§. XII. Enim verò, quò fœdus est hoc vitium libidinis, & verecundis juvenum animis magis despucendum, eò velocius hanc Mephitim, præternavigabimus. Nec enim abs re est, quod scribit Casaubonus in doctissima dedicatione ad Henricum IV. Galliarum Regem, Polybio præfi-

xā: *Talium rerum non tam cognitionem posse esse fructuosam, quam exemplum perniciosum, cum verissime à Plinio dictum sit, parum abesse à docente eum, qui narret.*

§. XIII. Habeant igitur res sibi suas apud *Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam,* & judicantem ibi audiant Æacum, Semiramis, quæ defuncto Ninō non alteri marito legitimo matrimonio nubere voluit, sed eos ex militibus delegit, qui in castris erant formosissimi nec prius libidini finē fecit, quam à filio, cujus cōcubitū expetebat, interficeretur. Sardanapalus, qui molitie corporis, & lasciviā oculorum omnes mulieres superavit, & hanc insatiabili libidine contentum sibi apud subditos & exitium accersivit.

§. XIV. Neque etiam vulnerabimus pudicas aures, operosā commemoratione flagitiosæ vitæ Babyloniorum, de quibus Curtius lib. 5. c. 1. n. 37. *Nihil urbis ejus corruptius moribus, nec ad irritandas illiciendasque immodicas voluptates instructius. Liberos conjugesque cum hospitibus stupro coire, modo pretium flagitii detur, parentes maritique patiuntur.* De Corinthiis Strabo lib. 8. *Fanum Veneris Corinthi ita fuit locuples, ut plures quam mille habuerit sacrorum famulas meretrices, quas Dea viri mulieresque dedicaverant.*

§. XV. Fortassis autem æquiore hæc animo utcunque ferenda sunt, si homines à seculi, in quod nascendi quādam infelicitate inciderunt, culturā & elegantiam alieniores, ducatum flagitiis præbuerunt. Jam verò detersā dudum Ro-

mul

muli foete, foediffimis libidinibus dignitatem, præbuisse Imperatores Romanos, quos vitæ sanctitate Reip. suæ gloriam æquare decebat, minus est tolerabile. Piget malè olètem movere Camarinam. Quem latere possunt, vel perfuntoriè volventem historiz Augustæ Scriptores, turpitudines & nefanda vitia Julii Cæsaris, Tiberii, Caligulæ, Neronis, Vitellii, Domitijani, Heliogabali, qui quasi in imperio, velut licentiæ & libidinis campo, essent constituti, turpissimis factis, partam à majoribus laudem in infamiam convertebant?

§. XVI. In muliebri sexu vitium hoc majores vires sumit: unde & Gentiles foeminam ei magis præfere, Venerem, quam virum volebant. Consulendum tamen & hic pudori; etsi in adducendis exemplis operam nobis furripiat Lipsius lib. 2. Monit. c. 1. Quibus nos duo addamus paulò recentiora: unum, quod affixit penates Ottonis III. alterum quod Sigismundi, Imperatorum. Ille in conjugio habuit, habere certè debuit, Mariam, plenè impudicam, quæ secum muliebri habitu circumduxit juvenem, quòcum quotidie congregiebatur, quandoquidem & pro cubiculario utebatur. Quod cum innotuisset Imperatori, multis præsentibus spoliatus est vestibus, inventusque pro foeminâ masculus, vivus deinde combustus est. Refert Münsterus in Cosmogr. lib. 3.

§. XVII. Nihil concessit huic Mariæ abominandâ lasciviâ, Barbara, Sigismundi Imperatoris

ris uxor, ut quæ sæpius viros peteret, quàm peteretur; nihili castitatem æstimans ac pudicitiam; vitam omnem censuit inanem, quæ non luxu ac libidine contereretur; nihil omisit procacissima mulier, quò voluptatem expleri intelligebat, animam cum corpore interituram iudicans. Epicureo alicui porco hanc fœminam nubere oportuit, non Imperatori; etsi & hic adulter adulteræ ignovit, quia & ipse crebrò alienos violavit toros, matrimoniaque aliena tentare nullius rei duxit. Videatur Cuspinianus in vitâ Sigismundi.

---

## CAPUT III.

*De*

### LIBERALITATE.

#### APHORISMUS I.

Liberalis non largiatur *τοῖς τυχεῖσι*, quibusvis hominibus casu oblatis, sed delectum eorum habeat, quorum conatus & virtutem adjuvet.

C. I. Ob.



S. I.

**O**bjicit huic sententiæ autoritatem Christiani nominis Lactantius, qui, ut alias τῆ ἀμετρίᾳ τῆς ἀφροσύνης abreptus, gentilium Philosophorum prudentiam vellere subinde & elevare conatur, ita etiam hinc in alia omnia ab Aristotele abire studet. Sic enim simpliciter & apertâ fronte asserit lib. 6. cap. XI. *Non idoneis hominibus largiendum est, sed quantum potest, non idoneis. Id enim juste, id pie, id humanè fit, quod sine spe recipiendi feceris.* Et paullo post: *Quid personas eligis? quid membra inspicias? pro homine tibi habendus est, quisquis ideò precatur, quia te hominem putet. Abjice umbras illas, imaginesque justitiæ, atque ipsam veram & expressam tene: largire cæcis, debilibus, claudis, destitutis, quibus, nisi largiare, moriendum est. Inutiles sunt hominibus, sed utiles DEO, qui eos retinet in vita, qui spiritu donat, qui luce dignatur. Fove, quantum in te est, & animas hominum, ne extinguantur, humanitate sustentata.*

S. II. Enimverò nec summum Numen casu & promiscuè profundere sua in dignos indignosve bona existimemus. Largitur sanè nonnūquam indignis, sed prudenter, sed bono fine, ut sc. vel obrutos beneficiorum magnitudine ad frugem invitet, vel ad agnitionem ingratitude aliorumq; delictorum flectat, vel aliis dignis inexhaustam bonitatis suæ magnitudinem, improbis etiã patētem, declaret. At per istas largitiones non exhauritur fons divinæ liberalitatis, qui

æquè perfundere potest dignos, et si indignos nonnunquã imbuat: cum vir bonus adstrictas sæpè intra angustam mensuram & exiguos terminos opes possideat, quæ si indignis impendantur, digni carebunt.

§. III. Hic igitur sub mente subinde volvet illud Socratis, qui cum aliquem faciliè omnibus gratificari, nulloque defectu suppeditare animadvertisset: *malè pereas*, inquit, *quoniam Charites virgines, ut scorta prostituisti.* Stobæus serm. 15. Et alterum Alexandri Severi Imperatoris pronunciatum: *malum pupillum esse Imperatorem, qui ex visceribus provincialium, homines nec necessarios, nec utiles Reip. pasceret.*

§. IV. Ne tamen inviti dare censeamur, adeoque liberalitatis gloriã excidamus, ita deneganda sunt ampla beneficia, alendæ malitiæ hominum perditè ac deploratè improborum facientia, ne nimis anxie inquirendo in mores hominum, humanitatem ex animo dimittamus, & indignos victu habeamus, quibus DEUS Solis & elementorum, rerum utique utilissimarum, usuram indulget. Attendamus Senecæ exemplum lib. 4. de benef. c. 33. *Dum verisimilia inquit, me in hoc aut in illud impellant, non verebor beneficium dare ei, quem verisimile erit gratum esse.* Et notum est illud de Aristotele, cui cum probro daretur, quòd flagitioso homini ope subvenisset: *non*, inquit, *mores miseratus sum; sed hominem.* Laërtius in vitâ p. 311,

## APHORISMUS II.

Animus dantis hilaris conciliat beneficio dignitatem.

### §. I.

**P**ROBAT hoc Aristoteles 4. Ethic. cap. 2. fundamento generali ex intima virtutis natura petito, quia *quod ex virtute fit, id vel cum voluptate, vel sine dolore certe efficitur.* Hinc Gratiæ à veteribus vultu serenò & ad risum compositò sunt pictæ. Seneca lib. 1. de Benef. c. 3. Cujus ejusdem est illud lib. 2. de benef. c. 1. *cum in beneficio jucundissima sit tribuentis voluntas, qui nolentem se tribuisse ipsâ cunctatione testatus est, non dedit, sed adversus ducentem malè retinuit. Grattissima sunt beneficia parata, facile occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia.* Quò pertinet illud Græcorum: *ἀνεΐα χαερετε γλυκερώτατα,* Gratiæ veloces dulcissime. Quod ita reddidit Aufonius:

*Gratiæ quæ tarda est, ingrata est: gratiæ namq̃  
Cum fieri properat, gratiæ grata magis.*

§. II. Unde Xenophonti laudatur Cyrus minor, propter *μεγθυμίαν & ερηυσίαν*, promptitudinem largitionis. Juravit is quippe aliquando, se majore voluptate affici, si juvet alios; quàm si ipse ditescat. Eòdem animo fuisse Imperatorem Galbam indicat Dio Cassius lib. 64. Qui prætorianis

*vianis militibus pecuniam postulantibus non dedit, isq; respondit: legere soleo milites, non emere: indignum esse ratus, Imperatorem coactum aliquid facere; sicut de isto facto iudicat ibi Historicus. De Friderico etiam I. Imperatore referunt, quod beneficia non differre solitus fuerit, ne coacta viderentur. Christ. Matth. in theatro. Contra malè audit apud nostri ævi historicum Gramondum lib. 3. Gallus ille Espernonius, qui si quando munificus extitit, quod rarò evenit, libavit velut in staterà beneficium, æquavitq; servitiis gratiam, antè exprobratam, quàm datam.*

## A<sup>T</sup>HORISMUS III.

In beneficiis dandis etiam locus observandus est, ut quædam palàm, quædam occultè, & non consciis aliis offerantur.

### §. I.

**P**Ræcipi hoc docet Seneca lib. 2. de Benef. c. 9. *ab omnibus auctoribus Sapientie, quedam scilicet beneficia palàm offerenda, quedam secreto. Palàm, que consequi gloriosum est, ut militaria dona & honores, & quicquid aliud notitiâ pulchrius sit. Rarius que non producant, nec honestiorem faciunt, sed succurrunt infirmitati, egestati, ignominie, taci-*

re danda sunt: ut nota sint solis, quibus profunt. Posteriorius hoc ibidem illustrat Romanus Sapiens exemplò Arcesilai, qui amico pauperi & paupertatem suam dissimulanti, egro autem, & ne hoc quidem confitenti, deesse sibi in sumtum ad necessarios usus, cum clam succurrendum judicasset; pulvino ejus ignorantis sacculum subjecit, ut homo inutiliter verecundus, quod desiderabat, invenires potius, quam acciperet. Plutarchus in libro de discr. veri amici & adul. id prætereà adjicit, amicum istum pauperculum fuisse Apellem Chium, qui cum ex aniculâ, ægrotanti sibi inserviente, & pecuniam reperiente fraudem istam cognovisset, tum ille ridens dixerit: hoc Arcesilai furtum est. Adde Laërtium in vitâ Arcesilai.

§. II. Quod si autem benemerita compensationem flagitant, tum publicis muneribus celebrari & condecorari debent. Publicum enim quoddam est honor, qui eis confertur, qui de repub. benemerentur, ait Aristoteles 8. Eth. c. ult. Ita miles ille rebus præclare in bello gestis, præmium meritis noluit accipere, donec Scipio Imperator dixisset: Imperator te argenteis armillis donat: tum enim demùm alacer gaudio abiit. Val. Max. l. 8. c. 14. ex. 5. Adde Phil. Caroli Antiquit. lib. 3. cap. 10. An huc referendum aliquò modò Atheniensium Prytaneum, ubi victus præbebatur publicè ex ærario iis, qui bene meriti essent? unde interrogatus Socrates quam quasi estimationem se commeruisse maximè fateretur? respondit: Sese meruisse, ut amplissimis honoribus &

premiis decoraretur, & ut sibi victus quotidianus  
in Prytaneo preberetur: teste Cic. in 1. de oratore:

## APHORISMUS IV.

Non in multitudine eorum, quæ dantur, sed in habitu ejus, qui dat, actio liberalis consistit  
4. Eth. c. 2.

§. I.

**I**ndicat hoc vetus Proverbium:

*Ξεῖνον δὲ τὸ θυμὸς ἀριστός.*

*in muneribus animus est præstantissimus.* Ejusdem sententiæ sunt illa Plinii in Præf. Nat. Hist. *Etiam Diis lacte rustici multaq; gentes supplicant, & molâ tantum salsa litant, qui thura non habent. Nec ulli vitio fuit, Deos colere, quoquô modô posset.* Hôc animô extitit Artaxerxes Persarum Rex, existimans, non minùs regiam majestatem decere, & humanitatem, parva benignè alacriterque accipere, quàm magna largiri. Nam cum sibi iter facienti operarius quidam ac plebejus homo utrâque manu haustam è profuente aquam (quia nihil habebat aliud) obtulisset, hilari vultu accepit: munus non usu rei oblata, sed studiô dantis metiens. Plut. in Apophth. Regum & Impp. pag. 214.

§. II.

§. II. Hanc largitionis regulam animo Alexandri M. subjecerunt Corinthii. Cùm enim, gratulaturi ei orientem victoriis peragratum, legatos mitterent, & civitatis jus offerrent, idque officii genus ei, ut homini superbo, risum concitaret; tum verò unus ex legatis: *Nulli unquam, inquit, civitatem dedimus alii, quàm tibi & Herculi.* Tum demum intelligens Alexander muneris pretium, *legatos invitatione aliâq; humanitate profectus, cogitavit, non qui sibi civitatem darent, sed quibus dedissent.* Seneca 1. de Benef. c. 13.

## APHORISMUS V.

Liberalis solius honestatis, non ostentationis, non captandi magistratus, gloriolæ, munerum gratiâ largiri debet, si quidem laudem veræ virtutis nolit amittere.

§. I.

**I**Ta disertè Aristoteles 9. Eth. c. 7. §. 16. *Homini bene de altero mereri, pulchrum & honestum est ita fecisse: ipsâ scil. virtute præcium sibi existente, nilque*

que opis externa cupiente, non indigâ laudis, ut est apud Poëtam. *Istud non est beneficium, sed fœnus, circumspicere, non ubi optime ponas, sed ubi questuosissime habeas, unde facillime tollas. Calcatis utilitatibus ad virtutem eundum est, quocumque vocavit, quocumque misit, sine respectu rei familiaris: ut graviter philosophatur Seneca lib. 4. de benef. cap. 1. & 3. Cui consonum est illud Plinii lib. 9. ep. 30. Volo eum, qui sit verè liberalis, tribuere patriæ, propinquis, affinibus, amicis; sed amicis dico pauperibus; non ut isti, qui iis potissimum donant, qui donare maxime possunt. Hos ego viscatis hamatisq; muneribus non sua promere putô, sed aliena corripere.*

§. II. At quotusquisque ita adductis habe- nis frenare cupiditates suas valet, ut nullâ, saltem honoris & benevolentia, spe propositâ, in beneficiis locandis oleum & operam infumat? Deo id fortassis proprium dixeris, qui plurima beneficia ac maxima in nos confert, sine spe recipiendi; ex illo Senecæ 4. de Benef. c. 9. Nec verò prorsus abs re est, pronunciatum Natalis Com. Myth. l. 4. c. 15. *Nemo nisi insanus, aut Deus optimus, & omnium pater, nullâ spe est munificus*

§. III. Cujus igitur exemplo testimonium denunciabimus, cum vita fallax abditos sensus gerat, & honestatis speciem induat facilè ejus pedissequa gloria, cujus cupido etiam sapientum animos fatigare ipsimet sapientes censent? Ad- es dum ergò & scenam hanc, non nisi Deorum fi- liis patentem, aperi, M. Cato, *homo virtuti simil-*  
lime,



time, & per omnia ingenio Diis quàm hominibus propior, qui nunquam rectè fecisti, ut facere videreris, sed quia aliter facere non poteras: hanc namque epigraphè incerâisset statuam tuam Vellejus Paterculus (l. 2. c. 35.) si quæ per invidiam popularium tuorum eminere potuisset.

§. IV. An in gloriæ hujus societatem admittamus Cimonem Atheniensem, & Gilliam Agrigentinum, quorum ille tantâ fuit liberalitate, ut cum compluribus locis prædia hortosq; haberet, nunquam eis custodem imposuerit fructûs servandi gratiâ, ne quis impediretur, quò minùs ejus rebus, quibus vellet, frueretur; semper etiam secum haberet pedissequum cum nummis, ut si quis opis ejus indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare. Hic verò propemodùm ipsius liberalitatis præcordia habuisse dicitur, multò animò, quam divitiis locupletior, semperq; in eroganda potiùs, quàm contrahenda pecuniâ occupatus referente Cornelio Nep. in Cim. c. 4. n. 1, 2. & Val. Maximo L. 4. c. 8. exempl. ext. 1.

§. V. Enim verò quis tutò illis certam & indubitatum benignitatis laudem attribuet, si apud animum expendat illud Plinii lib. II. ep. 20. Quotocuique eadem honestatis cura secreto, que palàm? multi famam, conscientiam pauci verentur. Quid? quòd sunt, qui munera hamata spargunt, quorum latus festivè fodicat Martialis lib. 4. Epigr. 55.

*Munera quòd senibus viduisq; ingentia mittis,*

*Vis te magnificum, Gargiliane, vocem?*

*Sordidum*

*Sordidius nihil est, nihil est respurcius unô,*

*Qui potes insidias dona vocare tuas.*

*Sic avidis fallax indulget piscibus hamus:*

*Callida sic stultas decipit esca feras.*

§. VI. Laude potiùs, etiam h. l. dignum censemus, morem pulcherrimum, & verè pium veterum Græcorum, succurrendi pauperum amicorum indigentia. Fuit enim apud illos consuetudine receptum, ut, cum adversam fortunam passus esset aliquis, amicorum atque sodalium facultatibus sublevaretur. Accipiebat enim ab eis pecuniæ aliquam summam, eâ lege, ut si Deus aliquando meliora daret, quantum illi erogatum esset, tantundem lege restitueret. Hanc illi stipem collatitiam nominabant *ἔργον*, & factum ipsum, *ἔργικον*: quod quidem primus observasse videtur ad Theophrasti Charact. cap. 16. Casaubonus, & ex eodem confirmavit Buchnerus ad Plinii lib. 3. Ep. 93.

## APHORISMUS VI.

Liberalis æquè ut omnis ingenuus, non *αἰτηλικός*, seu importunus in petendo est.

§. I.

**R**ationem affert Aristoteles, ne scilicet is, qui laudem largiendo sectatur, beneficiis inferior

rior evadat, atque ita splendorem liberalitatis decoquat. Id quod disertis & luculentis verbis ita exprimit Doctiss. Caselius, Epist. Rostochiensium Mantiff. Ep. 7. *Opem flagitare, homini prudenti non minus, quam egere aurum est: quin sæpè equiore animo difficultates fortuna vir moderatus superat, quam sibi imperetur, ut alterius opes, etiam optimi, ejusdemque amici, necdem superioris imploret, semper enim veretur, ne videatur impudens, ne sit cuiquam gravis.*

§. II. Unde sæpè æquè atque candidè Imperator Fridericus II. dicere solitus est, *animos generosos libenter largiri, homines autem canina impudentie & sordide tenacitatis omnia accipere quòsanque titulò adveniant.* Mæchelius in Siraqid. c. 3. p. 23. lit. b. Hic est ille Imperator, qui Episcopo Trevirensi, Jacobo de Sirk, nimium multa & frequenter petenti, dixit: *si non facies petendi finem: ego certè indulgendi facile finem inveniam.* Ex Aenea Sylvio Christianus Matthiæ in Theat. Hist. p. 1013. De eodem refert Jul. Wilh. Zingrefius in Apophth. quòd in comitiis Noribergensibus à mendico aliquando appellatus destitit, monitusque fraterno se amore ab imperatore colendum esse, quòd omnes homines uno patre, Adamo, nati fratres utique censendi essent, crucigerum ei porrigi jussent, cumque vililitatem muneris animo minùs æquo mendicus ferret, respondisse: *Si omnes Imperatoris fratres tantundem tibi darent, facile me ipsum divitiis superare.*

§. III. Talis mulsæ improbitas molestiam faceffivit Alphonso Arragonum Regi. Erat in e-  
jus aula eques quidam, Johannes Cataguritanus  
nomine, qui cum ab hostibus captus, & tandem  
dimissus carcere esset, in solatium calamitatis  
multa postulavit ab Alphonso, & impetravit.  
Eò digressò Rex ad familiares dixit: *Dispersam,  
ni metui, ne uxorem etiam meam deposceret eques  
meus.* Cujus ejusdem etiam sapiens memoratur  
præceptum, quando dicenti cuidam, *decere  
Principem non ea tantum, quæ verbis promissit, præ-  
stare, sed & ea, quæ nutu affirmavit;* respondit:  
*Rectè tu quidem; sed decet etiam petentes ea postu-  
lare, quæ iusta sunt, & honesta: si minus, satius est  
promissis non stare, quàm peccare in leges justitiæ.*  
Panormitanus de rebus gestis Alphonfi lib. 2. &  
3. & Erasmus lib. 8. Apophth.

§. IV. Quò rariores igitur reperias eâ conti-  
nentiâ & modestiâ, hoc majoris faciamus exem-  
plum Socratis. Hic largis pollicitationibus in-  
vitatus ad Arcesilaum, respondit, *se nolle ad eum  
venire, à quo acciperet beneficia, cum illi reddere  
paria non posset.* Remuneravit tamen fortuna  
hanc Socrati modestiam aliâ occasione. Nam  
quodam tempore reversus è foro, inter amicos  
dixit: *Emissè pallium, si nummos habuissè.* Ni-  
hil postulavit, tantum verecundè admonuit ege-  
statis. Mox inter amicos ambitus erat, à quo  
Socrates acciperet. Ex Seneca Erasmus Apophth.  
lib. 3. P. 176

## APHORISMUS VII.

Largiendum est non de alieno, sed ex propriis facultatibus, iisque honestè acquisitis.

§. I.

**N**ec enim est misericordia, ex alienis largiri, ἢ δὲ ἐλεητὸς ἀλλοτρίων χαρισσαμέναι, ut est apud Homerum Odyss. P. vers. 491. Certè Domitiano liberalitatis elogium nemo prudens concesserit, quòd omnes quidem circa se largissimè sit profecutus; sed conversus ad rapinas, nihil pensè habuerit, quin prædaretur omni modo bona vivorum & mortuorum; ut est apud Svet. in vita c. 9. & 12.

§. II. Ergò illud Comici fixum animo fideliter sedeat: *De te largitor puer.* In Adelph. Act. 5. Scen. 8. Quod quidem in Trajano suo prædicat Plinius in Paneg. c. 27. §. 3. *Nihil, inquit, magis in tuâ totâ liberalitate laudaverim, quam quòd congiarium das de tuo, alimenta de tuo, neq; à te liberi civium, ut ferarum catuli, sanguine & cadibus nutriuntur.*

§. III. Qui verò legitimi sint modi acquirendi divitias, non dissimulat ipse Philosophus, geminum eum ostendendo; alium quò nostris laboribus rem facimus, alterum, cum ab aliis

accipimus, hæreditate puta aut donatione ; quorum prior modus faciliorem ad liberalitatē aperit. viam, quàm posterior, propterea, quòd, qui ab aliis bona acceperunt, citra labores & molestias paupertatis onus nec sentiant, nec adeò metuant: quibus verò magnò labore sua steterunt, illi vehementiùs ea diligunt, ut parentes liberos, & ingenii foetus Poëtæ exosculari solent.

§. IV. Porrò de totâ ratione rei parandæ quam *χειμαλιστικήν* & *κηληκήν* vocant, eruditè & prolixè differit Aristoteles 1. Polit. c. 5. & seqq. ita, ut aliam quidem artem faciat naturalem, alteram magis artificiosam, ad quarum priorem refert pecuariam, agriculturam, piscatoriam, venatoriam; ad alteram mercaturam, quæ in rerum permutationibus & commerciis maximè spectatur: quarum omnium innocentissima esse videtur agricultura: ut in forò probare confisus est C. Furius Cresinus. Is cum paulò antè manumissus, in re tenui esse existimaretur, & tamen in parvo admodum agello largiores fructus perciperet, quàm ex amplissimis vicinitas, magnam sibi invidiam conflavit, inque suspicionem incidit, quasi fruges alienas pelliceret beneficiis: quod lege XII. tabularum interdictum erat: die igitur sibi à Spurio Albino dictâ, metuens damnationem, cum in suffragium tribus oporteret ire, instrumētò rusticò omni in forū allatò, & adductâ filia validâ, & bene curatâ ac vestitâ, ferramentis egregiè factis, gravibus lignonibus, vomeribus ponderosis, bobus saturis.

Acq

Atque hec, inquit, *Quirites*, mea veneficia sunt, nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere incubrationes, vigiliasq; & sudores. *Plinius N. H.* lib. 18. c. 6.

§. V. *Contra maculam nullis Oceani undis eluendam* nomini suo inussit *Vespasianus Imperator*, qui ex urinâ vestigal collegit, & *Procuratorum rapacissimum* quemque ad ampliora officia de industria promoverat, ut iis pro spongiâ uteretur, quod quasi & siccos madefaceret, & humentes exprimeret. *Svet. in Vesp. c. 16. & 23.* *Perinax Augustus* non aliter, quam privatus ac sordidus civis, mercaturas exercuit. Quid indignius? *Neapolitanis Regibus* quidam, hoc exemplum secuti, provinciales ad inopiam redegere, ereptâ illis mercaturæ facultate; quid injustius? *Exclamat* talia referens lib. de Liberalitate c. 45. *Joh. Jo. Pontanus.* At ne quid turpitudinis lesit; *Video*, inquit potro, purpuratos quosdam blata minuscule, petasunculos, altilia, poma vernalia exponere, lucrumque ex iis querere, quibus familiares amicosque pascere par esset. *Nesciam*, injustius an sordidius comparatum hoc sit: *Ex aleâ spauarique*, decreto etiam publico, tributa existuntur, quid impurius? *Tametsi* perditissimorum omninam ac mulierum damno exiguntur. *Sed* quid, *Grammaticorum more*, *Ulyssis mala* inquirimus, cum abundè suppetant cognoscenda

*Edibus in nostris, que recta aut prava gerantur?*

## APHORISMUS VIII.

Beneficia, quæ liberalis in  
 alios contulerit, non  
 sunt exprobranda,  
 nec nimis extollenda.

## §. I.

**N**am isthæc commemoratio quasi exprobratio est  
 immemoris beneficii, ait ille apud Comicum  
 in Andria Act. I. Scen. I. Et, ut galline ova quedam  
 excludunt, sed ea glocitando sepiissime amittunt, ita  
 beneficia ova dixeris aurea, quæ cum exprobran-  
 tur, amittuntur. Drexelio in Phaëthonte c. 20. Ejus  
 præcepti nõ minus, quàm beneficiorũ in amicos  
 collatorum conscius Alexander M. cum gratiam  
 meritis minus dignam referri videret, patienti  
 tamen animo iniquitatem ferens: *Nolo, inquit,  
 singulos vestrum excitare, ne invisam liberalita-  
 tem meam faciam, si pudore vestro gravem fecero.*  
 Curt. l. 8. c. 8. §. 9.

§. II. Proprium hoc esse Deorum, & Princi-  
 pis Deorum Jovis, ex illo Plauti apparet in Pro-  
 logo Amphitr. Ita enim Mercurius ibi prolo-  
 quitur v. 46. & seq.

— *Mos illic nunquam fuit Patri meo,  
 Ut exprobraret, quod bonis faceres boni.*

Nam omne beneficium, si exprobratur, molestum est  
 & gratiam perdit, nec ferri potest. At adulator non  
 tantum exprobrat beneficium, postquam præstiterit



sed etiã jam, cum prestat, protinus exprobrationem & pudorem admisset. Amicus autem, si necesse fuerit, rem quidam ipsam modeste narrat, de se vero nihil loquitur. Plutarchus de discrim. adulatoris & amici c. 1.

## APHORISMUS IX.

Vir liberalis ita est ingenuus, ut non vehementer commoveatur animo, si maximè aliquã fortunarum injuriam faciat.

### §. I.

**V**erba Aristotelis, quibus sententiam hanc suggerit, sunt ista: *Liberalis, quantum ad pecuniam attinet, est in societate vite perfacilis: injuriã enim affici potest, cum magni pecunias non estimet, magisque agrè fert, si aliquãdo occasionem aliquam bene utendi pecuniã amisit, quam dolorem capiat, si sumtus aliquos fecit parum debitos, neque sentit cum Simonide Poëta, qui sc. duas arcas domi se possidere aiebat, unam gratiarum, alteram nummorum, & cum aliquid emendum esset, hanc semper reperire plenam, illam inanem,*

§. II. Sed nos subministrabimus Aristoteli exempla eorum, qui ultra opum servitutem erigere animos sustinuerunt. Quidni verò in acie collocemus Philosophum, qualem prisca secula tulerunt, nostra ætas haud frequentius parit, quam cum monstra nasci solent in Europâ, delicatioris quippe & elegantioris cultum ac vitium, etiam à sapientibus suis, hodiè requirentis. Sed contendamus tamen cum nostri seculi Philosophis Democritum Abderitam. Hic fratribus suis hæreditatem amplissimam concessit, ipse paucis acceptis pecuniis, quantum pro viatico satis fore videbatur, Philosophiæ studio sese dediturus, peregrinatum abiit,

§. III. Ut ovum ovo, ita exemplo illi simile est alterum Athenodori itidem Philosophi, cuius omnes apud nos meminerunt, ait Plutarchus, qui id consignavit Lib. de amore fraterno p. 85. Erat illi frater natu major, Xenon nomine, qui multa ex facultatibus, cum procuratorem ageret, abstulerat: demùm autem raptâ muliere, ac condemnatus perdidit facultates, in Cesaris fiscum redactas. Athenodorus autem erat adhuc adolescentulus, nondum barbatus; parte verò pecuniarum illi traditâ, non neglexit fratrem, sed omnibus in medio positis distribuit. Et fratre multa improbè circa divisionem agente, non indignatus est, neque pœnituit; sed mansuetè liberaliterque tulit fratris dementiam, in Grecia diffamatam,

§. 4. Ne à fœminis quidem procul se hanc virtutem spernere vel unicum exemplum Afraniæ

nix Romanæ matronæ documento esto. Erat huic mater Æbucia, Menenii Agrippæ uxor: quæ cùm haberet duas simillime probitatis filias, Pletoriam & Afraniam, animi sui potius inclinatione provec̃ta, quam ullis alterius injuriis aut officiis commota, Pletoriã tantummodò heredem instituit; filiis autem Afraniæ, ex suo admodum amplo patrimonio viginti millia nummũm legavit. Afraniã tamen cum sorore sua sacramentò contendere noluit, testamentumque matris patientiã honorare, quàm judiciò convellere satius esse duxit, eò se ipsam indigniorem injuriã ostendens, quo eam æquiore animò sustinebat. Val. Max. l. 7. c. 8. ex. 2.

## APHORISMUS X.

Prodigi in dando & non accipiendo modum excedunt, nisi quòd accipiunt pleriq̃; unde non oportet, & opes in res inutiles aut ad luxum comparatas infumunt.

§. I.

**H**is & aliis coloribus delineat prodigum Aristoteles l. 4. Eth. c. 3. Quæ verò historia est,

P 4

quæ

quæ non talium messem subministraret maximam? Quid attinet digere *Mensas Sybariticas*, aut *Syracusanas*? *Luxum Asiaticum*? *Convivia Persarum*? *Agrigentinorum epulas*? quæ dudum omnium voce dissipata, adagiis locum reliquerunt.

§. II. Singula potiùs exempla eaque parca manu delibabimus, ne in reprehendendâ ipsa profusione, prodigalitatibus alicujus crimen incurramus. Hoc morbo laboravit Albidius quidam autore Macrobio lib. 2. Saturn. qui cum patrimonium universum luxu absumsisset, unis exceptis edibus, quæ incendiò conflagrârunt; Cato festivè dixisse fertur: Proterviam iste fecit; quòd ea, quæ comesse non potuerit, quasi combussisset: alludens ad consuetudinem Romanorum, qui illud genus sacrificii Proterviam vocabant, si quando id, quòd ex sacris epulis reliquum manserat, igni absumeretur. Nempe, ut ad proverbium istud commentatur Erasimus Cent. 9. adag. 44. quoties sumtus superat questum, nec morbus deoedit, jam in naturam versus, quid superest, nisi ut ad malas artes verbanf sese, quò luxui semper gliscenti suppeditet pecunia? Atque hæc est una non minima pestis Germaniæ nostræ, præcipue apud eos, qui nobilitatis titulo gloriantur: quanquã sunt in his, qui nobilitatem fingunt, ut hæc faciant impunitius, qui subornant, à quibus vocentur *Jonckeri*, jactant arcus paternas, addunt plumam galero, pingunt clypeum, in quo dextera librans macheram dissecet e-leph antè, subscribunt epistolis suis tres literas: EQU.

§. III. Demades Atheniensium orator, teste Plutarcho, cum pecuniâ & opibus tantum valeret, ut nihil sibi deesse fateretur, ingentes tamen divitias per luxum & libidines ita perdidit, ut ejectus è civitate (septies enim accusatus fuerat) non habuerit, ut pecuniam, quâ illum Athenienses multabant, solveret.

§. IV. Hæc tabes, quàm invaserit Remp. Romanam passim indicant Historici, præsertim Sallustius in Catilin. c. 13. & 14. *Nam quid ea memorem, inquit ibi inter alia, qua nisi is, qui videre, nemini credibilia sunt, à privatis compluribus subversos montes, maria constrata esse? Quibus mihi ludibrio videntur fuisse divitiæ, quippe quas honestè habere licebat, per turpitudinem abuti properabant. Sed libido stupri, gæcæ, ceterique cultus non minor incefferat -- Vescendi causâ terrâ marique omnia exquirere, dormire prius, quàm somni cupido esset; non famem aut sitim neq; frigus neque lassitudinē opperiri, sed ea omnia luxu antecapere. Hæc juventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant: animus imbutus malis artibus, haud facillè libidinibus carebat; eò profusus omnibus modis questui atque sumptui deditus erat. Hæc scilicet pestis, & ex ea conflata egestas, in nefaria consilia, opprimenda patriæ suæ, compulere Catilinam: quod idem Sallustius notavit juxtâ cum Floro l. 4. c. 1. Nempè*

- *Luxus populator opum, cui semper adherens Infelix humili gressu comitatur egestas;*

Ut est apud Claudianum in Ruffino lib. i. v. 35. unde apud Plautum in Trinummo, *Luxuria & Inopia matris filieque* personas gerunt. Eadem causa Lucium Lentulum Cos., P. Scipionem Pompeji socerum, Faustum Sullæ filium, L. Scribonium Libonem in arma civilia egit. vid. Cl. Rupertum ad Flori l. 4. c. 1. §. 1.

§. V. Cæsar Borgia Valentinus Dux, Alexandri VI. Pontificis filius, cum multa aureorum millia ludò alex unâ vice perdidisset; *ô benè factum*, inquit, *qui peccata Germanorum* (ex tributo enim veniali eam pecuniam pater collegerat) *tam facile perdidimus.* Cæterum quem hic tandem factis suis dignum exitum invenerit, exponit Lambertus Danzus, Præfatione ad Politicam Christianam his omninò verbis: *Urbinatē istum Ducatū (quæ est minima quædam Italiae portio, & dignitas occupatū facillima) Borgia iste, & tamen per infinita scelera solūm invasit, vix occupatū retinet, idq; etiam ad paucos duntaxat annos. Tandem ex eo ipso Ducatū, imò ex tota Italiâ eiectus, invisus generi ipsi humano, & velut hominū ἀλάστωρ, ex hominū consortio exclusus, in culina Regis Aragoniæ miser, exul, mendicus, latitans, diu jure culinariō spurcissimoque carcere viçtitat, ac tandem illic inglorius, exosus, hominū omnium vocibus alatratus, infelicem animam projicit & efflat.*

§. VI. Confirmant autem adducta exempla, quàm verè pronunçiaverit Aristoteles 4. Ethic. cap. 3. *Largiendi cupiditate flagrantes* (prodigi)

quomo-

quomodo aut unde largiantur, susque deq̄ habent.  
 Quare ne liberales sunt quidem eorum largitiones.  
 Nam nec honeste sunt, nec honesti causâ fiunt, nec  
 ut par est, sed interdum, quos homines oportet in  
 paupertate agere, eos collocupletant, & cum iis,  
 qui temperatis probatisque sunt moribus, nihil  
 donent, in assentatores, aliarumque voluptatum  
 ministros multa prolixè effundunt. Itaque &  
 plerique eorum sunt intemperantes & luxuriosi,  
 nam cum facile impendant, etiam in res obscœnas,  
 & ab intemperantia natas, sumtuosi sunt: & quia  
 vitam suam honesti regulâ non dirigunt, ad vo-  
 luptates declinant.

## APHORISMUS XI.

Avaritia senectutem & om-  
 nem imbecillitatem  
 aliam consequi ut plu-  
 rimum solet.

### §. I.

Cumenim pecuniæ obedire omnia palàm  
 faciat experientia; seu ut est apud Euripi-  
 dem in Phœnissis:

Τὰ χρήματα ἀνθρώποισι τιμιώτατα  
 Δύναμιν δὲ πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχει.

Mortalibus nil carius pecunia,  
 Atque inter homines una plurimum valet.

Præli-

Præsidium infirmitatis suæ quærunt senes, & alii, qui lenire suum sive virium seu opum defectum, & ad dignitates emergere satagunt, in illis utique bonis; quæ prima mortales putant. De senibus pervulgatum est illud Terentii in Adelph. A. 5. l. 3.

*Solum unum hoc vitium affert senectus hominibus,*

*Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est.*

Idem vitium notat Horatius in arte Poët. v. 170. & seq.

*Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod*

*Quærit, & inventis miser abstinet, ac timet uti.*

§. II. Id cum mirum & absolum accidat Ciceroni in Cat. M. inquenti: *Avaritia senilis quid sibi velit, non intelligo; potest enim quicquam esse absurdius, quam, quo minus via restat, eo plus viatici quærere?* Nemo fortasse melius causam dicet Simonide apud Stobæum serm. de injustitia & avaritia. Is interrogatus, *cur in extrema senectute avarus esset?* Quoniam, respondit, *malim defunctus opes inimicis relinquere, quam vivus amicis egere:* indicans, posse se abundantiam opum & vivum conciliare retinereque amicos, & si istæ vel maximè in manus inimicorum post fata pervenirent, saltem maledicorum ora compe-  
scere,

APHO-



## APHORISMUS XII.

Avaritia non unius generis, nec unius modi est, propter diversum dandi & accipiendi excessum ac defectum.

§. I.

**A**ristoteles duplicis generis Avaritiam in textu constituit. Alibi enim *ὀλόκληρον* esse dicit, *integram in omnibus*; interdum autem *διωυλισμένην* ac *σεκυνετήν*. De illis, qui totò illo vitio laborant i. e. & dando excedunt, & accipiendo deficiunt, nihil verborum faciendum putat, fortassis, quòd ad priora respici vult textus verba, ubi tales *ἀπαιδαγωγῆτας* appellat, *omnem admonitionem & emendationem respuentes*, de quo etiam pronunciarī meritò videtur posse illud 4. Eth. II. *Adalum se ipsum perdit, & si integrum sit, intolerabile evadit.*

§. II. Cæterum, cùm juxta Senecam 4. de Benef. c. 27. *omnia quidem in omnibus vitia sint, sed non omnia in omnibus extent*; illorum etiam, qui in alterutro actu intra limites liberalitatis sese non continent, tres esse rursus species, considerant

ranti cum Aristotele apparebit. Sūt igitur primò, qui dando solumodò deficiunt, qui, cum studio rei familiaris tuendæ, aut amore sobolis honestè & egregiè aliquando ditandæ, nec non de futura necessitate plurimùm quantum solliciti, genium suum defraudant, & parcissimè sumtus faciunt; nemini tamen injuriam inferunt; sed sortem suam æqui boniq; consulentes, nihil turpe, nihil contra legem contraque humanitatem, habendi gratiâ faciunt. Hos Aristoteles vocat, Φειδῶλης, γλίσχερος, κίμβιας, κνινοπείρας, *parcos, tenaces, sordidos, cuminifectores*, seu ut Joh. Jov. Pontani verbis efferre liceat: *in utendis pecuniis nimis effractas atq; etiam concisos, & ut ita dixerim, exsanguis, quorum exoleta semper vestis, mensa tenuissima & sordida, supellex exilis, eaq; carie exesa, aut si quid fortè in domo splendidiusculum fuerit, ab usu ipso sepositum, demum domesticis omnes sumtus perquam tennes atque emendicati, & minutissimarum rerum importuna diligentia & cura.*

§. III. Hi tales, etiamsi in numero virorum bonorum ferendi utcunque sunt, amittūt tamen laudem elegantix & decori, hominumque probis ac sanis se exponunt, quod exemplo Euclionis facetè & argutè docet Plautus in Aulul. Miser enim iste atque ridiculus pariter senex producitur in theatrum, plorabundus, & fidem divum atque hominum clamans; *de suo sigillo summus si quæ exit foras, si aquam, cum lavat, profundat; qui unguium præsegmina e constringa dom-*

*mum refert; qui cum is dormitum, follem obstrin-  
git ob gulam, ne quid anime forte amittat dor-  
miens.*

§. IV. Sed remoto fabulæ velo rem geramus. Ecce igitur in magnâ quantūvis fortuna & dignitate positum Tiberium Cæsarem, & ipsum pudendō hoc morbo correptum? Is, ut parcimoni-  
*am publicam exemplo quoque suo juvare videretur, solennibus ipse cœnis pridiana sepe ac semesa obsonia apposuit, dimidiatumque aprum; affirmans: omnia eadem habere, que totum. Suet. in vitâ c. 34. Frugali materculæ fortassis laudem afferret, hæc familiaritas: at in Cæsare, mi Tiberi, hæc sordent.*

§. V. At hæc, quæ sequuntur, minùs benè olent in primicerio Ecclesiæ. *Audiebam, inquit Pontanus, tomo i. libro de liberal. c. 7. puer, de majoribus natus, Martinum Pontificem Maximum clanculum cereos solitum extinguere, qui in diversis Basilicæ locis incensi à ministris essent, nocturni luminis gratiâ. Idem Martinus, ut oleo parceret, instituisse fertur, ut crudi familiaribus pisces à dispensatore in sportulâ traderentur, quos antea coctos præberi mos esset. Paulò æquiùs ferenda, nec tamen condonanda omninò est tenacitas Angelotto Sacerdoti Cardinali, qui, teste jam dicto autore, particulam hordei, singulis ab equis clam subducere ipsis è præsepibus consuevit, secreto quodam aditu ad stabulum à se factò, donec à magistro stabuli, pro fure deprehensus, in tenebris vapulavit.*

§. VI.

§. VI. Dixerimus illos **RIDICULE** avaros, qui pœnam autoritate luunt, dum rei familiari arctius adstrictiusque consulere fatagunt. Sufficiamus eis **TURPITER** avaros, (ita enim differentiae vitiorum exprimendae vocabula inservire nunc quidem nobis volumus.) Qui vero illi? Audiamus *Mentem*, uti quidem à Præceptore suo Aristoteles salutabatur. Sunt ii, qui undiquaque & quidlibet accipiant, quales sunt, qui illiberales operas præstant, sordidasque artes exercent, & lenones, & omnes hujus nota homines, scæneratores item, & ii, quibus vili impensâ magna emolumenta comparantur. Hi enim omnes à quibus non debent, & quantum non debent, accipiunt. Communis autem appellatio videtur esse, quòd lucris turpes amatores sunt.

§. VII. In hanc classem accenset in Charact. Theophrastus c. 6. Caupones, cùm olim non multò honestior locus fuerit *πυρδοχείη* seu *taberna meritoria*, quàm *οικηματα* h. e. lenonis aut meretricis domus: & apud Hebræos eadem vox **מלכה** & meretricem significat & cauponam, ut notat ibi Casaubonus. Huc etiam referendi Publicani, vel vectigalium & tributorum conductores, qui quantâ invidiâ olim apud Græcos & Judæos laborârint, nemo nescit; item omnes ministri voluptatum: de quibus Cicero lib. i. offic. sub finem.

§. VIII. Agmen avarorum claudat manipulus furum, quoniam arctis cancellis sua compingi amant avari. Et hoc deterrimum avarorum

rum genus INFAME appellari meretur. Manipulus verò ? imò sæpè exercitum referunt. Nempe cum res ad triarios rediit, atque libido & luxuria hominibus nihil reliqui ex opibus fecerunt, cum nequicquã fundo nummus suspirat, in imò, quid superest ? nisi ut *eatur extra portam trigeminam ad saccum*, cum Ergasilo Plautino in Captiv. Act. I. sc. I. v. 22. Vel ut fronte non quidem omni perfriatã, nec pudore decoctò, honestate tamen ejuratã, conscientia in super habitã, à latrociniiis & furtis desperatum calamitatum remedium petatur. At exempla nobis proferenda sunt. Enimverò isti lumbrici produci nolunt, latere malè volunt, dum malè vivunt.

§. IX. Nimis illepidè & insulsè decantatus ille Euclio Aul. Act. 4. sc. 9. vers. 8. coram theatro non plaudente, sed vicem hominis ad incitas redacti dolente : *Scio fures esse hic complures. Imò Lacedæmona tibi eundum fuerat, silicernium, ut ad Colchorum insulam, ubi qui dextero Mercurio furatur, magnus censetur : qui nescit, ut stipes & truncus despicitur, imò vix communi luce dignus judicatur, adeò quidem, ut hujusmodi vel frater, vel etiam filius, ut degener & spei deplorata, mercatoribus advenis donetur, aut parvã merce permuetur, quocunque terrarum asportandus ; si credis* hæc narranti Busbequio Ep. 3. p. 165.

§. X. Et ecce porrò, quando semel campum ribus aperuimus, post manipulum etiam leionem, sed eam tamen ad frugem aliquam impulsam, Henricus I. Imperator, Auceps dictus,

Etus, quoscunque fures, aut latrones, aut sicarios, manu fortes & bellis aptos esse videbat, indultâ eis veniâ, agros & arma dabat, & legionem ex iis faciens, ad debellandos Barbaros exponebat. Ita refert Sigebertus in Chron. ad annum 922. & ex eo Joh. Henr. Bœclerus de Rebus Seculi à Nato Christo IX. & X. p. 260. Mitius utique fatum, experti iis, quos inexorabilis hodiè sententia suspendii manet, cum potius *multo fuerit providendum, uti aliquis esset proventus vite, ne cuiquâ râm dira sit furandi prius, dehinc pereundi necessitas*: quod quidem consilium est Thomæ Mori, in festivâ pariter ac utili Utopiâ lib. I. p. 57.

§. XI. Subjungemus furum militiae lixas & calones, ut vara trahat vibiam. Quod verò hoc hominum genus putabimus? Fœneratores scil. qui *furibus pejores cives à veteribus Romanis fuerunt existimati*, teste Catone apud Casaubonum in Comment. ad Theophr. Charact. c. 7. De quibus pronuntiat lex X. Codicis, *Ex quibus causis infamia irrogatur: Improbum fœnus exercentibus, & usuras usurarum illicitè exigentibus infamiae macula irroganda est.* Exempla etiam domi non desiderentur, iis tamen nunc quidem infamiae & invidiae declinandæ causâ, omissis, unum instar omnium à foris adducamus, Atheniensium, apud quos, observante eodem Casaubono, fœnerandi licentia, etiam antiquâ hâc Solonis lege approbatur: *Jus esto fœneratori, pecuniam suam quantâcunque usurâ volet, collocare.*

§. XII. Et hi quidem sunt fures manifestarii. Quis verò larvatis aliis detrahere personam audebit? Ingenuè tamen, more suo, Erasmus Adagiorum Chil. 1. Cent. 3. adag. 87. *Abominamur furis nomen. At in vita nihil aliud invenies; nisi forte furtum non est, accipere pecuniam mutuam, animo non reddendi; negare depositum; cum tutum est, malâ fide invadere hereditatem aut possessionem alienam; imponere emtori; suffurari nonnihil de materia, quam suscepisti; pro gemmis vitra obtrudere; aliud vinigenus pro altero vendere; denique nullam prætermittere occasionē proximum fraudandi.* Sed dimittamus tandem homines impuros; Comici verbo in Aulul. Lavernæ suæ, præfixo tamen nigro thetâ Martialis Britannici lib. 1. Epigramm. 67.

*Latronum fixis funis, mors ultima merces:  
Furca capit fures; hinc puto nomen habet.  
At multi evasere? dabit Deus his quoq; funem.  
Rarus funesto fur sine fune perit.*

## CAPUT IV.

De

### MAGNIFICENTIA.

#### APHORISMUS I.

Magnificum in sumptibus magnis faciendis ita pe-

Q 2

cuniam

cuniam negligere de-  
cet, ut magis confide-  
ret, quomodo pulcher-  
rimum ac decentissi-  
mum opus efficiatur,  
quam quanti constet, &  
quomodo fieri minimò  
pretiò possit. 4. Eth. c. 3.

§. I.

**S**pectat autem Magnificus *μὲγας*, magnitu-  
dinem & splendorem publicum, cum utilita-  
te tamen publicâ conjunctum. Hujusmodi o-  
pera Philosophus triplicis generis facit 4. Eth.  
c. 4. & 5. Sacra & Profana vel Civilia. Sacra erant  
olim apud Athenienses Anathemata seu dona-  
ria, quæ ad ornanda templa in sublimi suspende-  
bantur; item, quæ ad sacrificia & apparatus  
victimarum, denique aliò quovis modò ad Deo-  
rum honorem pertinebant: quam laudem sibi  
potissimum vendicavit Pericles, unde invidiam  
populi incurrit; sed mox eundem gravi & seve-  
rà oratione diluit: ut est apud Plut. in Pericle.  
Totius autem orbis ora impleverunt Ephesinî  
exstruktionem templi Dianæ consecrati, de quo  
videantur Pausanias, Plinius, alii.

§. II. A



§. II. Affectârunt hanc gloriam Magnates etiam Christiani, Constantinus, Carolus, Otto, singuli Magni nomen meriti, non minùs sacrarum impensarum, quàm bellicorum facinorum splendore. Nec desunt nostræ ætati, quæ autorum suorum oculis nostris ingerant magnificentiam, sacra templa, cujusmodi est Venetorum. D. Marco sacrum, item Argentoratense A. 1615. ædificari cœptum.

§. III. In partem hujus decoris veniunt Xenodochiorum extructiones, qualibus Constantinopolis hodiè que commendari solet. *Contigua quippe illa esse solent omnibus templis, quibus vicine non sunt scholæ. Neque cuiquam denegatur eorum copia; divites & pauperes, peregrè adventantes, pari beneficio fruuntur, ne Christianus quidem deterior in eâ re Turcâ habetur; licet per tres dies moram trahere, & vires ibi gratis reficere. Hæc opera vincunt Romanorum superba monumenta, utputa columnas, Cippos, nec non Colossos & Pyramides Egypti; judicante Schvveiggero istud memorante, in Itin, lib. 2. c. 32.*

§. IV. Eandem laudem asserunt suis autoribus bibliothecarum instaurationes, cujus primum, certè illustrissimum signum sustulit Ptolemæus Philadelphus, in cogendis libris & statuendâ bibliotheca, multorum ingeniorum & monumentorum fidei vindicatrice, Apud Romanos juxtâ cum bellicis tropæis, in hoc etiâ tranquillo & ad elegantiam composito studio nomen suum extendere conati sunt Lucullus, compara-

tā numerosā & ornata bibliothecā, quæ cunctis pateret, statutis etiam porticibus ad deambulandum: item Augustus, qui porticus & bibliothecas, à sororis nomine Octavias dictas, extruxit, teste Dione Cassio lib. 49. easdemque Pompejo Macro & Melisso Grammatico ordinandas delegavit, autore Svet. in vitā D. Jul. Cæs. c. 56. & de illustr. Gramm. cap. 21.

§. V. Sed & superioribus abhinc binis seculis Divina providentia, miserata calum ætatis, barbariei immerse, inspiravit mentem locupletioribus, in istam curam incumbendi. Tales erant in Italia Nicolaus V. Papa, Sixtus IV. Laurentius & Cosmes Medicei Florentini: in Gallia Franciscus I. Rex, in Hungariā Matthias, in Baviariā Electores Palatini, ab Ottone Henrico, ad Bavariz Ducus usque. Quam insigniter bibliothecam Vaticanam toto orbe celebratam Sixtus V. Pontifex auxerit, ornaverit, in commodum locum transportaverit, prædicit Thuanus lib 82. Adde Nobiliss. Conring. in Ep. de Bibliothecis p. 46. & seqq.

§. VI. Porrò opera, ad profanum vel civile commodum relata, varii rursus sunt generis, & quadruplicis quidem apud Athenienses; observante Giphanio ad 4. Eth. c. 2. 1. *χωρηγία* i. e. *subministratio apparatus Sænicæ*. 2. *ἰστίασις Φυλῆς*, *prandia & epule tribunitiæ*. 3. *τετραετηρία*, *munus instruendarum navium bellicarum*. 4. *γυμνασιαρχία*, *prefectura & impense, quæ fiunt in ludos palestricos, gymnicos &c.*

§. VII. Ro-

§. VII. Romani famam magnificentiæ ab ipsis ferè ortûs sui incunabulis quæsiuere : Hinc domos atque villas, urbium in modum ædificatas gloriâ, delubra Deorum pietate decorauerunt, ut est apud Sall. in Catil. c. 12. Hinc meruerunt, ut legati Pyrrhi, Româ redeuntes, interroganti Regi suo, quid de hostium sede sentirent? Urbem templum sibi visam, Senatum Regum confessum esse confiterentur. Florus lib. 1. c. 18. §. 20. Via Appia tam longa fuit, ut vir expeditus vix quinque diebus emetiri posset : tam lata, ut duo currus obvii liberè commearent, tam firma, ut laxi nihil aut soluti appareret, perinde ac si saxum esset unicum. Videatur Lips. l. 4. de magn. Romanâ c. 1. & 2. Drex. in confid. 3. de æternit. p. 8.

§. VIII. Nihil concessuri majoribus posteri, palmam si non præriperunt, certè ambiguum fecerunt. Augustus Cæsar in condendis aut instaurandis templis, exornandaq; urbe ædificiis omnis generis splendidissimis, nihil reliqui fecit ad hanc gloriâ, ore suo jactatam, sibi jure tribuendam : *Romam lateritiam accepi, marmoream relinquo.* Cl. Tiberius Cæsar, ducendâ in urbem aquâ, quæ ab eo Claudia dicta est, multisque aliis operibus claruit, ut nullâ aliâ re magis commendatus fuerit. Trajanus incredibilem magnificentiam extruxit ædificia publica, vias & porticus, quas inter eminuit forum Trajani. Unde Plinius in Paneg. c. 51. *quàm magnificus in publicum es? hinc porticus, inde delubra occultâ celeritate properatur, ut non consummata sed tantum*

*commutata videantur.* Alexander Severus omnes ædes publicas, quæ vitiò temporum in ruinam inclinabant, instauravit.

## APHORISMUS II.

Etsi magnificus magis quidem in publicis operibus splendorem confectatur; ut tamen ubique tueatur gloriam, in privatis etiam congressibus, utpote conviviiis nuptialibus, sumtus honestè & prudenter impendit.

§. I.

**C**ertè nec liberalitatis, nec magnificentiæ laude æstimari voluit Euclio Plautinus, senex triparcus; & eum tamen ipsum, ex porrecturum frontem in nuptiis filia, incessit cupido, pecuniâ tam arctè sollicitèque partâ vel umbram munificentia alicujus (qui enim magnificentia dicamus?) assequendi.

*Volui,*

*Volui, inquit, animum tandem confirmare hodie meum.*

*Ut bene haberem filia nuptiis.*

Pl. Aul. A&., 2. sc. 8. v. 1.

§. II. Etsi vel maximè capularis hic senex aulam suam quadribrem auro onustam effudit in nuptias filia, animò minus benè consultò; magnificentia tamen laudem ei detraxisset, tum fortunæ humilitas, tum animi abjectio, & misera servitus, cui hoc pecuniæ mancipium & famam & animum subdidit. Succedant ergò liberiores & exaupticatæ fœdò hoc nexu animæ. Atque hîc palmam merentur Romani Congiariis suis, quò nomine veniebant non Casarum tantum, eeq; in populum, sed procerum quoque, & in amicos quidem privatim collatae liberalitates, ut docet Buchnerus in lexicò. Seneca ep. 73. *congiarium in capita promissum vocat. Jul. Caesar ex reliquo quoque ordinum genere vel invitatos, vel spontè ad se commeantes, uberrimò congiariò prosequebatur: teste Suet. c. 27.*

§. III. Eòdem elogiò cenferi debent Cœnæ Adventitiæ vel Viaticæ, quibus veteres solebant peregrè redeuntes aut longo intervallo ad se invisentes excipere. Videatur Turnebus lib. 2. Adversar. c. 30. & Taubm. ad Pl. Epid. a. 1. f. 1. vers. 6. Nec silentio hîc prætereundum convivium Theologicum, autore Bugenhaglo & Levino ab Emden Brunsvici superiore seculo introductum, ut scil. non tantum *singulis quatuordecim diebus convenirent Ecclesie ministri, ad amicam-*

Q

colla-

collationem, de singulis articulis fidei instituendam, sed & singulis mensibus convivio exciperentur. Refert ex Chytræo Christ. Matth. in Theat. Hist. p. 1056.

§. IV. Sed Hymeneas festivitates, ad quas Aristoteles noster in textu digitum intendit, ex animo non dimittamus; cum in illis celebrandis eò majorem splendorem adhibere soleant homines, tum priscis, tum nostris temporibus, quò pensius æstimant, in quærenda & discernenda prole augendoque genere humano, ideò plurimum differre homines à bestiis debere, quòd ipsis solis à natura sit pudoris & prudentiæ sensus.

§. V. Magnificentie hujus illustre specimen exhibuit annis superioribus (dicam verbis Joh. Jov. Pontani lib. de Magnif. e. 16.) Neapolitanorum Rex Ferdinandus, in Alphonsi filii & Hippolyte Mariae nuptiis, qui Principes ac populos Italie omnes ad eas invitavit, à quibus missi oratores singulari comitate accepti. Ludi pluribus diebus editi, orchestris, ac gradibus ad spectandum magnis sumptibus dispositis, iisq; partim purpurâ ac serico, partim variatò panno intectis, equestres concussiones, magno apparatu hominum atq; equorum factò: epula largissima ac lautissima præbitæ.

§. VI. Quibus tamen (liceat porrò uti testimonio Pontani) quamvis nihil defuisse videtur, longè tamè spectatioras fuisse nuptias, quas Alphonsus Pater fecit, collocatâ Heleonorâ nepte Friderico III, Germanorum Imperatori in quibus Impera-

tor ipse cum omni ferè Germania nobilitate affuit: compluribus item Hispaniæ Principibus, qui Heleonoram ex Hispania deduxerunt. His in nuptiis, ut alia taceam, venatio exhibita est quatuor millibus passuum à Neapoli, qui locus à Regibus venationi statutus est. Fixa tentoria in campis, secundum Anguianam paludem, fontes è vario vini genere passim ad litus facti, mensæ apparatus, in quibus supra triginta millia hominum discubuerunt: huic accedit, quod qui spectandi gratiâ convenerant, plurimi mortales, onerati esculentis plurimorum dierum, domum redierunt. Nesciam (subjicit laudatus autor) an sol in hoc magnificentiæ genere quidquam viderit magnificentius.

## APHORISMUS III.

Magnificentia spectatur etiam in hospitem recipiendorum & dimittendorum officio.

### §. I.

**T**RIBUS id imprimis partibus absolvi solet: 1. in hospitem benigne & hilariter excipendis. 2. in iisdem pro facultatibus nostris tractandis. 3. in illis amice dimittendis. Quò pertinet illud Homeri Odyss. O. vers. 74.

Ἐρῆ ξείνον παρεόντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πείπειν  
*Oportet hospitem presentem diligere: volentem  
autem dimittere.*

Quàm aliàs laudis hujus avidi fuerint veteres, probat Giphanius in scholiis ad Odyss. A. ex ejusdem Poëtæ variis locis, & ex Athenæo, hoc inter alia argumento, quod *prius excipere convivio soliti sint hospites, deinde qui sint, unde essent, percontari.*

§. II. Suave omninò accidit auribus & memoriæ illud, quod de Germanis, majoribus nostris, memorat Tacitus in libello de eorum moribus cap. 21. *Convictibus, inquit, & hospitibus non alia gens effusius indulget. Quemcunque mortalium arcene tectò, nefas habetur, pro fortuna quisque apparatus epulis excipit. Cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii & comes, proximam domum non invitati adeunt. Nec interest, pari humanitate accipiuntur. Notum, ignotumque, quantum ad jus hospitii, nemo discernit.*

§. III. Turcarum etiam laudare exemplum hic locus ferret, nisi similis alius jam id suprà sibi vindicasset: nunc tantùm asserti ejus fidem testimoniò Busbequii firmare juvat, qui Schvveig-geri historiæ gemina tradit Epist. 1. p. 25. Eandem comitatem sectati sunt Calabri, Lucani, Megarenenses, Corinthii, de quibus videatur Alex. ab Alex. l. 4. dierum genialium cap. 10. sed suggerunt se etiam singularia privatorum exempla. Agrigentinum Gilliam suprà liberalitatis elogiò de-  
cora-



coravimus: nunc etiam magnificentiæ honore nobis est maclandus, si audimus Val Maximum lib. 4. c. 8. Hic enim attestante, *hospites tum urbanis penatibus, tum etiam rusticis tectis benignissime excepit, variisque muneribus ornatos dimisit. Quodam vero tempore quingentos simul Gelensium equites, vi tempestatis in possessiones suas compulsos, aluit ac vestivit.* Quibus memoratis admirabundus subjicit historicus: *Quid multa? non mortalem aliquem, sed propitiæ fortune benignum esse diceres sinum.*

§. IV. Cimon Atheniensis privatos lares in publicum velut hospitium vertit, quod civibus & hospitibus juxta pateret, *cumque locis compluribus prædia hortosque haberet, nunquam eis custodem imposuit, fructus servandi gratiâ, ne quis impediretur, quò minus ejus rebus, quibus vellet, frueretur:* teste Corn. Nep. in vita cap. 4. L. Corn. Sylla, quæstor. C. Marii, in bello Jugurth. amicitiam Bocchi Regis Mauritanix, demùm etiam regnum Numidiæ populo Romano hâc virtute conciliavit. Nam cum Legatos ejus è manibus latronum eripuisset, & donis auctos liberaliterque habitos postremò benignè cum præsidio in locum tutum dimisisset, eam apud Bocchum gratiam inivit, ut hic, neglectâ etiam pietate, Jugurtham generum vinctum tradiderit. Rex Alphonfus celebratur, quòd eos, qui ad se divertissent, non solùm acceperit liberaliter ac splendè, verùm etiam donis magnificentissimis, pro cujusque dignitate fit profecutus, nullum adèd honestandi

honestandi ac munerandi genus omittens in illis  
exornandis. Pontanus de Magnif. c. 18.

## APHORISMUS IV.

Magnifici est, ita ædes ex-  
truere, ut divitiis con-  
veniunt, quippe cum  
etiam hoc ornamen-  
tum quoddam sit.

### §. I.

**A**Ristotelico huic præcepto succinit Cicero  
I. de officiis cap. 39. monens, homini hono-  
rato & Principi *adhibendam esse dignitatis & com-  
moditatis diligentiam* in extruendis & scite com-  
ponendis ædibus. Equidem in priscâ & simplici  
pastoriæ sectæ integritate parum curæ erat Ro-  
manis, decus ædibus conciliare, contentis quip-  
pe *rudi cemento constructis domibus, & scandulis  
robustis aut stramenteis contactâ urbe*: ut est apud  
Alex. ab Alexandro lib. 5. cap. 24.

§. II. Crescentibus verò opibus publicis, quid  
ai Bona Fortuna simul in ædes privatas immigra-  
bat? Exemplum exhibet idem Cicero, locò al-  
legato, in Cn. Octavio, *qui primus ex illa familiâ  
Cos. factus esse dicitur. Illi verò honori fuisse, quod  
præclaram edificasset in palatio & plenam dignita-*

tiæ

*ris domum, quae cum vulgò viseretur, suffragata domino, novo homini, ad Consulatam putabatur.*

§. III. Ethnicorum Romanorum splendori palmā concedere erubuerunt Pontifices Christianorum, ut sc. intelligeremus, ad sequētes translata esse curam eam, à qua prisci illi titulum acceperant. Unum nunc sistemus, Pium II. qui non tantum *scalas templi ad Vaticanum, vetustate collapsas, instauravit, sed & vestibulum aditum, ad dignitatem & tutelam loci munivit* --- *Senis quadrato saxo gentilibus suis porticum fastigiatam & ornatissimam extruxit.* --- *Sepulchrum marmoreum paternis maternisq; ossibus Senis in templum B. Francisci contulit: teste Platina.*

## APHORISMUS V.

Qui in magnis sumptibus faciendis modum excedit, is non tantum rationem sumptuum, sed & rerum in quas impendit, non habet; praeterea ostentationem divitia-

# vitiarum atque plausum apud homines affectat.

## §. I.

**E**Jus farinæ βάλανος, apud Aristotelem audiunt, à βάλανος, *caminus*, & αὐω πτο; quâ voce indicat, homines ad focum & caminum opera sua tractantes, qui per occupationes mucidas & sordidas decorum observare nequeunt. Vocantur etiam ἀπειροκαλοί, quasi dicas, usu & exercitatione destitutos, & honesti inexpertos, qui magnam quidem pecuniæ vim infumunt, sed sine ullo judicio, ita ut plurimum impendant in res nihili, omittant autem ea, quæ præcipuè procuranda erant. Pontanus *ventosos* appellari dicit.

§. II. Quotus verò quisque est eorum, qui auro reti fortunam sibi attraxerunt, qui licentiam suam in magnis opibus moderari valeat? Impares certè attulerunt animos, ad debellandum aliàs terrarum orbem infractos, Romani, de quibus, præter Ciceronem loco allegato, Sallust. in *Catil. c. 12.* scribit, quòd suâ ætate *domus atque villa urbium in modum edificata* fuerint. Jam cui ignotus esse potest *magnificus apparatus conviviorum, & sumtuosa largitio*, quam innuit Florus lib. 3. c. 12. n. 12. & prolixè diducit Lipsius l. 4. admirandorum cap. 7. Etiam Seneca in exponendo isto luxu ingenii flumen diffundit lib. 7. de *Benef. c. 9.*

§. III. Sequentia tempora quis dubitet sequiora fuisse, qui cogitet illud Flori, lib. 4. c. 12. n. 65. quod Augusto imposita fuerit necessitas, *prorūm in omnia mala, & in luxuriam fluens seculum gravibus severisque legibus multis coercere?* sanè & ipse Romam usque, ad eò tota suã vitã ornavit, & incendii atque inundationibus obnoxiam excoluit, ut gloriaretur, marmoream se relinquere, quam latericiam accepisset: ut est apud Suet. c. 29. Sed memor moniti Tulliani, earum rerum modum adhibuit, ad mediocritatemque revocavit, eandemque mediocritatem ad communem ulum cultumque vitæ retulit.

§. IV. Jam contra vide mihi illos opum gurgites & heluones, quos Augustus successores natus est; C. Caligulam puta, qui in histriones, equos, gladiatores, & res similes, *non toto vertente anno, omne illud, quod moriens in thesauris reliquit Tiberius, nempe vicies ac septies millies HS.* h. e. ineunte rationes Lipsiò, ultra sexaginta miliones, & quinquaginta millia Philippicorum, *absumpsit:* teste rursus Suetonio in vitã c. 37. Domitium Neronem, qui impurissimum illud spectaculum commentus, lacum effodit, triremesque deduxit, quas nudæ mulieres, nocturnò tempore, ad incensos cereos, remis agerent, qui uni Prætoriano militi dare jussit aurcorum centum millia: cùmque Agrippina, ut ipsum intuentem summam tantæ pecuniæ pœniteret, uno in loco coacervasset, interrogavit: *quantum esset numeratum?* cognitãque summã, duplicare eam jussit;

R

non

*non enim putavi, inquit, me tam exiguum munus dedisse. Dio Cassius l. 51. Varium Heliogabalum, qui naves onustas mergi in portu iussit, magnanimitatis hoc effordicens; nunquam minus C. H.S.h.e. argenti libris triginta cœnavit, & ne quid infania deesset, in Euripis vino plenis navales Circenses exhibuit: teste Lampridio, cap. 23. 24. & 32.*

§. V. Proximò abhinc ævo Henricus III. Galliarum Rex splendorem opum regiarum profusione dedecoravit. Nulla autem alia, quàm in catellis conquirendis damnosior fuit. Quippe qui præter sumtus in canes venaticos & accipitres, qui in Regia familiâ ut & aliorum Principum semper magni & ordinarii sunt, in catellos hujusmodi parandos & alendos centum milia aureorum quotannis absumeret, fœminis & hominibus ad id stipendiò magno conductis, qui aulam cum magno illo comitatu ubique sequebantur. Præterea magnos sumtus in simias & psittacos, ac ejusmodi exotica animalia faciebat; quorum immanem copiam habebat, & fastidio plerumque capiebatur, ut, iis donatis, mox desiderio subeunte, alia festinatis sumtibus pararet. Vid. Thuanus.

## APHORISMUS VI.

Indecorè parcus, ubique  
modum deserens, ma-

gnâ

gnâ pecuniâ consumptâ  
 in parvis, honesti speci-  
 em omnem perdit at-  
 que extinguit; & dum  
 anxie meditatur, quô  
 pacto sumtus minuere  
 queat, lamentatur & in-  
 gemiscit, intereâ se o-  
 mnia efficere majora  
 quàm oporteat, arbitra-  
 tur.

§. I.

**V**itium hoc nascitur partim ex *animò pusillo*  
 & *contracto*, ut Seneca vocat lib. 2. de Be-  
 nef. cap. 34. partim ex inopia judiciû, cùm ho-  
 mines abundantiam non necessariarum tantum,  
 sed ad decorem etiam sufficientium opum in-  
 structi, rationem eas eleganter & scite impen-  
 dendi ignorant. Unde Joach. Camerarius *μη-  
 οργησέναι* Aristoteli dictam, vertit *humilitatem*  
*animi pusilli*, & aliàs definitur, indecora atque  
 intempestiva parsimonia sumtuum, iis in rebus,  
 quæ ad statum honoris tuendum, & ad necessa-

ria opera efficienda pertinent. Cum hâc eadem est, aut certè non multum disconvenit *μωρολογία* dicta Theophrasto in charact. c. II. *sordida parsimonia*, quæ est studium parcendi sumptibus ultra modum.

§. II. Imaginem ejus vitii exhibet Perseus Macedonicus, qui cum alii Principes luxu & profusione regna principatusque dilapident, ipse, diversâ grassatus viâ, sordidâ tenacitate splendidissimum Macedonum regnum dissipavit, & Romanorum manibus laçerandum tradidit. Plutarchus sanè non dubitat secundæ fortunæ Pauli Æmilii accensere Persei sordes, quæ splendidas & magnificas Macedonum vires, spe ad bellum erectas, everterint & prostraverint, pecuniæ amore torpescentes. Expende quæso hominis vecordiam dicam, an socordiam? quando fortunæ obviam sibi factæ repudium misit. suppetias ei venerunt Basternæ decem millia equitum, par numerus peditum, qui jungebant cursum equis, & in vicem prolapsorum equitum, vacuos capiebant equos, omnes mercede militiam sequentes, qui nec agriculturam, nec naviculariam nossent, nec pecore pascendo vitam tolerarent, verum unam opus, unam meditentur artem, perpetuò præliari, & vincere acie hostes. Hi ut erant animis non minùs quàm linguâ prompti, pollicebâtur certam victoriam, sub stipulatione stipendiorum necessariorum & millenorum in duces singulos aureorum. Hic Perseus ad tantam summam auri versigine hebescens



*scens* (recito verba Plutarchi in vita Pauli Æmilii) & dementiâ præ sordibus captus, renunciat societati, centum millium militibus firmata, & dum auro suo consulere satagit, regnum simul cum auro & libertate amittit.

§. III. Quid aliud odium & infamiam apud Deum & homines, ac denique exitium attulit, Mauritio Cappadoci Imperatori, quàm nimiam pecuniæ cupiditas & tenacitas? Vastabat Thraciam Caganus Avarium Rex, & jam ipsi Constanti-  
nopoli iminebat: favebat summum Numen Mauri-  
tio, infestans Cagani exercitum peste inquinariâ, ut vel sic pio aliâs Imperatori parceret, ter-  
ritus periculis divinis barbarus, qui humana contemneret. Caganus majorem humanâ vim  
sentiens, æger domum properabat, & cum ca-  
ptivorum multitudine præpediri se sentiret, multos cædit, servatis duodecim millibus, signi-  
ficans interim Mauritio, paratum se esse, reddere, si pro singulis nummos singulos depen-  
dere vellet. Recusante Mauritio hanc condi-  
tionem, pro nummo dimidium petiit, cum ve-  
rò nec tantillum solvere vellet, præ tenacita-  
te & indignatione in milites, barbarus irâ per-  
citus omnes occidit, & deinceps motis castris  
secessit. Referunt Zonaras tomo 3, annali-  
um p. 131. & Cuspinianus in vita Mauriti.

§. IV. Et hi quidem dum nummis peperc-  
runt, prodigè suorum sanguine usi sunt. Suc-  
cedant nunc alii, qui dignitatem amiserunt,  
dum pecuniæ suæ consulere. Tiberius diebus

*solennibus pridiana sepe obsonia & semesa apposuit. Aelius Pertinax dimidiatas lactucas, & carduos in privatâ vitâ convivis exhibuit: & nisi quod missum esset edulium, quotquot essent amici, novem libras carnis per tres missus ponebat. Si autem plus aliquid missum esset, etiam in alium diem differebat, cum semper ad convivium multos vocaret. Refert Alex. ab Alex. lib. 5. gen. dier. c. 82. & Jul. Capitol, in Pertin. c. 12.*

*J. V. E recentiore memoria arcessamus Ludovicum XI. Francorum Regem. Is sumtum minuendorum rationem habiturus primum à familiâ & famulatâ patritios ac nobiles exegit, sartore pro feciali, tonsore pro legato, medico pro Cancellario usus est: demum ut aliorum Principum magnificentiam proculcaret, cultum ac vestitum sordidissimum affectavit, pileo præpingui, imagunculis & cochleis squalenti, veste laneâ vilissimi pretii ac tetrici coloris. Extabant in publicis rationibus duo capita, quorum altero viginti asses expense ferebantur, ut thoraci regio brachialia nova consuerentur, altero denarii quindecim, ut axungia ocrea regalia ungerentur. Habentur hæc apud Bodinum lib. 6. de rep. c. 2. p. 1059. additâ hæc Insuper: Ea res peregrinos ad Principem aspernandum, & subditos ad desiciendum excitare consuevit.*



## CAPUT V.

De

MAGNANIMITATE.

## APHORISMUS I.

Magnanimus confectatur,  
 quod in quavis virtute  
 eminent, adeoque præci-  
 puè in honoribus deco-  
 rè acceptandis ita occu-  
 patur, ut magnos & à vi-  
 ris gravibus sibi tribu-  
 tos lætò animò ample-  
 ctatur, qui verò ab ho-  
 minibus obscuræ infi-  
 mæq; sortis offeruntur,  
 vili pendat.

§. I.

**P**Rius comprobatur exemplo Hectoris Næviani  
 cui eadem jucunda laus est existimata, quæ  
 R 4 ab iis

ab illis proficisceretur, qui ipsi in laude vixerunt. Cic. lib. 15. fam. ep. 6. Hęc spiritu ductus Alexander M. edixit, *ut quis ipsum alium, quàm Apelles pingeret, quàm Pyrgoteles sculperet, quàm Lysippus ex ere diceret*: quod illorum artem tùm ipsis, tùm sibi etiam glorię fore putaret, testibus Plinio H. N. l. 7. c. 27. & Cicerone lib. 5. famil. ep. 12.

§. II. Porro promiscuos infanientis plebeculę futuros contemnendos esse, constat exemplo Aristorelis, qui arę, quam Platoni posuit, inscripsit: *Eam illi se penere, quem ab illaudatis laudantur esse*. Unde Achilles apud Homerum à Nestore admonitus, *ut honores ab Agamemnone sui civitatis acciperet*, respondit; *se potius à Jove quàm Agamemnone, homine, qualem ipse putat, se probo, certè inimico, expetere velle*. Ab eodem animo profectum esse existimandum est sicut Antiphonis Rhamnusi, cujus etiam mentionem facit Aristoteles 3. Eudem. c. 5. Is cum vocatus in judicium pro se causam diceret, & damnatus esset, atque Agathon defensionem illam laudaret; *magis se judicium eius sequi, dixit, solius, quàm illorum, qui ipsam criminabantur*, Thucyd, l. 8. hist, & ex eo Cic, in Bruto.

## APHORISMUS II.

Magnanimus non tantum domestico conscientię, sed

sed etiam externo bonorum virorum testimonio fultus, ignominiam & rumores, falsò de se sparsos, altâ mente despicit, intelligens, illas in se cadere non posse.

§. I.

**B**ellè, ut omnia, Erasmus hæc exprimit lib. 4. ep. 21. *Innocentiam prestare possum: quid homines de me loquantur, non possum.* Succinit Lipsius cent. 1. Epistol. select. ep. 77. *Mihi sententia de me, non nisi apud me fertur: nec quis sim, alium rogo. Interno isto iudice si probus audiam, quid addent aut dement mihi isti Marculi aut Læconis alicujus sermones. Quis sim, in me situm est: qualis audiam, in vano isto vulgo.* Convenienter scilicet isti Plautino in Trinum. Act. 1. sc. 2.

*Ne admittam culpam, ego meo sum promus peccatori;*

*Suspicio est in pectore alieno sita.*

§. II. Ecce densis radiis emicantem è pectore Alexandri M, hunc virtutis solem. Hic indigniùs ferens, paratam tantò pulvere gloriam in otii & voluptatum occasionem infamiamque à suis trahi, postquam indignationem & obtreccationes,

nubium instar se coëgisse animadvertisset, animum in pectus advocans: *Regium est, inquit, cum benefeceris, malè audire.* Plut. in vitâ p. 43.

§. III. Credideris è paterna disciplina haustum esse huic spiritum, si reputes, quàm excelsò animò tulerit Philippus Macedo procacem linguam Democharis, unius inter Atheniensium legatos. *Hunc postquam benignè audisset Philippus: dicite, inquit, mihi, quid facere possum, quod sit Atheniensibus gratum? Exceptit Demochares: Te, inquit, suspendere. Indignatio circumstantium ad tam inhumanum responsum exorta est, quos Philippus conticescere jussit, & Thersitam illum saluum incolumemque dimittere. At vos, inquit, ceteri legati, nunciate Atheniensibus, multò superbiores esse, qui ista dicunt, quàm qui impune dicta audiunt.* Oppidò meruit vel hòc dictò Philippus elogium, à Seneca istud narrante cantatum, lib. 3. de ira cap. 23. *Si qua alia in Philippo virtus, fuit & contumeliarum patientia, ingens instrumentum ad tutelam regni.*

§. IV. Sed juvat investigare hanc generositatem etiam apud nostratos Principes. Nec verò illa è difficili petenda. Vel totam paginam facere potest Augustus. Acceperat is famâ, Æmilio Æliano, in iudicio accusato, inter alia crimina objectum fuisse, quòd malè loqueretur de Cæsare: tùm ille, redactâ è vestigio sub imperium irâ, & conversò ad accusatorem sermone: *velim, inquit, hoc mihi probes: efficiam, ut Ælianus sciat, me quoque linguam habere: plura enim*

VICIS-

*vicissim de eo loquar.* Sed & alteram impleat mansuetum corculum. Insinuaverat se in familiaritatem ejus Timagenes, nobilis historiarum scriptor, sed ita, ut eâ abuteretur ad contemptum, ad convitia, nisi quòd hæc argutiis tegere callebat homo versutus. Nec latebant Cæsarem, quæ vulgò excipiebantur & circumferebantur. Alius ringeretur, imò omnes effunderet irarum habenas: at Augustus sui memor monuit hominem, ut modestiùs ingeniò & linguâ uteretur, idq; in domo suâ, cuius beneficiis quotidianis frueretur: sed cum nec sic desineret, tandem domo ei suâ interdixit, cum tota urbe & imperio potuisset.

§. V. Indignanti aliquando huic nimis leni patientiæ Tiberio, & ex æstu juvenili faces subdenti, rescripsit in hæc verba Imperator: *atati tuæ, mi Tiberi, noli in hæc re indulgere, & nimium succensere, quenquam esse, qui de me malè loquatur. Satis est enim, si hoc habemus, ne quis nobis malefacere possit.* Et vide, quàm modeste idem factum subiit, quàm prudenter hoc ipsum exemplum in se paulò pòst repræsentavit idem Tiberius? cum convitiis & famosis carminibus subinde incessetur, amicis ad ultionem hortantibus respondit, *in civitate liberâ linguam mentemq; liberas esse debere.* Cumque Senatus moneret, ut cognitionem de hujusmodi criminibus suscipere: *non tantum, inquit, habemus otii, ut implicare nos pluribus negotiis debeamus. Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis.* Suet. in Tib. c. 28. adde Erasmus in Apophth. & Lipsium lib. 2. Monit. & Ex. Pol. c. 17. APHO-

## APHORISMUS III.

Magnanimus secundam  
pariter & adversam  
fortunam animô scit  
ferre compositô &  
moderatô.

## §. I.

Stabilior enim ei est mens; & firmioribus nixa  
potentiæ ac probitatis radicibus, quàm ut de  
arce constantiæ, seu secundis fortunæ blandi-  
mentis, seu ejusdem tumultuantis tempestatibus  
deturbari queat. Qualem quidem animum in-  
spirare nititur Q. Delio suo Hor. l. 2. od. 3. his  
verbis:

*Æquam memento rebus in arduis  
Servare mentem; non secus in bonis  
Ab insolenti temperatam  
Letitiâ.*

Is demum vir erit, cujus animum nec prospera for-  
tuna suo flatu efferet, nec adversa infringeret: ait  
Paullus Macedonicus apud Livium lib. 49. cap.  
8. Quò pertinet monitum Senecæ in Thyeste, act.  
3. vers. 613.

*Nemo cõfidat nimium secundis;  
Nemo desperet meliora lapsus.*

## §. II.



§. II. Hanc animi constantiam in se expressit Socrates, de quo Xantippe uxor ejus prædicare solebat, *quod semper vidisset illum eodem vultu revertentem domum, quò exierat.* Eodem ingenio extitit Phocion Atheniensium Dux, quem neque plorantem quisquam, neque ridentem vidit. Ælianus l. 9. hist. c. 7. & Erasmus l. 8. Apoph.

§. III. E Romanis siltamus Metellum Numidicum. Eum memorat Valerius M. lib. 4. cap. 1. exemp. 13. *pavi vultu & exulem fuisse, & restitutum: adeò moderationis beneficio medium semper inter secundas & adversas res animi firmitate versatum esse.* Nihil hoc robore concessit populari Q. Sertorius Dux fortissimus, quem perhibent neque lætitiæ, neque timori paruisse, in utràq; pariter fortuna eodem habitu semper consistisse; teste Plutarcho.

§. IV. Christianis eò majus affert hæc virtus ornamentum, quò stimulis concitatoribus, à peculiari DEI beneficio concessis, exporrigere sese potest. Henricus certè VII. Imperator, eâ fuisse prædicatur *animi tranquillitate dotatus, ut nullâ unquam prosperitate efferreretur, nullâ decideretur adversitate: quanquã plures quotidie experiretur calamitates.* memorat hæc Cuspinianus in vitâ.

§. V. Sed quidni lateri Imperatoris jungam constantiâ & Zeli Religione haud paulò superiorem Joh. Fridericum Saxoniz Electorem? is cum prælio à Carolo V. victus, captivus, cum Ernesto Brunsvico, Torgam tanquam in triumpho duceretur, & subinde adversæ fortunæ contumtum

temptum generosè præ se ferret, Ernestus autem illum, quasi calamitati propriæ insultantem, increparet, tùm ipse, animò fortunam exuperante: *nunquid ob illa angerer, reposuit, que quando in potestate nostrâ sita non sunt, ad nos minime pertinere existimare debemus?* Thuan. l. 3. hist. ad annum 1547.

## APHORISMUS IV.

Magnanimus non est vel  
*μικροκίνδυνος*, parvis periculis se tradens, vel  
*πικνοκίνδυνος*, frequentibus periculis se obji-  
 ciens.

### §. I.

**P**ostquam exposuerat Aristoteles officia magnanimi, tùm in honoribus expetendis & ignominiis sustinendis, tùm in secundis adversisque fortunæ casibus moderandis occupata; nunc porrò sigillatim exponit, quod suprâ generaliter enunciaverat, in vitâ factisque magnanimi eminere, quod in quâque virtute optimum existit: ac primò quidem convenienter præcepto, supra lib. 3. tradito, ostendit, virum bonum, quippe

quippe prudentem, non esse prodigum vitæ suæ, utpote qui non nisi nobilissimæ & reipublicæ maximè proficuz occasione servari debeat: *neq;* enim (addit Paraphrastes) *sepè periculis se objicit, quia non curat vulgaria, nec minimis de rebus in discrimen venit.* Hinc Augustus Imperator eos, qui frivolis de causis periculis se exponerent, argutè dixit: *similes esse aureo hamo piscantibus.* Videantur Erasmi adagia.

§. II. Laudem merentur hoc nomine Spartani, quos Plutarchus, in Lyfandri & Syllæ comparatione, refert murorum oppugnationes declinâsse, quippe ubi non solùm à viro abjecto & foemina vulneratum cadere contingat fortissimum, quo modo à Paride Achillem ajuet interemtum in porta.

§. III. Hâc prudentia se suosque munivit Pericles. Is, cùm Lacedæmonios, cum sex millibus Peloponensiorum & Bœotiorum pedum, Atheniensium regioni imminere, proque solo & gloria decertaturos audiret, eos, qui pugnam poscebant, & angebantur vastatione agrorum, demulsit, dicens: *arbores casas & dejectas mox renasci, virorum casorum iterum non promptam fore facultatem:* Plut. in vitâ

## APHORISMUS V.

Magnanimus omnibus viribus

ribus adnuitur, ut alios beneficiis afficiat, accipere autem ab aliis erubescit: unde & meminit libenter eorum, quos beneficiis ornavit, à quibus autem accepit, non item.

S. I.

**E**Rectus enim & libertati studiosus animus non fert, ut beneficiis se aliis reddat obnoxium: quin potius devincit sibi alios, & subjicit præstandis operis & beneficiis. *βέλαια δὲ ἰσχυροῦ*: ait Aristoteles in textu. Suffragatur Aristoteli Plutarchus lib. an Principium Philosophis sit disputandum? c. 7. *Letitia & hilaritas amplior & purior est in eo, qui beneficium confert. Quapropter multi sæpè pudore suffunduntur, cum beneficium accipiunt, semper autem gaudent, cum beneficium præstant.* Simile est quod ex Conestago de unione Portugalliæ adducit Camercent. 3. horarum succis. c. 19. *Reges non tantò honore prosequuntur eos, qui de ipsis benemeriti sunt, quantò eos, quos ipsi beneficiis affectant.*

§ II. Quæ alia causa exitii extitit Clyto, familiaritate aliàs Alexandro M. conjunctissimo, quàm quòd inter pocula jactaret: *suo pectore tergum Regis esse defensum.* Curtius lib. 8. c. 1. §. 41. Ad eundem lapidem offendit C. Silius, cum *immodicè jactasset, suum militem in obsequio durasse, cum alii ad seditiones prolaberentur, nec mansurum Tiberio imperium, si is quoque legionibus cupido novandi fuisset.* At hanc libertatem capite luit. Tacitus 4. ann. c. 18. §. 2. Ubi memorabilis subjungitur ab historico gnome, n. 3. *beneficia eousque lata sunt, dum videntur exsolvi posse: ubi multùm anteveneres, pro gratia odium redditur.*

§ III. Simile exemplum suggerit Josephus lib. 19. antiquit. c. 7. de Sila magistro militiæ apud Regem Agrippam. Is cum propter fidelia officia, fretus amicitia Regiâ, licentiùs ageret, & ei in colloquiis molestus esset, atque nunquam non labores, in ejus gratiam exhaustos, memorans sine fine repeteret, ideoque opprobriare videretur; Rex tandè odiosâ narratione ita offensus est, ut non contentus fuerit ei ademisse præfecturam, verùm etiam vinctum in ipsius patriam ad servandum miserit.

§ IV. Præceptum autem hoc non quisquam aliis luculentiore testimoniò firmasse videtur, quàm Ludovicus XI. Galliarum Rex; cujus ex ore hæc verba excepisse se memorat Cominaus lib. 5. Comment. p. 379. *feliciter agi, suâ quidem sententiâ, cum eò, cui nullò suò magnò meritiò Princeps benefaciat, & ut quis beneficio sit obstri-*

*Etus Principi, id multò prestare, quàm ut Prinseps clienti aut famulo alicubi suo multum debeat; eòq, se ingenio esse dicebat, ut quasi sibi ob aliquam beneficentiam deberent, eos plus diligeret, quàm alios, quibus debere se aliquid ipse putaret. Adeò in Principe rarum ac propè insolitum est, ut se putet obligatum: aut si putet, amet; ait. Plin. in Paneg. c. 60. §. 6. Vide Forstn. ad Tac. lib. 3. annalium p. 310. Bernegg. quæst. in Germ. Tac. 176.*

## APHORISMUS VI.

Magnanimi est, non esse  
petacem, nec liben-  
ter alios rogare.

§. I.

**N**Am & hoc ipsum detrahit libertati; ad quam consilia, instituta & actiones omnes refert magnanimus, si frequenter rogantis personam induat, & supplici ac querulâ voce dignitatem suam prostituat aut vendat. Quin sæpe equiore animo difficultates fortune vir moderatum superat, quàm sibi imperet, ut alterius opes, etiam optimi ejusdemq, amici, nedum superioris imploret; ut scribit Joh. Caselius ep. 7. mantissæ. Quod si muneris, & honestissimæ causæ ratio imposuerit ipsi necessitatem, remissiore fronte flagitare auxilium, retinet nihilominus generositatem  
viro

viro gravi & excellenti dignam, qualem depinxit Virgilius in Æneâ: Nam cum is, compulsus factorum iniquitate, Reginam Didonem rogâset, ut prohiberet

*infandus à navibus ignes;*

lib. 1. Æn. vers. 539. animadvertit Regina spirantem ex demisso etiam vultu animi tristitudinem, ut his verbis testatur 4. Æn. vers. 11.

*Quem sese ore ferent, quam forti pectore & armis!*

*Credo equidem, (nec vana fides) genus esse Deorum.*

*Degeneres animos timor arguit.*

Huc referendæ sunt petitiones obliquæ, ut Rhetores vocant, quarum exempla aliquod collegit Vossius lib. 3. instit. orat. p. 402.

§. II. Quam indecorum cōtrâ sit, & ab existimatione alienum, frequentibus & importunis precibus aliorum obtundere aures, vel bina sequentia exempla documento sunt. Cum eques quidam Alphonsi Arragonum Regis, in bello captus, & post è carcere missus, plurima à Rege in solatium calamitatis petiisset & impetrâset, eò digressò Rex versus ad familiares: *dispercam, inquit, ni metui, ne uxorem etiam meam eques iste deposceret.* Refert ex Panormitano Erasmus lib. 8. Apophth. Ruborem etiam fronte absterfit Jacobus de Sirk Elector Trevirensis, cum Fridericum III. Imperatorem apud novam civitatem adisset, & alia atque alia petens impetrâset, sed plura tamen petendo instaret, cui tandem Imperator: *Si*

*non facis, inquit, petendi finem, ego certè indulgen-  
di finem facile inveniam.*

## APHORISMUS VII.

**Magnanimus erga eos, qui in dignitatis & felicitatis eminentiore gradu sunt constituti, grandem se studiosumque suæ dignitatis præbet, erga mediocres, & humilis conditionis homines, moderatum.**

S. I.

**P**Rius præceptum exemplò suo illustrat Pericles, qui cum in comitiis, ob res malè gestas, accusatus esset, gravi & præsentis animò in mediâ concione respondit: *Mihi irascimini, tali viro qui nullò sum inferior, & ad cognoscendum & ad eloquendum, quæ oportet: insuper civitatis amans atque pecuniis invidus. Non solum enim arrogantiam, vaneque gloriæ cupiditatem ambitionemque tunc, hæc graviter dicendo, effugit, verum et*



*iam prudentiam ostendit, virtutisque magnitudinem, quod non animo fractus est, sed virtute potius fregit subiecitque invidiam: censente ita Plutarcho lib. de sua ipsius laude p. 183.*

§. II. Posterioris characterem repræsentarunt, quicumque in fastigio imperii vel dignitatis collocati, inter tenuioris fortunæ homines benignitatis suæ radios diviserunt, qualis fuit Vespasianus Imperator, cujus illud svavitatis plenum celebratur: *Non oportet quenquam à Caesaris colloquio tristem discedere. Quod imitatus voluisse videtur Ferdinandus I. qui etiam malis Poëtis, sua carmina exhibentibus, præmia dedit, hâc conditione; ne quid posthac scriberent.*

§. III. Insignes hâc laude fuerunt ex Imperatoribus Romanis Ælius Adrianus, qui in colloquiis etiam humillimorum mirè civilis & humanus erat, eosque detestari solebat, qui hanc humanitatis voluptatem ei inviderent, hoc prætextu, quod dicerent, *Principis majestatem ubiq; servandam.* Erasmus in Apophth. l. 6. Ex Germanis Rudolphus Habsburgensis, qui satellitibus suis præcepit, ne quenquâ pauperum accessu & colloquio suo arcerent: *Date, inquit, obsecro hominibus ad me accedendi locum & facultatem. Non enim ideo ad imperium evectus sum, ut hominibus in arcâ præcludar.* Zinggr. P. 1. Apophth. p. 30. Sanè pulcherrimus in Principe, adeoq; viro magnanimo, contentus est, si nihil severitati ejo hilaritate, nihil gravitati simplicitate, nihil majestati

*Res humanitate detrahatur: qualem in Trajano suo prædicat Plinius in Paneg. c. 4, num. 6.*

## APHORISMUS IIX.

**Magnanimus ad ea loca non accedit, in quibus contentio est de honore, seu ubi principem locum tenent alii.**

### §. I.

**S**icut cæteræ actiones magnanimi, velut in crepusculo bonitatis constitutæ, si primâ specie æstimentur, superbiæ finibus imminet, ita suspicioni arrogantia obnoxium ille se reddere videtur, si devitet ea loca, ubi primatûs dignitas ipsi denegatur. Quæ fortassis causa induxisse videtur clarissimum Philosophum Wolffg. Heiderum, ut hoc attributum inter ea referret, quæ plena sunt vanitatis & superbiæ, Diis & hominibus inimica, ut scribit ipse P. 2. Ph. M. p. 638. & 641. & Vitus Amerbachius Enarrat: ad I. M. M. p. 140. locum hunc lubricum esse dicit, ac in ea labi vehementer esse proclive.

§. II. Enimverò est in mundo, qui patrocinium commodare possit Aristoteli, *Vetus Paraphrastes*, qui idè dicit, *magnanimum tùm ab-*  
her-

horre ab occupatione secūdi loci, si primò dignum se esse sciat. Injurius autem in se & virtutes suas vir bonus fuerit, si dotes, à DEO præ aliis sibi concessas contemtu squalescere, situque emori, & fortis ac conditionis inferioris homines anteferri sibi patiatur. Rectè enim Horatius lib. 4. od. 9. vers. 29.

*Paulum sepulta distat inertia*

*Celata virtus.*

§. III. Etsi igitur in convivio apud Timonem, ubi promiscuò & turbatò ordine hospites accubuerant, pipulò differebatur ille, qui cùm ferius adventans, occupatis jam prioribus, nullum locum se dignum reliquum esse videret; tamen absolutò convivio Timonis pater factum convivoris leniter reprehendit: *si meo, inquit, obtemperasset consilio, in disponendâ accubitas ratione, non incurrissemus probrum de confuso ordine. Fertur enim (ait porro) Paullus Æmilius, Dux Romanus, debellatò Perseo in Macedoniâ, cùm conviviis perstreperent omnia, admirabili in cunctis ordine apparatusque reliqua usus dixisse: ejusdem esse viri, & aciem terribilissimam, & convivium lenissimum instruere, utrobique luculentum ordinem & congruum spectari innuens.* Refert Plut. quæst. convival. l. 1. probl. 2.

§. IV. Quòd si verò hominum imprudentia & iniquitas magnanimum defraudet loci dignitate, tum rursus consilium ab animi magnitudine petens vir bonus, Aristippum Philosophum imitabitur, qui à Dionysio accitus, & jussus in

convivio locum omnium infimum occupare: hunc, inquit, locum, ô Rex, illustrare vis ac honorificum reddere: significans, non locum reddere hominem viliozem, sed ex dignitate hominis honorem addi loco. Laërtius in vitâ Aristippi. Simile refert Plutarchus de Agefilao & Damonida.

## APHORISMUS IX.

Magnanimus otiosus est & cunctator, nisi fortè offeratur eximius honor, aut occasio, magna & illustria gerendi.

### §. I.

**P**Ræcepti hujus sententiam videor rectè mihi affecutus esse ex laudato antea interprete; estque hæc: *Non precipitare consilia, & actiones suas magnanimum, qui magnis actionibus intentus sit, & magnorum causâ agat, vel unde magnus honor expectatur; hæc autem rarò incidant.* Non disconvenit illud Plinii lib. 9. ep. 29. *Satius est, facere unum aliquid insigniter, quàm plurima mediocriter.* Et Thaletis Milesii dictum: *unum quiddam divine egregium, unum quiddam præclarum elige.* Erasmus Apophth. 1. 7. Apophth. 2. Causam indicat Aristoteles 2. M. M. c. 16. *quia in omnibus re-*  
bus

*vis imbecilla nostra natura in plurima pervenire non potest.* Unde & Plato in suâ Rep. cives non nisi unam artem singulos discere voluit; propterea quòd, ut Xenophon ait, *fieri non possit, ut is, qui multa simul agit, eadem rectè agat omnia, juxta illud Euripidis*

--Πλείστα πράσων, πλείσθ' ἀμαρτάνει βροτῶν,

*Qui plurimum facit, peccat quoque plurimum.*

Vid. Nic. Reusner. Symb. Her. classe III. Symb. 17.

§. II. Pauca autem hæc, uti plerumque felicior successus comitari solet, quæ multitudine tum fortunam irritant, tum animum distrahunt, ita cunctatione & morâ indigent, imò ut loquitur Tacitus lib. 1. Hist. cap. 32.3. *valescunt.*

§. III. Atque hîc cujus non animo sese insinuat, is qui à cunctatione nomen accepit, idque *novum ac Reip. salutare, ut censet Florus lib. 2, 6. 27. Fabius Maximus, qui*

*Primus fulmineum lentò luctamine Pænum  
Compressit.*

Quæ sunt verba Claudiani de bello Getico vers. 138. Ejus igitur *σερόνια στρατηγικῆν*, perspicacia ac prudentia militaris inde inprimis patuit, quòd *plus consilio, quàm fortuna fuerit confisus, atque effecerit, ut scirent homines, bono Imperatori haud magni fortunam momenti esse; mentem rationemque dominari:* quibus verbis ejus artes describit Livius lib. 22. c. 18. & 25. Talem *εὐπειρατοrem naturâ, & cui cauta potius consilia cum ratione, quàm prospera ex casu placere,* Svet. Paulinum fuisse, prodit Tacitus Lib. 2. Hist. c. 25. §. 3.

9. IV. Hoc ipsum præterquam, quòd ex veterum etiam Rerump. illustrari possit exemplis, confirmat præcipue unâ nostri temporis, Erasmi. Job. Brockmann Ethicæ Histor. Specim. cap. 5. pag. 338. (Belgicam autem citra dubium innuit) *quæ ut inter se fœderibus, sic amicitia nuper & societate intima cum gente Danorum sit, cujus non probare cunctationem non posse, ait, qui prudentiam ac consiliorum firmitatem quantitatemque laudant.* Adde Lips. lib. 5. Pol. c. 16. Rupert. ad Val. Max. lib. 9. c. 8. §. 3.

## APHORISMUS X.

Magnanimum decet esse

Φανερόμισον καὶ Φανερόφιλον  
 i. e. inimicitias & amicitias in fronte & aperte gerere.

### §. I.

**S**Cil. secundum illud Ennianum: *Eò ingenio natus sum, amicitiam atque inimicitiam in fronte gerere.* Est enim argumentum animi meticulosi, & viribus suis diffidentis, amorem & odium vultu simulare, aliud clausum in pectore, aliud promtum in linguâ habere. At, qui fiduciam in conscientia & præsidium in autoritate, meritis parat

ratâ, collocatum habet, is cum Achille Homericò II. I. vers. 312. velut renudatis animi penetralibus, & sine figura effari non dubitat:

Ἐχθρὸς γὰρ μοι κεῖν ὄμῳς αἶθεο πύλῃσιν,  
Ὅς χ' ἔπειν μὲν κείθει ἐνὶ Φρεσίν, ἄλλο δὲ βάζει.  
*Odi illos cœni claustra Erebi, quiscunque loquuntur*

*Ore aliud, tacitòque aliud sub pectore volunt.*

§. II. Hòc ingenio præditus erat Cato, quod in ipsâ etiam pueritia eluxit. Nam cum vix dum puber & prætextatus salutandi gratiâ ad Sullam venisset, & capita proscriptorum in atrium allata vidisset; atrocitate rei commotus, pædagogum suum interrogavit, *cur tam crudelem tyrannum nemo occidere auderet?* cumque significaretur, *non voluntatem, sed facultatem hominibus deesse, quòd salus ejus magnò militum præsidio defenderetur;* indignationem vultu præferens, *ferrum sibi dari petiit, sibi enim suppetere occasionem, quâ facile eum è medio tollere posset, & patriam in libertatem asserere, quòd familiaris in lecto ejus considerare soleret.* Ex eò tempore pædagogus Catonem non nisi excussâ prius veste, utrum sub eâ ferrum esset occultatum, adduxit. Val. Max. 1. 3. c. 1. ex. 2. Adolevit hæc *παρρησία* Catonis, & in virilem usque ætatem producta est, cujus in variis muneribus singularia specimina edebat, utpote in quæsturâ, quando adversus illum ipsum Sullam, iram jam viribus armavit, & pecuniam, publi-

publicam, quam acceperant loco mercedis, qui proscriptos à Sulla prodiderant, repetiit: in tribunatu, dum morem, comitia consularia venalia proponendi, reprehendit: in consulatu, quando Cæsaris ambitioni masculè & verbis & factis resistit, velut fusiùs ista omnia exponit Plutarchus in vitâ: cui adde Lipsium lib. I. monit. & exempl. Polit. c. 6.

§. III. Hanc virtutem cæteris suis superaddebat C. Jul. Agricola, de quo gener ejus Tacitus in vitâ c. 22. *Secretum est silentium ejus non timere; honestius putabat offendere, quam odisse.* Eodem pretio æstimavit Joach. Camerarius Bernhardum Ziglerû Theologû Lipsiensem seculò proximè superiore. *Erat enim (judiciò & verbis ejusdem in vita Philippi Melanchth. p. 327.) cum in vultu tristis quadam severitas, tum in verbis libertas, tum etiam vocis asperitas, ut durus & acerbus aliquibus videretur. Ficta, simulata, commentitia, ostentationem vanitatemque omnem mirifice oderat, & levitatem atque mobilitatem vehementer averfabatur.*

## APHORISMUS XI.

Magnanimus est παρρησιαστικός i. e. apertè dicit & agit omnia.

§. I. Cau-



**C**Ausam innuit Aristoteles : quia fit contemtor : quod quidem non in eum sensum est accipiendum, quòd reliquos mortales altò supercilio despiciat, & præ se velut umbras volitare putet: sed quòd verum ex animo, citraque fucum profiteatur, parum pensi habens, si maximè jacturam faciat opum, aut excidat favore & secundis rumusculis hominum imperitorum & improborum; juxta illud Ovidii 4. Fast.

*Conscia mens recti fama mendacia ridet.*

Consonum est illud Marii apud Sall. in Jugurth. c. 85. *Me quidem ex animi mei sententia ledere oratio nulla potest: quippe vera, necesse est bene prædices, falsam vita moresque mei superant.*

§. II. Nempe locum hîc habet, quod Clytus in convivio Alexandri voce sibi parentali extulit: *liberos homines liberam linguam habere.* Certè quòd honestatis amantiore esse solent boni, eò in linguam sunt solutiores, si ita res & usus publicus postulet. Phocionem Atheniensem mihi videte, famam suam quotidianis obtreptionibus, postremò capitis salutem exitio objectantem. Agebatur per civitatem rumor, responsum prodiisse ab oraculo: *unum Athenis esse virum, qui adversò omnibus aliis civibus animo esset, & cui presentium rerum administratio invisæ esset.* Stupentibus omnibus, & requirentibus tam invisum caput, prodiens in medium Phocion: *ego verò sum, inquit, quem designat oraculum; nihil eorum placet, quæ vulgus vel facit*  
vel

*vel dicit.* Refert ex Plutarcho Erasmus lib. 4.  
Apophth. p. 322.

§. III. Ecce etiam animum omni fucō nudatum, & in aprico expositum Helvidii Prisci, Vespasiano Imperatori, Principi ceterā laudatissimo, candorem objicientis. Miserat ad eum imperator, ne in senatum veniret: *Penes te, inquit ille, est, ne me Senatorem esse patiaris, quamdiu autem me loco non moves, in curiam mihi est veniendum. Age, at ingressus taceto;* ait Imperator, Rursus ille: *ne me rogas, & tacebo. At est mihi rogandum: vicissim Vespasianus. Et dicendum, mihi, reponit alter, quod rectum esse putabo. Verum si dixeris, occidam te: suggerit Imperator, Tum verò ruptis omnibus servitutis & timoris repagulis Helvidius: quando ergò dixi, me immortalem esse? Tu tuum facies, ego meum. Tuum est, occidere; meum, mori non trementem: tuum relegare, meum, exire non tristem.* Refert ex S. Aurelio Viç. Christianus Matth. in Theat. p. 521. & 522. adde Cl. Rupertum ad Val. Maximum, lib. 2. cap. 2.

§. IV. Veniat in numerum ejus monetæ *πρόσημασι κῶν* Erasmus Roterod. quando hâc laude ipse aded censerî gavisus est. Ita enim scribit, in purgatione ad expostul. Hutteni, p. 93. *Quibus propius notus sum, illud mihi vitium ceu peculiare, tribuunt, lingua libertatem immodicam, que verum tacere nesciat.* Vitium vocat Erasmus, quòd sibi fraudi nonnunquam fuisset nivei pectoris candor, unde prodibant reprehensiones præ-  
posterè,

posteri, in quod inciderat, seculi, cui adulari profecto non decebat hominem pietatis sincerè amantissimum. Unde Melch. Adami in vitâ ejusdem: *lingue inter amicos liberioris, nonnunquam plus, quam satis esset: & sæpè falsus, non poterat tamen amicis diffidere. Candidus estimatur aliene doctrina.*

## APHORISMUS XII.

Magnanimus est contemptor & verax,

§. I.

**S**I in sensu compositò, ut logicorum filii loquuntur, hæc accipias, rectissimè sese habent: etsi propter ea ipsa, sicut & alia magnanimo assignata attributa, malè audit, nullò tamen suo jure, Aristoteles. Quidni enim flocci faciat hominum triobolarium affanias & futiles susurros, qui non magis officere famæ ejus valent, quam vespa cicadæ, aut pica luscinia obstrepens. Nec verò etiam reformidat censuras & judicia imperitorum, aut malevolorum hominum, si salutis publicæ ratio postulet, veritatem sine purpurisso & fueo profiteri.

§. II. Hunc spiritum sapit illud Alexandri M. apud Arrianum lib. 7. *Non debere Regem apud subditos aliud, quam verum eloqui.* Ex eodem metallo conflatum fuisse Aristidis mentè, discimus

mus ex Plutarcho, qui tribuit ei ingenium, morum constantiâ præditum, & justitiam tenax, mendacium etiam in joco fugiens, quod expressit Epaminondas, quem Corn. Nepos cap. 3. n. 1. *adeo veritatis diligentem fuisse prodit, ut ne joco quidem mentiretur*: quam laudem iisdem prorsus verbis tribuit civi Genevensi clarissimo Andreae Auriaz Thuanus lib. 26.

§. III. Quàm suaviter verò accidit auribus illud Xenocratis exemplum, de quo memorat Laërtius in vitâ, quòd tanta verbis illius fides fuerit habita, ut, cum injurati nullius testimonium admitteretur, huic soli remiserint Athenienses juramentum. Etiam illud admirandum in Attico, apud dictum Nepotem cap. 15. *quòd mendacium neque dixerit, neque audire potuerit*. Superius ab hoc proximè seculum non minùs morum, quàm doctrinæ elegantiam & integritate mirum quantum condecoravit Joach. Cameraarius. *Is à mendaciò ita abhorrebat, ut ne jocosum quidem ferre posset, omnibusque iis, quibus animi sensus sub linguâ potius, quàm in linguâ, inimicum se acerrimum & adversarium assiduum profiteretur*. Melch. Adami in vitâ p. 265. Sed nobis parcius utendum hîc est exemplorum ἀληξούθω, ne thesin pigmentis, quibus infra locum de Veracitate, illustremus.

## APHORISMUS XIII.

### Dis simulatione nonnunquam

quam utendum est ad  
multitudinem, salvâ  
integritate & autori-  
tate.

§. I.

**N**ec enim veritatem virginem, ut scortum pro-  
stitui promiscuè fas est: nec aqua pura infun-  
denda est in puteum cæno plenum, ut Galenus ali-  
cubi loquitur. Incidunt enim nonnunquam  
tempora, ubi tegenda est veritas, quæ si remo-  
tò velo palàm omnibus exponeretur, magnum  
crearet bono publico periculum, & illi indigna-  
rentur, qui suo malo intelligerent, sibi verum  
esse manifestatum. Ut adeò rectè judicet H.  
Grotius l. 3. de J. B. & P. c. 1. §. 7. *Haud dubiè  
crudè nimis à Cicerone in 3. de off. dictum esse: ex  
omni vitâ simulationem, dissimulationemque tollen-  
dam. Nam cum nec, quæ scias, (pergit vir Favu-  
cios, nec qua velis, omnia aperire aliis tenearis, se-  
quitur, ut dissimulare quedam apud quosdam, id est  
tegere & occultare, fas sit. Non est mendacium,  
Inquit Aug. lib. de Mendac. c. 10. cum silendo  
absconditur verum. Et necessariam hanc omninò  
atque inevitabilem esse dissimulationem, his præ-  
sertim, quibus respublica cõmissa est, non uno loco fa-  
tetur ipse Cicero. videantur orat. pro Milõne, &  
pro Cn. Plancio, item l. 7. fam. ep. 9.*

§. II. Hâc laude eminere meritò diceremus.

T

Cl.

Cl. Tib. Neronem, nisi eam tot vitiis corruptam fuisse sciremus. Sed quid vetat etiam in hoste virtutis laudare facta reip. utilia, quæ si in viris bonis existerent, veram & interiorem honestatis pulchritudinem exhiberent? Is itaque, cum Tacito teste lib. 4. ann. c. 71. §. 3. *nullam equè, ut rebatur, ex virtutibus suis, quam dissimulationem diligeret, dicere solitus est; Principis animû nemini cognitum esse debere, quod si is aperiatur, multorum magnorum malorum esse causam, cõtrâ si dissimuletur, plura ac majora commoda parari: ut memorat Dio Cassius.*

§. III. Cum probitate morum conjunxit hanc artem Agefilaus, Dux Lacedæmoniorum, qui apud Xenoph. pronunciat: *se hanc semper servasse consuetudinem, ut si metu corripereetur, animosum se ostenderet, si prosperè res succederent, timidissimum.* Eadem mens fuit Impp. Augustissimis Friderico Ænobarbo & Sigismundo, qui symboli vice celebrârunt illud vulgatum: *qui nescit dissimulare, nescit imperare.*

§. IV. Fructum autem hujus artis non ignotum esse etiam Turcis, vel istud exemplum documentum esto. Solymannus intentus oppugnatione Zigeth, A. 1566. animam efflavit in ipsis castris. Poterant hoc casu animi langvescere militum, Ducis aliàs præsentia erectorum. Mechmedes, purpuratorum princeps, capto in arenâ consilio primùm Solymani archiatrum clam necari jubet, ne per illum mors Solymani emanaret; dein suspitione stupentibus Centurionibus

bus ac prætorianis præcipuis, annon è vitâ migrâſſet Imperator? Mechmedes deſiderio illorum aſtu illudens cadaver conſveto antehac cultu ornari jubet, & in ſublimi ſolio collocatum, ſpectatoribus cupidis ominùs oſtendit, adeò callidè re aptatâ, ut emnes eum reverà in vivis adhuc ſupereſſe crederent, manantibus interea, quos recentis luctûs recordatio eliciebat, Mechmedi lacrymis, ac hinc novâ ſubeunte ſuſpicionè, de obitu Solymani, ex caſu occasionem ipſe capiens, non ſe flere mortem Imperatoris inquit, qui ægritudine ferè omni ſolutus, ſic ſatis benè valeat, ſed omnium adſtantium, & ſui ipſius vitam deplorare, quibus neceſſe, eſſet ex cõminatione Solymani, vel intra triduum vincere, vel crudeliſſimis ſuppliciorum generibus perire. Favet fortuna dolo, & cùm ex hoc dolo animus militibus inflammaretur, ſucceſſum etiam felicem expugnati caſtri etiam largita eſt Lundorp. Contin. Sleid. l. 7. p. 756. & ſeqq.

## APHORISMUS XIV.

Proprium Magnanimi eſt,  
ut vivere ad alterius arbitrium non poſſit, niſi amici.

§. I.

**S**ententiam hanc ad unguem expressit Marcellus Palingenius in Leone :

— *optandum nulli servire, decet nil  
Libertate magis generosum pectus: at ille  
Naturâ est servus, natura ignobilis, imò  
Infelix prorsus, prorsus miser, alterius qui  
Esse potest, ultroque aliena facessere jussa,  
Et quicumque aliquâ lucrispe ductus, iniquum  
Fert placidâ cervice jugum: non jugera tanti  
Plurima sunt, non omne aurum, non quicquid  
arenis*

*Indus Erythraeis cupidus legit, ut patienter  
Vel stomacho alterius comedas, capiasve quietem  
Ad somnum alterius, dominoque jubente ferarum  
Nunc huc, nunc illuc, veluti pila missus ab illo.*

§. II. Igitur animum generosum sub corpore incultiore & amictu viliori gestavit Diogenes. Invitabatur is ad Craterum Alexandri M. præfectum, hominem prædivitem, ut ad se commigraret, ipse verò respondit: *malo Athenis sale m lin gere, quam apud Craterum mensâ opiparè instructâ frui: sentiens, libertatem, quamvis inopem, omnibus divitum deliciis præferendam, ubi minuitur libertas. Laert. l. 6. vitâ. 2.*

§. III. Ad hanc figuram compositam habu- mentem Simon Atheniensis, Socratis familiaris. Eum Pericles ad se vocari jussit, pollicitus se il- cuncta necessaria exhibiturum. At Simon nega



vit se venditurum libertatem. Delectavit hunc imago muris sylvestris, parvo viventis potius, quam domestici in summis deliciis sed perpetuâ cum solitudine virentis. Laërt. & ex eo Erasmi. in Apophth.

§. IV. Locum hinc illustrare potest fabula de lupo & cane invicem ambulantes, quorum ille mirabatur, unde hic tam distentum cibo corpus nactum esset, cum sibi quamlibet multò robustiori, tantum non fame pereundum. Cumq; canis respondisset, sibi pro sedulâ domus custodia libunde ciborum palato commodorum suppeteret, nisi quòd collo catena vinculo abeundi sibi licentia sit repta: tum verò lupo famelicus, sortem suam socii servituti præferens,

*Fruere, inquit, quod laudas, canis:*

*Regnare nolo, liber ut non sum mihi:*

hædrus fab. 46.

§. V. Illud autem non prætermittendum est, quòd limite certo circumscribit libertatem istâ aristoteles ita, ut amici monitis submittere sese non erubescat magnanimus.

*Ἀγαθὴ δὲ παρὰ Φαοῖς Ἰσὶν ἑταίρῃ:*

*bona admonitio est socii, ait Patroclus apud Homerum Il. O. 414. idque non contemnendum est defectus indicium, si quis commissâ culpâ se reprehendentibus offert, vitium exponit, & malum detestatur, neque gaudet latendo, contentusve est, si clamferat, sed confitetur, opemque correctoris requirit: quomodo Diogenes dixit, cum qui servandus querere debere aut probum amicum aut infen-*

*siſſimum hoſtem, ut vel reprehenuſ, vel correctuſ vi-  
tiô liberetur : ut eſt apud Plut. lib. de profectu in  
virtute ſentiendo. p. 139. Contrâ homines improbi  
ſolent illos, qui cupiditatibus ipſorum ( quantum-  
vis id rectè fiat ) reſiſtunt, odiſſe : ait Ariſtoteles  
10. Eth. c. 9. n. 36.*

## APHORISMUS XV.

Magnanimus non eſt ad-  
mirator : nihil enim i-  
pſi magnum aut inuſi-  
tatum accidere teme-  
rè poteſt.

§. I.

**H**ic eſt ſummus ſapientiæ apex, aut ſummo-  
proximus, ſi quis animum ita rerum huma-  
narum notitiâ & experienciâ firmaverit, ut nihil  
evenire poſſe putet, quod non ſagace mente antè  
proſpexerit, aut conjecturâ ductus præſagierit.  
Sicuti tot periculis exercitus Ænæas jactitat apud  
Pœctarum aquilam lib. 6. verſ. 103.

— — — *Non ulla laborum,  
O virgo, nova miſfacies, inopinave ſurgit ;  
Omnia præcepi, atq; animo mecum ante peregi*

§. II. Sanè Pythagoras hoc se è sapientia studiis lucrum fecisse non dubitavit pronunciare, quod nihil amplius admiraretur. Plut. lib. de audit. p. 72. Et Democritus admiratione vitam beatam impediri, aut jam partam labefactari opinabatur, cum in primis laudaret à *ἡσυχασίας*, animumque vacuum ab ipsa, & qui despiceret cuncta, quæ cæteri sine causa suspiciunt. Non putabat enim ille oportere, qui securò animo esse vellet, admirari aurum, gemmas, vestes pretiosas, picturas ac statuas magnò artificio confectas, populares honores & cetera hujuscemodi, quorum desiderio magno qui tenentur, nunquã sit illam suam explere possunt, quare in omni vita solliciti sunt. Quoniam enim hinc graves existunt animorum motus, ex singulorum hominum perturbatione ledi communis vite societatem ac convelli remp. necesse est. Fons igitur malorum non tam admiratio est, quam inde nata cupiditas ejus rei, quæ cum in tuã non sit potestate, ne leviter quidem te afficere debuerat. tantum autem abest, ut affligat ac maceret. Quibus quidem verbis lucem fœneratur Levinus Torrentius illi Horatiano lib. i. ep. 6.

*Nil admirari, propè res est una, Numici,  
Solaque que possit facere & servare beatum.*

Paulò prolixius hoc argumentum pertractat P. Victorius lib. 35. Var. Lect. cap. 6.

## APHORISMUS XVI.

Magnanimus non est injuriarum memor.

## §. I.

**M**ultæ causæ inducere debent virum magnanimum, cur illatorum sibi incommodorum memoriam ex animo dolere debeat, utpote quod suæ virtutis conscius, famam suam malevolorum improbis vocibus aut factis interverti non posse certus est, quod divinitus illa immitti intelligit, quod turpe sibi ducit, animo ægritudinem inurere rebus juxta se constitutis ac sæpè à fortunæ aleâ pendentibus; quod multa sibi reip. causa condonanda esse putat.

§. II. Ecce spirantem hanc animi vim in ipso mortis confinîo à Phocione Atheniense declaratam. Allatô jam cicutæ poculô, interrogatus, *filioné aliquid mandaret? mando, inquit, tibi, fili atque hortor te, ne Atheniensibus memorem te injuriarum præbeas.* Plut. Apophth. p. 320.

§. III. Huc referri potest plebiscitum à Thra-sybulo promulgatum: *ne quis, liberatis à tyrannorum sævitia Atheniensibus, præteritarum rerum mentionem faceret:* quod consignaverunt Plutarchus in Themist. & Val. Max. lib. 4. c. 1 exempl. ext. 4. Ad hanc legem velut ad sacram anchoram confugiens Cicero, rebus reip. afflictis ac deploratis, scribit: *se jecisse fundamenta pacis, Atheniensiumq; renovasse vetus exemplum: grecum*  
etiam.

etiam verbum usurpasse, quod tunc in sedandis discordiis usurpasset civitas illa, atque omnem memoriam discordiarum, oblivione sempiternâ delendam esse censuisse. Imitatus eandem superiori seculo est Carolus IX, Galliarum Rex: sicut formulam Amnestiæ, à Lambino descriptam, & latinè redditam, inseruit suæ de Amnestia dissertationi, grande eruditi nostri seculi ornamentum, Joh. Henr. Bocclerus cap. 2. §. 18.

§. IV. A quo eodem & illud docemur, quod apprimè facit ad intelligentiam loci nostri presentis; cum oblivio non sit in potestate hominis, respectu voluntariæ ex memoriâ deletionis, distinguendum ante omnia esse, inter *μνημονεύειν* & *τὸ μνημοναεῖν*, exemplò Ulpiani Rhetoris, qui in oratione Themisthenis contra Aristotelem scribat; qui inquit in admissa alterius, & injuriis, nocendi ac vindictæ studio, ille *μνημοναεῖ*, sive memoriam injuriarum retinet, qui autem meminit minimè nocendi animo, sed ut similes imposteriorum rursus caveat, ille prudenter agit. Igitur magnanimus etsi injuriarum memoriam ita deponat, ut possit *παρεγγῆν*, negligere, & vindictæ cupiditatem simul exuere, tamen non est instar lapidis, sed contumelias sentit, quasi lanceis transfixus sit, ut aliàs loquitur Aristoteles lib. 7. Pol. c. 7.

## APHORISMUS XVII. Magnanimus de homini-

bus verba facere ( frequenter ) non solet, quòd neque de se, neque de aliis loqui curret.

§. I.

Στὴν ὀρθὴν profus extat præceptum Epicteti in Enchir. c. 41. *Majori quidem ex parte silentium præstetur, aut necessaria dicantur, eaque paucis. Raro autem cum se obtulerit occasio, ad dicendum veniemus: sed non quidvis dicemus; non de gladiatoribus, non de ludis Circensibus, non de pugilibus, non de cibis & potionibus, quæ passim inculcantur. Imprimis autem, ne homines vituperemus, vel laudemus, vel comparemus, caveatur.*

§. II. Hòc puriore auro prisca Romanorum seculi facies nitebat, ut Sall. prodidit in Catil. c. 8. *optimus, ait, quisq; facere, quàm dicere, & sua ab aliis benefacta laudari, quàm ipse aliorum narrare, malebat.* Quod ipsum elogium autor tribuit Jugurthæ cap. 6. *Plurimum, inquit, facere & minimum ipse de se loqui.* Ejusdem ingenii fuisse Parthos, Justinus indicat. lib. 41. c. 3. n. 8. his verbis: *Naturâ taciti, ad faciendum, quàm ad dicendum promptiores; proinde secunda adversaq; silentiò tegunt.*

§. III. Af-

§. III. Affectavit hanc laudem ( quidni enim miscere nonnunquã liceat simulacra, virtutum, veris ideis, ut saltem externa species internam pulchritudinem animo suggerat? ) Tiberius, de quo Suet. c. 68. *Incedebat cervice rigidâ & obstipâ: adductô ferè vultu, plerumque tacitus: nullo aut rarissimo, etiam cum proximis, sermone, eoque tardissimo.* Certè in primâ juventâ, cùm Româ relictâ Ostiam descenderet, *ne verbum quidem prosequentium cuidam reddidisse, tradit dictus autor cap. 20.*

§. IV. Denique in universum æstimanti patebit, propiùs juxta prudentiam esse, linguam, adductioribus habenis ita moderari, ut plurima negotia auribus & animo committantur. Quò pertinet illud Zenonis apud Laertium lib. 7. qui adolescentem, multa temerè & inconsideratè effutientem, hòc dicto corripuit: *idcirco binas habemus aures, & os unum, ut plura audiamus, pauca loquamur.* Et illud calcatum, seu Simonidis, seu Xenocratis, qui, cùm in convivio, cæteris multa garrientibus, solus nihil diceret, interroganti: *cur unus omnium sileret? quoniam, inquit, locutum fuisse pœnituit aliquando, siluisse numquã.* Plut. lib. de tuenda Val. pag. 216. Eras. lib. 7. Apophth. p. 615.

## APHORISMUS XIIIX.

Magnanimus non est laudator.

**I**Ta ut temerè, vel nimium, vel frequenter, in laudes hominum effundatur. Cùm enim omnem bonitatem, & virtutis pulchritudinem animò suò complectatur, sitque *ἰσπέχων*, haud facilè deprehendit in alio elegantius & præstantius quicquã, quod plausum suum mereatur. Adde, quòd sciat, *virtutem domesticò contentam esse ornatu, nec juxta se querere emendicatum mangonium*, & boni in os laudati quodammodo oderunt eos, à quibus prædicantur: ut scribit ex Euripide Joh. Casel. in mantissa ep. Rostochiensium ep. 7.

§. II. Ingeniosè & facetè hoc indicavit Lyfander, cum alicui jactanti, quòd ipsum & laudibus veheret, & adversus obtrectantes tueretur; duos, inquit, sunt mihi boves ruri; tacentibus ambobus, tamen certò novi, uter sit ignavus, uter ad laborem strenuus. Sensit veram virtutem non egere laudibus humanis, cùm ipsa secum ducat suam laudem ac decus. Cæterùm qui nihil gerunt laude dignum, his opus est præconibus. Hoc immodicum laudandi studium reprehendit etiam Camerarius in vitâ Melanchth. p. 344. *Quidam, ait, ita perversi sunt, ut neminem satis laudatum putent, nisi sermonibus suis aliquem in cælum ferant, & quemadmodum veteres locuti sunt, cum Deorum immortalium laude conjungant; neq; vident, hoc pacto non ornari, sed deformari eum, quem celebrari instituerunt, cùm de homine verba facientes, non hominis effigiem exprimi studeant, & verpoliri oratione sua.*



## APHORISMUS XIX.

Magnanimus non maledicit aut existimationem cujusque lædit, nisi cum propulsanda est contumelia.

§. I.

Est enim abjecti & humilis animi, dentem Theoninum famæ alterius infigere, ubi aliæ injuriæ irritò ictò resiliunt & hebescunt, sicut Zoilus Amphipolitanus, qui stylum in Homerum, Platonem, aliosque strinxit, interrogatus à quopiam erudito, quamobrem omnibus malè loqueretur? quoniam, inquit, malefacere, cum velim, non possim. Æl. Var. l. II. c. 10.

§. II. At magnanimus longè intra virtutis suæ dignitatem constitutum esse putat, maledictis cum aliis certare. Ita Cato à quodam, multis nominibus infami, vexatus, *impar mihi*, inquit, *tecum certamen est. Nam ut tibi & malè audire & maledicere facillimum & promptissimum est; ita mihi maledicere insuave, malè audire insolitum.* Eras. l. 5. Apophth. 45. Non autem alii temerè validiorem stomachum ad digerendas calumnias indulsit Genius, quàm Pericli. Is aliquando negotiis seriis occupatus, hominem protervum & perfrictæ frontis, per totum diem

convitiis se insectantem tulit. Neque imminens nox prohibere petulantiam hominis potuit, quò minus maledictis aures Periclis, sed surdas, verberaret; postremò cum jam in domûs limine consistens, tædio caperetur cicadæ obstrepentis, conversus ad servum Pericles, *heus*, inquit, *mox facem expedito, & hunc hominem civem reducito*, Plut. in vitâ.

§. III. Non autem prætereundum est, quod submonet Aristoteles noster, magnanimum non ita vacare contumeliæ sensu, ut non etiam dicterio aliquo liberiore, si res & locus ferat, retorqueat convitium, ne famæ suæ, utpote instrumētò haud contemnendo negotia civilia administrandi, negligentior esse videatur. *Sacrilegus enim & injuste agens famam non curat*: ait Anaxantridas Laco apud Plut. in Apophth. p. 364. Non sanè prorsus iniquum aut juri Naturali repugnans videtur esse, quod *de jurgio quodam equitis senatorisque pronunciavit Vespasianus pater* apud Svet. c. 9. *Non oportere maledisci senatoribus, re maledici civile fasque esse.*

## APHORISMUS XX.

Magnanimus de necessariis aut parvis non est querulus.

§. I.

**Q**uomodo enim, qui nihil estimat, aut in rebus humanis magnoperè prepetendum judicat, tam demissi posset esse animi? addit vetus Paraphrastes. Stilponem igitur imitatur, qui captâ patriâ, amissis liberis, amissâ uxore, cum ex incendio publico solus, & tamen beatus exiret, interroganti Demetrio, cui cognomen ab exitio urbium Poliorcetes fuit: Numquid perdidisset? omnia, inquit, bona mea mecum sunt. Ecce vir fortis ac strenuus: ipsam hostis sui victoriam vicit. Ita Seneca judicat Epist. 9. & lib. de Const, sapientis cap. 5. & 6. Pectore enim illa bona gestabat, non humeris: non oculis visenda, sed estimanda animo. *Quæ domicilium mentis inclusa, nec mortaliū, nec deorum manibus labefactari queunt, & ut manentibus præsto sunt, ita fugientes non deserunt; uti commentatur, istud ipsum exemplum in Biante laudans Val. Maximus lib. 7. c. 2.*

§ II. Eod. animo possedisse opes, quippe res minutas, præ animi dotibus, Aristippum, tum ex aliis documentis constat, tum inde, quod cum prædium amœnissimum perdidisset, cuidam deploranti tam miserabilem illius casum: *quid?* inquit, *an nescis tibi unicum esse prædiolum, mihi vero tres agros superesse? cum annuisset alter: quin igitur tuam potius vicem deploramus?* sentiens insipientis esse dolere amissis potius, quàm gaudere reliquis. Eras. l. 3. Apophth. in Aristippo n. 43.

§. III. Erectum etiam animum arguit, quod Epicuro tribui solet: *habeat quis panem & aquam, cum ipso Jove de felicitate contendat.* Sen. ep. 25. Vel sola hæc sententia à crimine vitæ luxuriosæ, quod aliàs impingi innoxio solet, liberare valeat hominem vitæ sic satis innoxie. Tranquillitatem autem hanc sectatum fuisse Erasmmum, indicant verba, quæ habentur lib. 22. ep. 5. *Utinam sic liceat sumtus moderari, ut morienti nec proprium es, nec alienum supersit: præterquam quod huic ubicunque reponendo corpusculo sit opus.*

## APHORISMUS XXI.

Motus magnanimi tardus esse videtur, & vox gravis, & locutio stabilis.

### §. I.

**U**T nihil etiam cincinnorum & externorum ornatum ad absolvendam magnanimitatis elegantiam requisitorum desit, incessum & sermonem postremò format Aristot. Licet enim in externa morum gravitate & decentiâ primariò non sit collocata honestas, tamen hæc dignitatem suam tueri, & mortalibus amabilem reddere sine istis parariis nequit. Peculiare nomen huic externæ morum decentiæ imposuit idem

Philoso-

Philosophus I. M. M. c. 29. vocans eam *συνό-*  
*μη*, & describens, quod sit *medium inter nimiam*  
*de se opinionem, αὐθαδέειαν, & aliis placendi stu-*  
*dium.* Etiam si enim aut liberalem, aut constan-  
 tem, aut magnanimum esse, per se sine ullo dubio lau-  
 dabilius & majus sit, quam esse moribus honestè ele-  
 ganterque politum, nihilominus tamen usu venit,  
 ut *morum illa suavitas & gestuum sermonisq; de-*  
*cora & bella concinnitas, non minus possessori suo*  
*adjumenti afferant, quam animi vel magnitudo*  
*vel alacritas, his ipsis virtutibus ornato conferre*  
*queant;* scribit Galatæus in proœmio libelli de  
 Eleg. Morum.

§. II. Fuerit fortassis Diogenes tolerantior  
 ærumnarum, sagacior in suggerendis virtutum  
 præceptis, frugalior in victu; at minùs commo-  
 dus, minusq; ad communes usus attemperatus,  
 minùs etiam retinens autoritatis extitit: deniq;  
 minùs diligenter probitatem suam elegantiam  
 morum ornavit. Contrà

*Omnis Aristippum decuit color, & status, & res;*  
 ait Horatius, utrumque inter se contendens, lib.  
 I. ep. 17. vers. 23.

§. III. Nemo verò certius affecutus est gravi-  
 tatis istius decorem Catone Minore, quippe cui  
 tribuitur à Plutarcho in ejus vitâ ἡ ἴσος ἀρετῆλον,  
 καὶ ἀπαθὲς, καὶ βέλτατον ἐν πᾶσι, *mos & genus*  
*vivendi immotum, ac adversus quoscunque affe-*  
*ctus impenetrabile, omnibusque in rebus firmum ac*  
*stabile.*

§. IV. Nisi quòd ex propinquiore ævo eam virtutis faciem graphicè in se expressit Maximilianus I. Imperator: *ex cuius vultu ac oculis effulgebat majestas magno principe digna, rebellium conscientiam non fictè commovens ac concutiens. Inerat gravitas, debitam auctoritatem vel refractariis extorquens. Universa adeò corporis lineamenta Imperatoriam regalemque dignitatem referebant, habitus, incessus decens, motus temperatus, verba pondus habentia, affectus hominum quolibet trahebant; quibus coloribus eam vitæ rationem depingit ex Heutero Delfio Christ. Matth. in Theat. Hist. p. 1023.*

§. V. Addamus tamen vel comitem vel ministrum Archiepiscopum Taurinensem, Hieronymum Roverèum, *qui etsi doctrina, eloquentiâ, moribus, & exemplari sive imitabili vitâ, ab ipsis mox incunabulis, admirationi omnibus fuit, & in conversationibus gratus; tamen gestuum actionem & conformitatem ita est moderatus, ut non solum dulci, politâ, gravi, & distincta suâ loquelâ, sed & illis oculorum fenestris, & frontis claritate, nec non gestuum candore, amabiles suos interiores affectus revelando, non minus unâ quàm altera parte, aliorum corda quoquò vellet, posset flectere. Testatur Steph. Guazzus de civili conversatione lib. 2. pag. 188.*

§. VI. Quod de gestûs moderatione indicat Aristoteles, multam lucem accipit ab illo Ciceronis lib. i. de off. c. 36. *Cavendum est, inquit, ne aut tardis atibus utamur in gressu mollioribus, ut si-*  
*miles,*

*miles pomparum ferculis videamur, aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates, quæ cum fiunt, anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur, ex quibus magna significatio fit, non adesse constantiam.* Simile præceptum inculcat S. Basilius in prolixâ ad Gregorium Theologum epistolâ.

## APHORISMUS XXII.

Puſillanimis, etſi non adeo improbus, aut magnæ alicui culpæ affinis eſſe videtur, non tamen à vitio abſolvi prorfus poteſt; vel ideo, quòd bona ſua ignoret, iisq; indignum ſe judicet,

ſ. I.

**Q**uodnam verò illud vitium, aut ſi quidem molliùs appellare velimus, peccatillum, quod admittit homo parvi animi? An quia bonis debitis ſe privat? at neminem ſibi injuriati facere poſſe, in 5. Eth. inculcatur. Dicamus igitur, Remp. damno affici, ſi quis iniquus aſtitra-

U 2

tor.

tor five animi, five corporis dotium, aut effugiendæ invidiæ molestiæque causâ, malit inertî otio ætatem transigere, quàm oneribus, quibus aliàs ferendis par est, cervicem submittere. Hinc monet Plut. lib. de Civ. inst. p. 96. *Honorem verum & solidum, & gratiam, quæ eorum continetur benevolentia, qui beneficiorum memores & gratiæ referendæ studiosissimi sunt, civilem virum nequaquàm despiciere debere, neque committere, ut quasi existimari negligat, & ne suis planè videatur placere, honorem ex industria devitare.*

§. II. Putasne reprehensione vacuum esse, Pittacum Mitylenæum, quòd diffusus de sui ipsius animi constantia, Magistratum deposuerit, relictoque imperio in exilium abierit? Qui quidem percontantibus quibusdam, *quâ gratiâ fugisset imperium?* respondit; *quòd admodum esset arduum, probum esse; propter mutatum Perian-drum, qui initiò populariter ac moderatè gerebat imperium; postea versis moribus, tyrannicè agere cœpit. Quibus auditis Solon illum culpavit, addens apophthegma suum: χαλσπὰ τὸ καλὰ:* Refert ex Laërtio Erasmi. Chil. 2. cent. 2. ad. 12.

§. III. Nec aliunde quàm ex tædio ærumnarum & curarum, quas imperia faceßere solent, profectum est consilium & institutum Diocletiani Imperatoris. Considerabat quippe, nihil esse difficilius, quàm scire benè imperare: adhæc ætas imbellis, & rerum humanarum instabilium metus, svaserunt Diocletiano, imperium, quod jam totos viginti annos administraverat, deponere.



Sed & collegæ Maximiniani ingenium ferum & asperum frenavit, ut sibi consentiret, & secum imperio abiret: cùmque aliquoties denuò invitaretur ad capellendam pristinam dignitatem, respondit: *Se peste prius liberatum, nolle venenum imbibere: satis se pro Republ. laborasse; nunc verò in patriâ sua h. e. Salonis, olera serere, hortum colere & privatim agere malle: ut habet Cuspinianus.*

§. IV. Diocletiani exemplum secutus est Lotharius I. qui & ipse pravorum consiliorum, & quæ iis conjuncta esse solent, infortuniorum tandem pertæsus, Ludovico, filiorum natu majori, dignitatem Imperatoriam commisit, sexque circiter ante obitum annis, in Prumiense Cœnobium, à se extractum, & amplissimis possessionibus dotatum, concessit. His ipsis exemplis inductus Carolus V. Imperiò & Regnò se apud Bruxellas abdicavit; illò in Ferdinandum fratrem, hòc in Philippum filium translato, & inde in Hispaniam profectus, in monasterio S. Justi, ubi biennium degerat, vitam finiit. Similia exempla collegit Greg. Richterus Ax. Hist. 280. & Pol. 83.

§. V. Atque isti quidem, ex auspiciati civiliùm turbarum nexibus, in placidam quandam tranquillitatem & svave otium se vindicarunt, illud Epicureum opere & vitâ assecuti: *ἀσκήσιον βίωσιον*. Quod tamen subinde cordatiores & boni publici amantes multò sale defricuerunt, è quibus unus instar omnium dignissimam lectione operam præstitit Plut. in egregiò de ista

ſententiâ ſcripto libello. Nec malè Horat. lib. 4.  
od. 9, verſ. 29.

*Paulum ſepulta diſtat inertia*

*Celata virtus.*

Et Plato ad Architam Tarentinum: *Non ſibi ſoli  
natum ſe homo meminerit, ſed patria, ſed ſuis, ut  
per exigua pars illis relinquatur. Quod imitatus  
Cicero in Officiis lib. 1. c. 7. Non nobis ſolum, ait,  
nati ſumus, ſed ortus noſtri partem patria, partem  
parentes vendicant, partem amici,*

## APHORISMUS XXIII.

Turgidus & ſuperbus ſe  
ipſum ignorans, res am-  
plas & glorioſas aggre-  
ditur, quas quia exequi  
non poteſt, meritò re-  
prehenditur: prætereà  
veſtitu, geſtu & ſimili-  
bus ornat ſe ipſum, ut  
felicitas ſua aliis fiat ma-  
niſeſta, & ipſe hono-  
rem hinc conſequatur.

ſ. I. Ex-

§. I.

**E**Xempla hominum, spiritus altos gerentium, & pennas nidò majores extendentium nullius ævi historia negat. Quotusquisque enim est, qui infirmitatis suæ conscius, intra suam pelliculam delitescere, & suo se pede ac modulo metiri sciat? Ac non potius fidem faciat illi Poëtæ dictorio:

*Ut nemo in sese tentat descendere? nemo:*

*Sed præcedenti spectatur mantica tergò.*

Pers. sat. 4. vers. 23.

§. II. Imò verò, si ullibi aliàs comprobatur veritas asserti illius Pythagorici, quod indicat Aristoteles 2. Eth. cap. 5. *rectè agere uno modo tantum licere, peccare verò multis modis posse*: certè luculenter apparet id in hoc vitio, ut multis diviticulis flexionibusque à rectitudinis semita divagetur. Inter eas eminent illæ duplicis generis, quarum mentionem in textu facit Aristoteles, & ad quas nos præcipuè sequentia exempla referemus.

§. III. Ac primùm quidem, si Mythicam Poëtarum Philosophiam nō tædet lustrare, licet spectare Phaëthontem & Icarum, qui, cùm insuper habitis paternis monitis, sublimius viribus suis iter emetiri molirentur, suo exitiò partim mari nomen dederunt, partim sannis & ludibriis, ac demum proverbiiis ora hominum impleverunt. In verâ historia occurrit Xerxes, qui insolenti virium fiducia præceps actus, cùm trajectum maris, pontibus junctum, disjecisset tempestas,

pedicas aureas in Hellespontum jecit; *Neptunum*, dictitans, *se alligare*: misit etiam qui stigmata inurerent, qui colaphos incuterent, verbis probrosis & vefanis eum insectantes: *ô aqua amara, dominus hanc tibi irrogat pœnam, quod eum lesisti, qui de te nihil meritus erat. Te enim Rex Xerxes, velis nolisve, transmittet: meritoq; nemo hominum tibi sacrificat, ut doloso pariter & amaro flumini*: ut refert Herodotus l. 7. p. 173.

§. IV. Huc referendi, qui magno conatu Isthmum Corinthiacum (qui efficiebat, ut naves longo & ancipiti ambitu juxta peninsulam circumagerentur) perfodere aggressi sunt, utpote Demetrius Rex, Dictator Cæsar, Cajus Princeps, Domitius Nero, quorum postremus *usus magistris & machinatoribus Severo & Celere, quibus ingenium & audacia erat, etiam qua natura denegavisset, per artem tētare, & viribus Principis illudere; & cum ipse esset incredibilium cupitor, ab lacu Averno navigabilem fossam usque ad ostia Tiberina deprimere & proxima Averno juga effodere connixus est, sed non alio successu, quam ut manerent uestigia irrita spei, ut scribit Tacitus l. 15. Ann. c. 42. n. 2. 3. & 5.*

§. V. Eâdem audaciâ incitatus Carolus IV. Imperator *Multaviam, quod flumen montis radices, in quo Regia arx Praga sita est, alluit & Bohemici regni metropolin intersecat, cum Danubio conjungere voluit, ut ex Dubravio prodit Camerarius Hor. subcis. cent. 1. c. 81. qui quidem similia complura exempla ibidem collegit, compro-*  
bans

bans, verum esse quod est apud Sen. in Hippol.  
a. x. vers. 212.

*Divites*

*Regnoq; fulti, plura, quam fas est, petunt.*

*Quod non potest, vult posse, qui nimium potest.*

Eundem locum observârunt Piccartus Obs. Hist.  
Pol. dec. 2. c. 1. & Scipio Amiratus dissert. Polit.  
l. 13. discursu 10.

§. VI. Eodem calculo censeri debent Φιλαν-  
τοι in regno nostro literario, qui nimis, quam o-  
portet, se amant; ut dicam verbis Philosophi no-  
stri 2. Polit. c. 28. Qualis non tantum extitit Phe-  
mius ille musicus apud Homerum Odyss. X. v. 347.  
qui distenta spiritu præcordia inflans, clamitat:

Αὐτὸδίδακτος εἰμί. Θεὸς δὲ μοι ἐν φρεσὶν ὄϊμας  
πανθίας ἐπέφυσεν.

*i. e. Ipse à me doctus sum. Deus autem mihi in mentibus*

*Omnes in sevit:*

*(cantilenas*

Sed potissimum etiam tumens ille fastu Mene-  
crates Medicus, qui tantam artis suæ fiduciam  
se implevit, ut seipsum Jovem appellaret,  
cujus tamen appellationis ridiculas pœnas dedit  
Philippo Macedonum Regi. Nam cum aliquan-  
do literas ad eum exararet in hæc verba: Phi-  
lippo Menecrates Jupiter salutem; rescripsit Phi-  
lippus: Menecrati sanitatem. Consulo ut ad An-  
ticyras te conferas, subinnuens, hominem non sa-  
ne esse mentis. Ælian. l. 12. c. 51. Et Athenæus  
Dispnos. l. 7. Atqui hanc pestem, quam nulla capi-  
t alior, ut virtutis, ita literarum est, à nostra socie-

*tate*

tate penitus exulare, & ad breves Gyaros ejici oportebat. Hæc enim causa est, quam ob rem in quovis genere disciplinarum per pauci excellent: amor sui nempe, & falsa doctrina persuasio, quâ se complures deludunt: prudenter ita judicante Jacobo Pont, Volum. 1, progymn. 81.

§. VII. Jam nitidiorum vestium ornatu qui dignitatem & splendorem affectârunt, nullâ non ætate extiterunt. Neque enim tantum meminari possunt Sybaritæ, quorum fastuosus & suspensus incessus proverbio occasionem dedit: *Συβαριτῆς Διὰ πλατείαις*: peristromata sive picturata aurea stragula Campanorum, Persarum mollities, & cura in exquisito cultu corporis, quam cum imitari cuperet Alexander M. habitum Regium Persarum, & diadema insolitum antea Regibus Macedonicis, velut in leges eorum, quos vicerat, transfret, assumendo, amicos quoque, ut, velut partito onere, invidiam sustineret, ad externum ornatum adsciscendum suo exemplò pelliciendo; mirum & incredibile dictu est, quam animos suorum, Macedoniae simplicitati assuetorum, in diversa traxerit, quosdam etiam in suum exitium armaverit; non dissimulante coram Alexandro Hermolao, aperti oris homine, qui sine figurâ; *Persarum*, ait, *te vestis & disciplina delectat; patrios mores exosus es; Persarum erga, non Macedonum Regem occidere volumus; & te transfugam belli jure persequimur.* Habentur hæc apud Curt. l. 8. c. 7. §. 12. Cui addatur Val. Max. lib. 9. c. 5. exemplo externo. 1.

§. VIII. Præcipitante apud Romanos innoxia pastoritæ ætatis integritate, quid mirum, etiam in luxum & superbiam ruisse seculum? etsi nunquam defuerint, qui morum antiquorum memores, ingruentem licentiam abominarentur. Apud Tacitum lib. 2. hist. c. 20. §. 2. *Cacine ornatum municipia & colonia in superbiam trahabant: quod versicolore sagulo, brachias tegmen, barbarum indutus, togatos alloqueretur.*

§. IX. Eò minùs mirum est, succedente tempore, simul cum reliqua seculi sinisteritate, etiam luxum vestium vires acquisivisse; ita ut Cæsar usus lato clavò ad manus simbriato, & fluxiore cincturâ, Sullæ monitum extorserit, *male præcinctum puerum esse cavendum:* (Suet. c. 45.) ut Caligula plerumque aureâ barba fulmen tenens, aut fuscinam, aut caduceum, Deorum insignia, in publicum processerit, atque etiam in Veneris cultu conspectus sit (apud eundem Suet. c. 52.) ut Varius Helioabalus uteretur aureâ tunicâ, & purpurea, & è gemmis confecta Persica, gestaret etiam in calceamentis gemmas, & quidem sculptas, ut est apud Lampridium cap. 23. Sed nos, typhis & fumis istis dispulsis, in plana submittemus orationem, Modestix litaturi.

## CAPUT VI.

De

MODESTIA.

APHORISMUS I.

Modestix officium spectatur

tur in honorum tùm  
 magnorum prudenti  
 recufatione, tùm exi-  
 guorum facili admis-  
 sione.

§. I.

**U**trumque officium originem ducit ex aſti-  
 matione virium, tuendis honoribus parium,  
 aut imparium. Sicut enim is, qui animo præci-  
 pit futuri oneris difficultatem, non audet colla  
 ſupponere, ne & ſe ipſo differendum exponat,  
 & boni publici negligentior eſſe videatur: ita  
 nemo niſi πετηρωμένος, & nullius in republica  
 frugis, aut certè imi ſubſellii homo, detrectare  
 debet ſpartam, ornandæ augendæque ſocietatis  
 cauſâ ſibi impoſitam, quò qui eſt animo, is dici-  
 tur pro ſuis viribus efficere mœnia, idque aſſe-  
 qui, ut audiat

ἔτι κάκιστος, ἔτι πρῶτος.

*Neque peſſimus, neq; primus*, ut eſt in proverbiiis.

§. II. Priorem modeltiæ partem conſectatus  
 eſt Pomponius Atticus, qui cùm omnes honores,  
 ac ipſum etiam juſ civitatis Athenis mereretur,  
 omnes recuſavit, ne quidem permittens, ut ſta-  
 tua ſibi poneretur: etſi nihilominùs evitare non  
 potuit, quò minus ſibi & Fidei poneretur; uti qui-  
 dem locum hunc Corn. Nep. qui extat c. 3. n. 2.  
 emendat Lipſius lib. 1, El. c. 14.

§. III.



§. III. Præfentioſiorem autem ad contemnen-  
 dos honores animum haud facile quisquã attu-  
 lit, quàm M. Cato, homo inter mortales omnes  
 honore digniſſimus, & judiciô Velleji Paterculî,  
 (l. 2. c. 135.) *virtuti ſimillimus, & ingenio Diis  
 quàm hominibus propior*; is incitatus ad ambien-  
 dam tribunatûs dignitatem, eam poſtpoſuit vo-  
 luptati, quam in agris & villis ſuis è librorum  
 lectione, & Philoſophorum colloquiis capiebat,  
 quòd *alienum* exiſtimaret, *magne poteſtatis &  
 magiſtratûs ſicut validi medicamêti vim exhaurire  
 in rebus non neceſſariis*; ut eſt apud Plut. tom. 3.  
 vitarum comparat. pag. 166. Idem Præturam  
 & Conſulatum petens, cùm utrinque repulſam  
 tuliſſet, prælatô ſibi Vatiniô, tam æquô eam i-  
 gnominiam tulit animo, ut vultu nihil dejectus,  
 in forum venerit, unctus in comitio pilâ luſerit,  
 & more ſolito cum amicis in foro obambularit.  
 Refert ex Plut. l. c. p. 169. Lipſ. l. Mon. & ex. Pol. c.  
 7. ex. 4.

§. IV. Nec defuerunt ævo noſtro vicinioreſ,  
 qui magnitudinem dignitatum majore animô  
 repudiârunt, qualis erat Fridericus IV, *qui non  
 tantùm Bohemorum, ſed etiam Moravorum Re-  
 gnum & Marchionatum, Ladislao Praga mortuo,  
 offerentium vota modèſtâ excuſatione fruſtratûs eſt,*  
 ut refert ex Cuſpin. Lanſius in Conſult. pro Germ.  
 p. 75. Item Fridericus Sapiens Elector Saxoniz,  
 qui ultrô delatum imperium recuſatum Carolo  
 V. decrevit, prætereà oblatam ſibi ab Hiſpanis  
 ob id magnam pecuniæ ſummam conſtantiffimè  
 rejecit;

rejecit : ut referunt Sleid. l. 1. de statu Rel. p. 26.  
& Eras. l. 13. epist. 4. & 49.

¶ V. Hic ipse Erasmus præposituras & gale-  
rum etiam Cardinalitium manibus pedibusque  
recusavit, ac perpetuò etiam recusaturum se  
scripsit ep. 35. l. 27. *quod, ut animalculum ηνεργ-  
βιον, nolit suscipere certamen cum ociosis, violentis,  
& opulentis competitoribus.* Illustre verò pror-  
sus illud, & rarum est exemplum Reginaldi Po-  
lli, Angliæ Regem proximâ cognitione contin-  
gentis, quod refert Thuanus lib. 6. Is cùm mor-  
tuo Paulo III. quorundam votis destinaretur ad  
dignitatem Pontificiam, primùm admonebat e-  
os, qui animi ad eam rem benevoli signa exhibe-  
bant, *viderent, ne quam animi perturbationem in  
consilium adhiberent, aut aliquid amicitie & gra-  
tie darent, sed omnes cogitationes suas ad DEI ho-  
norem & Ecclesie utilitatem referrent:* dein, cùm  
quodam die Cardinalium suffragia more solito  
per scrutinium recenserentur, & duo tantùm ad  
summum sacerdotium adipiscendum suffragia  
deessent, observatum est à circumstantibus, eã  
re Polum nihil mutatum fuisse, sed eundem vul-  
tum, quẽ solebat, retinuisse. Cùm verò à Ludo-  
vico Priulo, Patricio Veneto, familiari suo, &  
ob morum similitudinem percharo, è somnio ex-  
citatus & admonitus esset, adesse Cardinales, i-  
psam procul dubio adoraturos, amicè eum in-  
crepuit, & jam ad se accedentes hãc voce repu-  
lit: *nolle se tantam rem, neque tumultuose ac teme-  
re, neque alieno tempore noctis geri, differendam,*  
*potius*

*potius in tempus diurnum, rebus gerendis magis idoneum.* Hôc dictô vir integerrimus & æmulatorum odia irritavit, ut ad calumnias & obtrusionem conversi, sequi eum de Religione sentire dicerent, & suffragia à se amolitus est.

§. VI. Secutus idem exemplum non ita multò post Joh. Gropperus Episcopus Monasteriensis, dignitatem Cardinalitiam, *rara hoc ævo modestiâ & animi magnitudine repudiavit*, ut idem Historicus prodit lib. 16. quanquã ( ut ne id dissimulem ) gloriæ cupidine tandem vinci se passus, eandem recepit : teste Sleid. l. 26. p. 858.

§. VII. Sed & rursus ex ordine literario citate possumus, qui cum benigniorem Minervam in suæ vitæ genere experirentur, strepitum aulicum Camœnali silentio postposuerunt. Sic Gemma Frisius, cum Lovanii Medicinam publicè esset professus, Mathematicas autè scientias domi docuisset, modeste declinavit aulam Caroli V. Cæsaris, quò evocatus erat, *otium sibi gratiâ Principum potius esse dictitans.* Thuanus lib. 16. sub finem: qui idem l. 131. sub finem de Hieronymo Mercuriali, Medico primùm Patavino, dein Bononiensi, postremò Pisano, refert, *quòd etsi à multis Principibus evocatus esset, otium literarium vitæ aulicæ semper prætulit.*

§. IIX. Nunc dispicienda nobis sunt exempla eorum, qui etsi messe tenus propriâ viventes, splendorem nimium fugerent, non tamen vel ita negligentes virium suarum extiterunt, quin eas bono publico impenderent, vel ita contumaci arroganti-

arrogantiâ præfidentes, ut omnem gloriæ occasionem susque deque haberent. Sanè enim experientia fidem mutuatur illi Val. Maximi asserto lib.8. c.14. exemp. 5. *Nulla tanta humilitas est, que dulcedine gloriæ non tangatur. Imò quem non tangit gloriæ, is ab omnibus merito despicitur, ut degener ad virtutem;* ait Plut. in Lyfandro.

§. IX. Laudem hóc nomine merentur Spartani, qui liberos suos à prima statim pueritiâ gloriæ cupiditate flagrare volebant, ut infamiâ, ingemiscerent, & exultarent laudibus. Omnes autem laudum numeros implet modestia Timoleontis Corinthii, qui *cùm suas laudes audiret predicari, nunquam aliud dixit, quàm se in ea re maximas Diis gratias agere atque habere, quòd cùm Siciliam recreare constituissent, tùm se potissimum ducem esse voluissent.* Corn. Nepos in vitâ c. 4. n. 3. Huc referendus Herodes Atticus Sophista, cujus eloquentiam admirantibus auditoribus, ut dicerent, *illum esse de numero decem oratorum, neque elatus istâc laude, neque verò ἀνεγὰ μὲν istud elatò animò despiciens: certè, inquit, Andocye sum melior.* Philostratus in Sophist.

## APHORISMUS II.

Ambitiosum vituperamus, qui magis, quàm  
opor-

oportet, & unde non oportet, honorem affectat.

§. I.

**I**n primâ aciei parte, quam alias occupare amavit, ponamus ambitiosum animalculum Alexandrum M. cui quidem naturâ ipsam sublimiores spiritus ingenerâsse, prima adolescentia docuit, ut vel illud argumento esse potest, quòd quoties aut præclarâ aliquâ pugnâ Philippus vicerat, aut oppidum opulentum in potestatem redegerat; lætantibus aliis, ipse haud obscure indolescebat, excepta quæ est vox querentis inter æquales: *nihil reliqui facturum patrem sibi ipsisq; cum adolevissent.* Suppl. Curtii l. i. c. 2. §. 18. Incrementa cum ætate cepit vasta honorum cupiditas, quando dedignatus ipse humanam originem, non ampliùs Philippo, sed Jove Hammone patre censerì voluit, quando Lacedæmoniorum decretò in Deorum numerum referri expetiit, quando Anaxogorâ differente, *innumerabiles esse mundos*, lacrymas fudit, *quòd cum innumerabiles sint mundi, ipse nondum unus mundi factus sit Dominus*; ut Justinus & Plutarchus, & alii ista ac hujuscemodi alia monumentis prodiderunt.

§. II. Obtinuit nihilominus post fata, ut æmulatìone ejus accensa generosa & sublimia ingenia non minùs memoriam animis suis assidua

X

versa-

versarent, quàm apud Græcos Themistocles Miltiadis tropæo se excitari dicebat. Unus instar omnium fuit Jul. Cæsar, qui cùm quæstor in Hispaniâ apud Gades, in templo Herculis, vidisset Alexandri statuam, non tenuit lacrymas, atquæ ad amicos; *hòc*, inquit, *etatis, quâ nunc sum, Alexander devicit Darium; mihi verò ad hunc usque diem* (agebat autem trigesimum annum) *nihil præclari facinoris gestum est.* Hic est ille Cæsar, qui in transgressu alpium, cùm exiguum aliquod oppidum præteriret, jocantibus amicis, *num hîc quoque contentiones essent de primatu, & mutua factiosorum invidia?* suggestit, *malle se apud hos primum esse, quàm Romæ secundum.* Hic est, qui, cùm superiorem ferre nullus posset, demùm Remp. evertisset, nisi suò sanguine vitam & spiritum languenti infudisset. Plut. in ejus vitâ.

§. III. Et quis miretur, plures correptos Romæ esse istòc morbò, cùm totam adeò civitatem veluti tabes invaserit? *Honorum candidati, positis in medio mensis, sine ullo rubore nudabantur plebem:* scribit Plut. in Cæs. tom. 3. vit. comp. p. 92. quæ verò alia res furores civiles peperit, quàm inexplebilis honorum Marii fames, eò usque grassata, ut non satis haberet, imperii habenas & provincias concupiscere, nisi unâ capitales cum iis, qui in consortium honorum secum veniebant, inimicitias exerceret, ut ex Floro & Vellejo constat. Non minore animo ejus adversarius Sulla, etsi consuetos magistratus urbanos

banos despiceret, quòd iis potiri non posset, belli tamen artibus ad summum gloriæ culmen contendit, ut exemplo audacissimò, & nunquam auditò, non dubitaverit literis, ad interregem Val. Flaccum, sese suamque operam ad dignitatem dictatoriam administrandam civitati commendare, ut est apud Appianum l. i. belli civ. Ut adeò non falsum fuerit augurium Magorum, à Parthorum Rege ad eum missorum, qui cùm vultus ejus lineamenta penitus intuerentur, de indolis & animi moribus conjectabant, *non posse se non sub hoc vultu magnùm virũ latere, mirarsq; sese, quò, vel eò tempore, animo ferre posset, quòd primus non esset.*

§. IV. Quòd si ulteriùs ambitionis seriem apud Romanos, liberatos non nihil istis servitutis, ut sibi videbantur, compedibus, proferri libeat, quis dubitaverit, idem malum, etsi occultius & adductiore severitate, per viscera Reip. subinde esse grassatum? Tiberius Imperator, quid reliquum ad colendam eam, si Diis placet, Divam fecit, nisi quòd, more sibi solito, eam gravitatis, mixtæque huic humilitatis fucò pictam oculis objiceret? Evaserat victor ex bello Gallico: *deceverunt patres vota pro reditu, supplicationesq; & alia decora. Solus Dolabella Cornelius, dum arte ceteros parat, absurdam in adulationem progressus, censuit ut ovans è Campania urbem introiret.* Quid Tiberius? artes ingenii excutiens, rescripsit Senatui, *se non tam vacuum gloriæ esse, ut post ferocissimas gentes perdomitòs*

*mitas, tot receptos in iuventa, aut spretos triumphos, iam senior peregrinationis suburbanæ inane premium peteret. Tac. 3. Annal. c. 47. Satisne patet honorum contemptor animus, gloria cupidine turgens?*

§. V. Iisdem artibus viam sibi munivit ad principatum Romanum morte Commodi *μετέωρον Φερόμερον ἀρπάζειν*, in sublime suspensum quasiq; direptui expositum, Alexander Severus. Nam cum esset *Φύσει μὲν καὶ Φιλόδοξος*, suapte naturæ glorie appetentior, animos exercitûs Illyrici ob crudelitatem ab Imperatore patratam jam jam exulceratos, magis sibi devinxit, *simulans*, non se quidem imperium querere, aut summam potestatem affectare, sed ire ultum sanguinem tanti Principis. Nec verò apud Illyricos, quibus præerat, *homines prævalidos atq; proceros*, sed pingui ingenio, adeò difficile erat, accipere potestatem, præsertim, quòd *unus omnium mortalium ad amorem simulandum maximè esset factus*, sic ut ne iusjurandum quidem fallere dubitaret, si ita usus posceret: *longeque aliud in linguâ promptum, quam in animo reconditum haberet.* judicante ita Herodiano lib. 2. c. 9. n. 3. 12. & seqq. lib. 3. cap. 14. n. 3.

§. VI. Apparet ex his & similibus exemplis, etsi uti modestia, ita & ambitio sensu Aristotelico occupetur in honoribus minoribus, nec ejusdem omninò claritatis atque præstantiæ, cuiusmodi sunt, circa quos magnanimus & fastu turgidus versantur; solere tamen apud rerum civilium scriptores commutari fermè inter se factum



stum & ambitionem, imò hanc frequenter pro majorum honorum immodicâ appetitione accipi, sicut contrâ à nonnullis objectum modestiæ proprium & adæquatum ponitur honor, quilibet, sive sit major sive minor, sive mediocri. Vid. Timpl. in Eth. Gen. L. 2. c. 6.

## APHORISMUS III.

Honoris contemtor ne ex honestis quidem rebꝫ honoris adipiscendi consilium capit.

### §. I.

**V**itio modestiæ in defectu opposito ἀφιλοπυμίας nomen imponit Aristoteles, sic tamen, ut juxtâ cum altero vitio in excessu constituto de medio, velut de certâ sede, decertare dicatur, intellige quoad nomen & appellationem. Quam ambiguitatem declinaturus Joh. Jov: Pontanus *Abjectionem* vult vocari, L. 2. de Magnanimit. dicitq; *nomē abjectionis præ se ferre in re minore id, quod pusillanimitas in majore, h. e. diminutionem quandam, animi abjecti indicem, ut qua in re magna non parvi tantum, verum etiam pusilli sese exhibeat animi, tantulique se æstimet; sic minori hic in re vel nullius apparet pretii, vel certè minimi, cum sese prorsus abjiciat.*

§. II. Reprehenditur autem hoc vitium eò in-  
 primis nomine, quòd *contemptu fame contemnuntur virtutes*, ut est apud Tac. l. 4. annal. c. 38. §. 7. Dum enim quidam homines, experientiã edocti, perspiciunt ærumnas & molestias, quibus honores & munera obnoxia sunt, malunt ipsi, in portu constituti, aliorum naufragia securi spectare, quàm dubiam fortunam præsentis periculo parare; negligentes interim bonum publicum, & velut ab ipsã navi discedentes, tantùm, ut in alto otio languescat, suæque tranquillitati consulant.

§. III. Occupavit hæc superstitiosa dicam, an religiosa lues? Christianorum, cæterà spectatæ pietatis hominum, animos, & in ipsam usque e-remum penetravit. Latitabat ibi Ammonius & Evagrius, divino cultui, more tùm recepto, dicati, inde Ammonius extractus, cùm ad episcopatum obeundum aliquando à Theophilo, Alexandrino Episcopo, invitatus fugisset, & ut minùs idoneus ad ordinationem existeret deformitate corporis, dexteram auriculam sibi amputasset, obviam fortè factus Evagrio, qui & ipse fugã vitaverat Episcopatum sibi oblatum, nec tamen ullum corporis sui membrum mutilaverat, cùm ab hoc reprehensus esset, quòd aurem sibi amputasset, & ob id reus esset factus coram DEO, tùm Ammonius contra: *sed tu Evagrie, inquit, non putas te pœnas daturum, quòd linguam tibi, propter Φιλαυλίαν, datã tibi gratiã non utens, adscideris.* Socr. Hist. Eccl. l. 4. c. 23.

§. IV.

§. IV. Haud abſimile eſt huic illud Ephraim Syri, Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconi. Is ad Epiſcopatum ſuffragiis delectus, vocabatur ad ordinationem: Ephraim curâ anxius, capto repente cōſilio in forum procurrat, & incompoſitè incedendo, veſtem lacerando, ac publicè cibum capiendo, inſaniam ſimulabat, cumque hi, qui eum adducturi erant, è mentis poteſtate exiſſe arbitrentur, & à pròpoſito reſilirent, ille opportunum tempus nactus, clam auſugit, & tantisper latitavit, dum alter ejus loco creatus eſſet Epiſcopus. Sozomenus, l. 3. c. 16.

§. V. Sed hos ab honorum dulcedine prohibuit moleſtiarum, quas animo proſpexerant, difficultas. Sunt autem alii, qui etſi labores non ſubterfugiant boni publici cauſâ, carere tamen volunt bonorum fructu, qui eſt honor, fortassis quòd nimis fidelem comitem honoris, invidiam, reformident. Scipio Naſica Conſul Delminio, Dalmatiæ urbe, captâ, imperatorium nomen à militibus, & triumphum à Senatu decretum, repudiavit. Ageſilaus moriens mandavit, *ne ullam ſui corporis fingendo, aut aliâ imitatione pararent imaginem. Si quid enim, aiebat, à me eſt præclare factum, id monumentum mihi erit: ſin verò, ne omnes quidem ſtatue hominum illiberalium.* Plut. Apophth. Lacon.

§. VI. Cæterum hæc quidem excuſationem, aliquam in animi generoſitate, internò verorum bonorum apparatu contenta, invenire poſſunt; illorum verò abjectum & à morum elegantia alienum

alienum vitæ genus eò vehementiùs vituperari meretur, qui ex quadam *in Judeia*, & sibi ipsi placendi studio, solitum cultum & consuetudinem cum hominibus defugiunt, & lucem honorum, publicam rusticò quodam timore spernunt, cujusmodi olim erant Stoici, item Diogenes, qui *fastu Platonis aliò majori fastu calcasse* rectè dictus est, qui fronte positâ, cani, quàm homini, similior, vivere maluit, sepulturam etiam honoratiorè nîl pensi faciens. Rogatus enim, *quomodo sepeliri vellet?* jussit cadaver suum inhumatum abjici. Reherentibus amicis, *cessurum illud in escam, feris & volucribus diripiendam.* Minime verò, inquit, *id metuo, quia bacillo juxta me posito abigam.* Illi verò, qui poteris, inquirunt, *cùm non senties? quid ergò, ait demum, metuendi sunt bestiarum laniatus, si non sensero?* Cic. lib. I. quæst. Tusc. c. 33.

## CAP. VII.

De

MANSVETUDINE.

APHORISMUS I.

Manfvetus est, qui ita iram temperare valet, ut irascatur, ob quæ oportet.

tet, & quibus oportet,  
& quomodo, & quan-  
do & quousque; deni-  
que ut ratio ipsa statu-  
erit.

§. I.

**Q**uò altiùs ac penitiùs imis defixit medullis  
benefica nostrum conservatrix, Natura, da-  
mnorum & injuriarum Averruncum, ac velut mi-  
litem prædiarium, affectum iræ; eò arctioribus  
legibus licentia ejus constringenda est, ne limi-  
tes definitos transiliens, ipsam meliorem nostri  
partem in servitutem redigat. Verè enim ceci-  
nit Homerus Il. 1. vers. 550.

Ἰσχυρὸς

Οἰδάμεν ἐν στήθεσσι νόον πάντα περ Φεγεσίντων.  
*Ira inflat in pectoribus mentem, prudenter quan-  
tumvis sapientum.*

§. II. Aristoteles noster more suo officium  
viri mansveti, & iram in potestate habentis, cir-  
cumscribit certis terminis ac præceptis: quorum  
(I.) est, irasci non ob res futiles, & exiguo pretio  
comparabiles, *sic calida non bene præbetur, si vi-  
trum fractum est, si calceus luto sparsus est*; de qui-  
bus Seneca lib. 1. de ira cap. 12. ait: *non pietas il-  
lam iram, sed infirmitas movet, sicut pueri, qui tam  
parentibus amissis flent, quam nucibus. Irasci pro  
suis, non est pii animi, sed infirmi.*

§. III. Pro quibus tandem, dices, rebus expedit iræ mucronem fas est? sententiam dicat rursus Seneca: *illud pulchrum dignumque, parentibus, liberis, amicis, civibus prodire defenso- rem, ipsò officio ducente: volentem, judicantem, providentem, non impulsum & rabidum.* Nemo sanè non laude & admiratione prosequitur Zelum Eliæ, sacerdotes Baalim neci dedentis; Samue- lis, Sauli exprobrantis, quod mandato DEI mo- rem non gesserit; Davidis, iræ habenas fundētis, propter flagitia Absolonis & Ammonis. Nec de probitatis consummatissimæ fama quidquam diminuit Cato, quod Murenæ, Metello & aliis acerbius succensuerit, propter comitia consula- ria venalia, aut Cæsari resistit, propter nimi- am lenitatem, quâ Catilinam, Cethegum, & ali- os conjurationis adversus rempublicam satelli- tes, ad officium reduci posse ipse putabat. Plut. in vitâ.

§. IV. Præcipuè (2.) est habenda ratio perso- narum, quibus indignamur, quæ debent esse, vel æquales, vel inferiores, nec ita nobis aut no- stris injuriam inferentes, ut manifestò constet, non ex alta venire nequitiam, sed summo, quod a- junt, animo inherere: verbis Sen. l. 1, de ira c. 16. *Aliquem verbis tantùm admonebit sapiens, poenâ non afficiet, etatem ejus emendabilem intuens: ali- quem invidia criminis manifestè laborantem jube- bit incolumem esse, quia deceptus est, quia per vinum lapsus: ut idem gravissimus autor differit lib. 2. de Clement. c. 7.*

§. V. Hoc

§. V. Hôc temperamento usus Julius Cæsar, delicta neque observabat omnia, neq̄, pro modo exequebatur, sed desertorum ac seditiosorum & inquisitor & punitor acerrimus, connivebat in cæteris. Svet. c. 67. Eodem nomine Tacitus Agricola, suum laudat, quòd parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodaverit: nec pœnâ semper, sed sapius pœnitentiâ contentus fuerit. cap. 19. In hanc sententiam adducere conatus est Sigismundum Hungariæ Regem Stephanus Walachiaë Waivvoda, in oratione, quâ culpam defectionis deprecatur apud Bonfinium lib. 3. cap. 2. *Imitare, Rex, Deos immortales, quorum vicem geris in his terris, & ab his addisce, respicientes è pœnitentiâ animos non aspernari, non obstare supplicibus, nullam postulantibus veniam abnegare, obstinatos tantum proterere, & clementiâ potius, ac officio, quàm severitate benevolentiam hominum promereri.*

§. VI. Quòd si autem eò proterviâ evaserit hominum improbitas, ut mores perducant leges in potestatem suam; tùm verò locus clementiæ relinquendus amplius non est, ne Judices, ignoscendo malis, bonos perditum eant, ut loquitur C. Memmius apud Sall. in Jug. c. 31. Graviter etiam apud eundem autorem Cæsar Catil. c. 52. *Ista vobis mansuetudo & misericordia, si conjurati arma ceperint, in miseriam vertet.* Neglecti hujus remedii pœnam luerunt Stephanus II. & Andreas III. Hungariæ Reges, quorum illo, verba sunt, Bonfinii lib. 2. c. 6. *Chénis, ob merita ducis eorum Thatar, nimium indulxit, quâ Regis indulgentiâ us-*  
que

que adeò elati fuerunt, ut in patrando quoque maximo scelere nil pensi haberent, impunè contumeliis & rapinis Ungaros passim afficientes: Hic verò initiò Regni sui infactiosos non censuit esse sevendum, ne à severitate potiùs quàm clementià clarum nomen inchoaret. Sed hæc nimia lenitas malè ecessit. Hinc enim conjuratis aucti magis ànimi sunt, quippe qui prudentiam patientiamque Regis pro ignavià capiebant ut prodit idem autor lib. 2. cap. 9. Videatur Bernegg. quæst. in Tac. 170. cui quidem hoc exemplum debere me profiteor.

§. VII. Dementiam autem produnt, & vanas sine viribus iras jactant, qui cœlum ipsum stulti-tiã petunt, & Deum justas pœnas immittentem indignè ferunt, aut crudelitatis acceusant; haud multùm consistentes infra vecordiam C. Cæsaris Caligulæ, qui iratus cœlo, quod obstrepet pantomimis, quos imitabatur studiosius, quàm spectabat, quòdque comessatio sua fulminibus terreretur, prorsus parum certis: ad pugnam vocavit Jovem, & quidem sine missione Homericum illum exclamans versum: ἢ μὲ ἀνείπερ, ἢ ἐγώ σθ. Jupiter aut tu me, aut ego te. Putavit aut sibi noceri ne à Jove quidem posse, aut se nocere etiam Jovi posse. Sen. 1. de ira c. 16.

§. IIX. A parentum autem, patriæ, & magistratùs odio & indignatione alienos nos esse jubet reverentia, tum naturæ jure insita, tum gentium & civili confirmata: honos enim parentibus, ut Diis immortalibus, est habendus: ait Aristoteles 9. Eth. c. 2. n. 22. Parentum verò dignitatem iracun-



iracundiâ non esse violandam, docet ille apud Terentium in Hecyra a. 3. sc. 1.

*Nam matris ferre injurias me, Parmeno, pietas jubet.*

Geminum est illud Ciceronis pro Cluentio: *Non modo reticere homines parentum injurias, sed etiam aequo animo ferre oportet.* Et alterum Epicteti in Enchiridio cap. 37. *Pater est? precipitur, curam ejus agendam; cedendum ei in omnibus; si convicietur, si verberet, ferendum esse.* At pater malus est? *huncquid igitur naturâ cum bono patre conjunctus es? Non, sed cum patre.* - Quæ verba latinus diducens simplicius in comment. scribit: *si Pater impravâ voluntate fuerit, Patris affectionem non solvit voluntas: ea enim naturalis est, & non voluntaria, & talis affectio est erga patrem, non utiq; erga bonum patrem.* *Etsi igitur malus fuerit pater, tamen officia, quæ patri debentur, ei præstanda sunt: omnibus itaque modis est observandus & curandus, ut vitæ nostræ post Deum autor, & quod ejus curâ & caritate muniti hucusque processimus: quod denique cura parentibus, ut quàm ab iis mutuam acceperimus, gratis animis atque uberiore mensurâ reddenda est, eorumque mandata alacriter exequenda omnia, iis exceptis, quæ animi vitia provocant.* Cum quibus consonat illud S. Chrysoſtomi Homil. 2. in 2. Tim. c. 1. *Patrem qui habet, etsi mille patiatur incommoda, omnia patris reverentia conteget.*

§. IX. Sed ne instituti rationem ex animo dimittamus, à Gnomologia ad Paradigmaticam

nostram convertendus est stylus, Telecrus Spartanorum Rex, nunciante sibi, *patrem de se male loqui: nisi illi, inquit, dicendum esset, haudquamquam diceret. Maluit in se transferre culpam, quam committere, ut pater quidquam temere loqui videretur*: judicat ita Erasmus hæc referens lib. I. apophth. ex Plut. apophth. Lacon. p. 385. Ludovicus, Dux Bavariz, stirpis Landshutensis, quem pater, usque ad annum ætatis trigessimum tertium omni opprobriorum & injuriarum genere emaciârat, nec tamen, suadentibus amicis, ut in Austriam ad cognatos se reciperet, aures ut præberet, induci potuit; subinde respondens: *autorem vitæ meæ non deseram, ne, quoad mentis compos fuero, offendam*. Refert ex Henningii Genealogia Ducum Bavariz Arnif, rele&. Pol. L. I. c. 4. §. 3. p. 160.

§. X. Sicut autem patria vitam & fortunas, à parentibus concessas, sartas tectas ab injuriis conservat, ac benè tranquilleque vivendi commoditatem procurat; ita horum beneficiorum respectu, patriæ majestati, etiam illa, que Deorum numinibus æquatur, auctoritas Parentum, vires suas subjicit: censente Val. Maximo lib. 5. c. 6. exemp. 1. unde H. Grotius monitum Terentianum, paulò ante allatum, commendans, subjicit in epistolis erudit. viror. p. 617. *Hoc ad patriam rectè produxeris, quæ & parens dicitur, & parentes, vel parentibus proximos, plerumque aut suis periculis involvit, aut suâ salute complectitur*. Egtegiè etiam Erasmus ep. 14. l. 25. ut liberis, licet affectis injuriâ

*injuriâ, non datur ulciscendi jus in parentes; ita multis Ethnicis visum est, non esse fas, in patriam, utcuq; meritam, ferram stringere.*

§. XI. Revocarunt hoc ad animum M. Livio, consulatum recusanti, Patres apud Livium l. 27. c. 34. dicentes: *ut parentum sevitiam, sic patrie, patiendâ ac ferendâ leniendam.* Nemo verò melius fidem istam infatigabilem ut loquitur Val. Max. l. 3. c. 8. exempl. 2. *prestitit Q. Fabio Maximo. Pecuniâ pro captivis Hannibali numeravit, fraudatus ea publice, tacuit. Dictatori ei magistrû equitum Minutium jure imperii Senatus equaverat, silentium egit. Compluribus præterea injuriis lacessitus, in eodem animi habitu permansit, nec unquam sibi Reipubl. permisit irasci; tam perseverans in amore civium fuit.*

§. XII. Haud aliâ mente ferendæ sunt Principum & magistratûs sive injuriæ, sive justè irrogata mala, cum & ipsi sint *parentes publici*, juxta Cassiodorum lib. 4. ep. 42. Audiendum hic est præceptum Martini Chemn. P. 3. *Loco de Eccl. p. 133. Pie mentis est, sequi usitatam regulam: mores amici noveris, non oderis. ----- ac præcipuè piorum gubernatorum & Doctõrum mediocres mores tolerandi sunt, sicut Christus jubet, ut pedes mutuò lavemus, i. e. ut tales infirmitates inter nos mutuâ lenitate sanemus.* Seneca hoc ita expressit l. 2. de ira c. 33. *Potentiorum injuriæ hilari vultu non patienter tantam ferendæ sunt.*

§. XIII. Vel anicula Syracusana hoc doceat suo exemplo, *cujus illud festivum prodit Val. Maximus*

Maximus lib. 6. c. 2. exemp. ext. 2. Plerisque omnibus execrantibus Dionysii tyrannidem, & caput ejus diris devoentibus, sola ipsa, alia omnia agens, quotidie Deos supplicabat, ut incolumem sibi diu servarent Dionysium. Tyrannus, compertâ tam infolitâ, & sibi indebitâ benevolentia accersi jubet foeminam & *quò animo, quove suo merito id faceret?* interrogavit. Tum illa, *certa est, inquit, ratio propositi mei; nam quae ego tot annorum spatiis confectis experta sum, votis meliores subinde expetitos fuisse, deteriores impetratos, ego timens, ne & te aliquando deterior excipiat, assiduis votis salutem tuam Diis commendo.*

§. XIV. Magis ferio rem egit Germanicus, qui cum è media occasione parandæ gloriæ advocaretur à Tiberio, positâ omni ira, *haud cunctatus est ultra, quanquam fingi ea, seque per invidiam parto jam decori abstrahi intelligeret.* Tac. 2. Anal. c. 26. §. 8. *Pessimo enim loco est minister Principis, nisi pati injurias ita potest, ut non videatur sensisse. Stultitia est profiteri iras & indignationem, ubi vindictæ locus esse non potest. Non igitur aliud remedium est injuriarum à majore illatarum, quam si non intelligantur: scribit ad istum locum Forstnerus.*

§. XV. Si quæras, quomodo oporteat irasci? suggeram illud Aristotelicum: *ως ἀνὸ Φρόνιμος ὡς ἰσως:* cum ambigentibus per tot circumstantias casibus, una aliqua & definita regula constitui nequeat, nisi quod generaliter illud medium est tenendum, ut neque nimis segnes & lentissimi,

simus, ubi severitatem res ipsa postulat, neque præcipites, haud vocatâ in consilium ratione, ad sumendam vindictam abripiamus.

§. XVI. Prius præceptum executus est Zeno Eleates, qui cum maledictis laceffitus incalesceret, reprehensus, quòd Philosophus verbis improborum commoveretur: *si convicia, inquit, æquò animo admisero, ne laudes quidem sentiam. Lapidis est,* (subjicit Erasmus, ad hæc proposita lib. 7. Apophth. pag. 652.) *non sentire discrimen inter laudantem & vituperantem: sed Philosophi est, non ita commoveri, ut ab honesto recedat.* Posterius paulò difficiliùs expressit Charillus, Lacedæmoniorum Rex, qui Heloti cuidam, ferociùs se ipsi opponenti, respondit: *per Castores occiderem te, nisi irascerer.* Plut. apophth. Lacon. p. 322. & 385. Ex ætate viciniore addere juvat Carolum V. Imperatorem, qui nunquam iracundiâ peccâsse dicitur. Unde cum de Legato Veneto accepisset, quòd tarditatem & lenitatem suam culparet, Carolus nihil offensus, respondit: *nunquam mundum respiraturum à bellis, si eâ celeritate, quam res & causa nonnunquam postulant, bellum statim moveres.* Chytr: orat. de Car. V. Imperatore.

§. XVII. Haud postremum etiam locum inter leges iracundiæ obtinet Temporis ratio; quòd pertinet, ne quidquam suscipiamus actionum in primò æstu, ubi velut sub imperio affectûs detinetur adhuc animus, quod Plato sollicitè observavit, cum servum verberaturus, jam nudatis

scapulis, postquam in se descendens, intellexit irasci, sicut sustulerat, manum suspensam detinebat, & stabat percussuro similis, exigens pœnas à se, ut homine iracundo, deinde velut ablata sibi in servum potestate: tu, inquit, Spensippe, servulum istum verberibus objurga; nam ego irascor. Sen. 3. de ira, c. 12.

§. XIIX. Præcepto hœc Augustum Imperatorem instruxit Athenodorus, sic consulens: cum ira te invaserit, nihil prius dixeris & feceris, quam viginti quatuor Græcarum literarum elementa animo repetieris. Plut. in Apophth. p. 349. Geminum est illud S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi; qui autor fuit Theodosio Imperatori, ut conscriberet legem, quâ executiones sententiarum, de supplicijs hominum, in diem usque trigesimum differret, ut interea pœnitentiæ aut misericordiæ spatium superesset. Sozom. 1. 7. c. 24.

§. XIX. Rursus ita ira admittenda est in mentem, ut non domicilium ibi figat, sed si per anticam intromissa fuerit, paulò post per posticum exesse jubeatur. Hoc volunt divinæ literæ, quando jubent, ne solem patiamur occidere super iram nostram. Idem indicant P. Syri mimi: Bonum apud virum cito moritur iracundia. In quam rem etiam sapienter differit Seneca lib. 3. de ira cap. 42. Nulla res magis proderit quàm cogitatio mortalitatis, sibi quisque, ut alteri, dicat: quid juvat, tanquam in æternum genitas iras indicare, & brevissimam ætatem dissipare? quid juvat dies, quos in voluptatem honestam impendere licet, in dolorem

*in dolorem alicujus tormentumque transferre? cui simile est illud pientissimi C. Rittershusii, in notis ad Salvianum lib. 3. contra avaritiam p. 87. Per absurdum est, si homines, cum ipsi mortales sint, immortales inimicitias, atque odia aeterna exercere possulent, quae etiam ultra suam mortem extendantur.*

§. XX. Ex multis non nisi duo libabimus exempla. M. Æmilius Lepidus Cos. & Pontifex Maximus graves ac diuturnas inimicitias exercuerat cum Fulvio Flacco ejusdem autoritatis viro. Quamprimùm verò uterque similes censors renunciati sunt, odia in campo deposuerunt, existimantes non oportere eos privatis odiis dissidere, qui publicè summâ juncti essent potestate. Val. Maximus lib. 4. cap. 2. exemp. 1. Aristides exul & Themistocles acerbissimis invicem odiis laborabant, & in diversas rempublicam partes cindebant. Imminentibus autem Persis, in locum destinatum convenerunt, & complicatis utrinque dextris clamarunt: *inimicitias hic deposuimus, donec bellum adversus Persas confecerimus. Nec sefellit eventus: effectum enim est præstantissimorum ducum concordiam, ut barbari tantem profligarentur.* Plut. in Themistocle.

§. XXI. Transferamus hæc ad nostrum, quod dicitur, larem, & vel dictorum Heroum exemplis discamus, in gratiam redire, si casus, si affectus, si contumelia, si suspicio vinculum amoris non nihil laxaverit. Nec enim prorsus fidem obrogare possumus illi, quod habetur apud Phil.

Melanchth. part. 2. Oper. p. 74. *odia in nullo genere sunt acerbiora, quam in Academicis. Sed simul tamen animo subeat monitum prudentissimum Andreæ Alciati, quod extat in epistola Erasmi 40. l. 27: Fieri non potest, quin inter doctissimos quosque oboriantur aliqua simultates; sed hæc publicè interest, nec in inimicitias transire, nec diutius durare.*

§. XXII. Porro nec parùm refert, quò loco aut quo in negotio iræ ministeriò utaris; certè non in judiciis & actionibus forensibus, ubi repudium mittere oportet pessimo consultori. *Ubi enim odium, amicitia, ira atque misericordia officunt, haud facillè animus verum providet: ait talium arbiter artificiosissimus Cæsar, in Catil. cap. 51. Huc referendum est laudabile institutum Senatorum Venetorum, qui convenientes ad consultandum de rebus gravibus & reipublice necessariis, solent ante vestibulum curiæ omnes privatas inimicitias & simultates, apud S. Marcum, uti loqui consueverunt, deponere, ut animum ab affectibus liberiores afferre queant; ut refert Camer. operarum succif. Cent. 1. c. 33, Huc pertinet illud Alphonsi Arragonum Regis, qui dicere solitus fuit; si sibi nasci contigisset tempore veterum Romanorum, se constructurum fuisse, è regione curiæ, templum Jovi Positorio, in quo, priusquam venirent in senatum Patres Conscripti, odium, amorem, & omnes privatos affectus deponerent.*

§. XXIII. Denique sicut ad convivia deo accedere animo defœcato & in hilaritatem solute



luto , juxta illud Hesiodi ἔργων vers. 720.

Μηδὲ πολυζείους δαιτὸς δυσπέμφελος εἶναι.

i. e. ne publici convivii gravis accessor esto.

Ita danda est opera , ne ( quod est in proverbio apud Plutarchum de discr. adul. & amici ) serenitati nubem indiscamus i. e. ne inter pocula ludosque virulentum aliquid admisceamus , quod obfuscata hilaritate frontem corriget , superciliaque contrahat ; ut explicat Erasmus Chil. 4. cent. 4. ad. 30. Atque uti reprehensionem merentur prisci Germani apud Tacitum de moribus eorundem c. 22. quod cum diem noctemque continuarent potando , crebra ut inter vinolentos rixe , raro convitiis , sæpius cede & vulneribus transigerentur : ita laude non est defraudandus apud Romanos Publ. Sertorius , qui admonere solitus est suos , ne quid in convivio , præter decorum , vel fieret , vel diceretur , præsertim à jurgiis & obscœnitate temperaretur , nec ipse quicquam tale sustinuit vel audire , vel videre.

## APHORISMUS II.

Manfuetus ad dandam veniam , quàm ad ultionem , promptior est.

§. I.

Sicut inhumanum est , oblectationem capere

cx

ex pœnis & suppliciis hominum, quantumvis noxiorum; ita alti & divini cujusdam animi est, a pœna aut vindicta ad lenitatem cum judicio inclinare: uti quidem istam virtutis particulam finit Lipsius lib. 2. Pol. c. 12. *Nec enim ullâ re homines propius ad Deos accedunt, quam salutem hominibus dando, nec fortuna principum quicquam habet majus, quam ut possit, nec natura melius, quam ut velit conservare homines quam plurimos: ut pro Q. Ligario scribit Cicero: Eadem mens Stoicorum, Senecâ interprete, lib. 1. de ira c. 16. dimittit sapiens sepè eum, cujus peccatum deprehendit: si pœnitentia facti spem bonam pollicetur, si intelligit, non ex alto venire nequitiam, sed summo, quod ajunt, animo inherere.*

§. II. Hanc virtutem persuasit Livia marito suo, Augusto Imperatori, apud Dionem Cassium l. 55. & Sen. l. 1. de clem. c. 9. Struxerat Augusti vitæ insidias Cinna, adolescens ingenio malò stolidòque, sed infinitis tamen beneficiorum nexibus imperatori obnoxius. Cæsarem primum in justam ultionem effervescentem, & de mucrone à jugulo suo repellendo consilia capturum, in mitiorem sententiam flectit Livia, uxor: *Fac, inquit, quod medici solent: qui ubi usitata remedia non procedunt, tentant contraria. Severitate nihil adhuc profecisti: nunc tenta, quomodo tibi cedat clementia. Ignosce L. Cinne: deprehensus est. Jam nocere tibi non potest; pradesse fame tue potest. Sive, ut Dio verba refert: Ego ita judico, plus clementiam proficere, quam severitiam.*

Nam

*Nam misericordes non in tantum, quibus delicti gratia facta est, caros habent, ac gratiam referre student, sed reliqui etiam omnes reverentur ac colunt, ita ut nemo eos deinde ledere ausit. Et prosperum exitum invenit muliebri consilium; amicissimum fidelissimumque habuit. Hæres solus fuit illi, nullis amplius insidiis ab ullo petitus est.*

§. III. Haud multum absimile exemplum memoriæ prodidit Busbequius de Suleimanno. Ejus filius Bajazethes, accensus invidiâ adversus fratrem Selinum, quem pater in imperio successorem destinaverat, consilia de opprimendo fratre agitans, incurrit indignationem patris, qui tantum facinus non nisi morte expiare statuit. Id ubi uxor comperit, aggreditur maritum, interposito paucorum dierum intervallo, dum ira vis effervesceret, adolescentiæ imprudentiam, facti necessitatem, majorum exempla colligit, ita naturâ comparatum, ne quis sibi ac suis desit, mortem omnes ex æquo fugere; juvenum animos minimò negotio à verò rectoque, consiliis improborum, abduci. Primo delicto ignosci æquum esse; si resipiscat, magnum pretium patri, servasse filium; sin eodem relabatur, pro culpa utriusque merito non defuturum supplicii tempus. Quòd si nollet illi, sibi daret hanc veniam, pro eo, quem peperisset deprecanti: ne se viret in communem sanguinem. — generosos animos nullâ re magis retineri, quàm gratiâ & beneficio, veniæ memoriâ impedimento fore, ne peccaret iterum. Eò profecit gravis hæc & composita oratio, ut Suleimannus filium gravi ser-

mone increpitem, & metu divini Numinais, & inevitabilis fati territum, ad poenitentiam reduceret, ipse verò, propinatò ex saccharo & certis succis poculò, in benevolentia pignus, placaretur. Epist. 2.

§. IV. Sed à barbaris ad cultiores revertemur. M. Antonius Philosophus hortanti uxori Faustinae, ut administròs rebellionis, ab Avidio Cassio excitatae, meritò supplicio afficeret, rescripsit: *ego verò & ejus liberis parcam, & genero, & uxori.* Et ad Senatum in hæc verba: *Filiis Avidii Cassii, & genero, & uxori veniam dabitis: & quid dico veniam? cum illi nihil fecerint. Vivat igitur securi, scientes, sub Marco se vivere. Vivant in patrimonio parentum, pro parte donatò: aurò, argentò, vestibus fruantur. Sint divites, sint securi, sint vagi, & liberi, & per ora omnium ubique populorum circumferant mea, circumferant vestra pietatis exemplum.* Unde non immeritò ei à senatu acclamatum est: *Bonum imperium nulla vis ledit.* Capitol. in vita cap. 24. Dio Cassius lib. II. Forstn. ad Tac. l. 12, c. 19.

§. V. Eandem mansuetudinis laudem affectus est Henricus I. Saxo, Aucupis nomen sortitus, quòd illo ipso tempore, cum ei ab Eberhardo, fratre Conradi I. Imperatoris nuper defuncti, insignia & ornamenta imperii offerrentur, in aucupio deprehensus fuisset. Ipse igitur cum sub primis imperii auspiciis æmulum & adversarium esset nactus Arnoldum, Malù dictù, infestis armis dignitatè sibi collatà affectantè, còsultius duxit, redimere multi sanguinis profusionem

nem benignis verbis, & humanissimâ veniæ oblatione: *Quando, inquit, summi Numinis arbitriis in hoc fastigium sum euectus, par est, te quoq, fatiscedere. quin igitur potius in aliam hanc gentem servas usum, unde est fructus aliquis te secuturus. Ego, ut loquar, quæ sentio, si Deus te Regem voluisset, obedientiam tibi promptus ostenderem: nec in me, quod displiceret, agnosceres.* Cuspin. in vitâ. Hic est ille Henricus, cuius symbolum laudatur: *Tardus ad vindictam, ad beneficentiam velox.* Vid. Symb. Imperat. Reusa, Class. 3. symb. 10.

## APHORISMUS III.

Segnities quædam, omnis iræ expers, in vitio est: nam qui, propter quæ par erat ac decebat, non irascuntur, ii stolidi habentur, qui que non ut oportebat, neque quando, neque quibus.

2. 1. Si.

§. I.

**S**icut Natura ἀλεξίνακος firmum præsidium in hominum pectoribus, contra promiscuas hostium incursiones, collocavit iram: ita meritò is neglecti officii reus habetur, qui isto defensore non utitur ad propulsanda ea mala, quæ existimationi, atque adeò commodo tum privato tum publico officiant. Hinc Lacedæmoniorum ephori Sciraphidam quendam multârunt, quòd à multis erat injuriâ affectus; ut est apud Plut. Instit. Lacon. p. 398. Interpretabantur enim illius ignaviam esse in causa, quòd complures audent eundem lædere. *Nam qui veterem impune fert injuriam, invitat novam. Si, qui primus læserat, delatus dedisset pœnas legibus, ceteri temperassent ab injuriâ,* quibus quidem verbis locum allegatum illustrat Eras. lib. 2. Apophth. p. 139.

§. II. Meritò etiam ludibrium debet prudentioribus Themistocles, cujus filius Diophantus, frequenter & ad multos dixisse fertur: *suam sententiam universo populo Atheniensi placere, nam quicquid sibi placeret, id ratum habere matrem suam, ab hujus vero arbitrio pendere patrem suum Themistoclem, cujus decretis universi Athenienses subscriberent.* Plut. de lib. educ. cap. 2. §. 7. p. 2. An in hanc classem referre licet Antigonus Macedonum Regem? hic cum aliquando, tempore hyberno, compulisset castra transferri in locum, ubi non erat rerum necessariarum copia, atque hâc de causa milites quidam in Regem maledicta congererent, ignari ipsum esse in proximo,

proximo, tentorii velis virgâ diductis, non aliud indignabundi animi signum edidit præter, ista verba: *Flebitis, nî longius semoti de me male loquamini.* Eras. l. 4. Apophth. p. 282.

§. III. Nimis etiam naturæ mitis ingenio indulgisse videtur Philippus Macedonum Rex, cum exhiberent eum Olympiis Peloponnesiis, tot ab ipso beneficiis affecti. Stenachantibus enim, ob istam contumeliam amicis, & ad ultionem inflammantibus, respondit: *si indignè me habent tot meritorum nominibus mihi adstricti, quid facturi essent, si à nobis læsi forent.*

§. IV. Vitio hõc infamis fuit Claudius Imperator, ut ex duobus exemplis constat, quæ memoriæ prodidit Suet. in vitâ c. 16. his verbis: *Recognitione equitum, juvcnem probri plenum, sed quem Pater probatissimum sibi affirmabat, sine ignominia dimisit, habere dicens censorem suum. Alium, corruptelis adulteriisque famosum, nihil amplius, quàm monuit, ut aut parcius et atule indulgeret, aut certè cautius; addiditque: quare enim ego scio, quam amicam habeas?*

## APHORISMUS IV.

Tolerare, si laceffaris, patique, ut tui contumeliâ afficiantur, servile profectò est. §. I.

§. I.

**E**Adem ex pharetrâ deprompta sunt illa Hesiodi *ἔργ.* vers. 212. ὕβρις δὲ μὴ ἐστὶν ἰσχυρὰ φερούμεν δὲ νόσος ἰ. e. injurias ne bonus quidem facile fert. Ciceronis *1. de off. c. 7.* qui non defendit, nec obsistit, si potest, injuria, tam est in vitio, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat. Et Arist. *Rhet. ad Alex. c. 3.* Par est, de iis tempestivè ultionem capiamus, qui nos antea injuriâ lacessiverunt, ut injuriâ provocati, pro nobis ipsis, aut pro cognatis, aut pro iis, qui benefici erga nos fuerint, aut quo auxilio sumus injustè affectis sociis, aut publica pro utilitate, aut ad gloriam, aut ad opes, aut ad vires, aut ad aliud quippiam ejusmodi, bellum suscipiamus. Fit enim interdum, quod Britanni experti sunt, nihil profici patientiâ, nisi ut graviores, tanquam ex facili tolerantibus, imperentur. Tac. *in Agr. cap. 15.*

§. II. Hôc æstu incalescens Mithridates, Ponti Rex, justam se causam denunciandi Romanis belli habere putavit, quòd Phrygiâ Paphlagoniâque sibi ab iisdem ereptis, & alijs injuriis affectus, ne quidem parendo eos mitigare posset, quin acerbius se indios gererent. *Just. l. 38. c. 9. §. 1.* Et Alexander Severus Imperator, ingratitude Albinus arguens, eandemque animadversione rigidâ vindicaturus, inter alia ait, orat. ad exercitum habita, quæ extat apud Herodianum *lib. 3. c. 6.* ut, si ipse auctor malorum sis, injustus videare, ita si non ulciscare acceptas injurias, ignavus. Ex hoc ipso capite veniam petiit & impetravit nobilis ille



ille Gallus Balanus: referente Thuano lib. 2, Comment. de vita sua. Hic cum acerbissimæ injuriæ sensu, ex corrupta, à prædialiario quodam, sorore sua, agitatus fuisset, non prius eum amisit, quam dissimulato dolore, reum primum convivio exceptum, dein, remotis mensis, onerâisset catenis, & accusatoris, testis, cognitoris, ad extremum carnificis partes sustinens, stricto pugione confodisset. Doloris acerbitas mitigare factum potest, modum excusare non potest.

§. III. Experienciâ insuper etiam edocemur, nec ipsos Musarum & Gratiarum sacerdotes ex flexiloqua studiorum suorû suavitate, cum semper spiritum ducere posse, quin injuriarum gravitate & frequentiâ commoveantur, & contumeliis accendantur. Non dissimulat justum dolorem humanitatis & eruditionis pulcherrimum domicilium, Joh. Caselius ep. 34. *Ego verò, scribit tibi, neque semper ridere, neque semper stomachari possum; & in risu qui cum stomacho fit, plus certè molestiæ est, quàm voluptatis.*

§. IV. Ista tamen, quæ diximus, eò temperamento sunt accipienda, ne injurias acceptas, easque sæpè per imprudentiam illatas, in majus extollamus: quò ferè vitiô natura mortalium laborat, ut, quod ait Cæsar apud Sallust. in Catil. c. 51. *nemini injuria sua parvæ videantur; multi eas gravius equo habuerint. Existunt enim sæpè injuriæ calumniâ quâdam, & nimis callidâ & malitiosa juris interpretatione, juxta Cic. 1. de offic. c. 10. Nisi itaque immortalibus litibus misel-*

los

los animos lancinare, & graviorē mortē vitā exigere malimus, multa altō animō, tanquam inferiora, & ad famæ nostræ sublimitatem assurgere nō valentia, velut vellicantes bestiolas, despiciamus, multa dissimulemus. Sæpè enim resin eum est diducta locum, ut haud aliud remedium injuriarum superfit, quàm non intelligere. Cordatè Cæl. Calcagn. apud Eras. l. 20. ep. 53. *Multa injuria missitanda sunt, vel potius devoranda: plerumque connivendum, ne quasi in procinctu sit nobis quotidie ad arma excurrendum.* Ipse etiam Erasmus lib. 2. ep. 27. *Verè magni est animi, quasdam injurias negligere, nec ad quorundam convicia habere vel aures vel linguā. Fac aliquoties periculū, quāto plus valeat obsequiū & cordata blandiloquentia, quàm animus præceps atque impotens.*

§. V. Deinde injuriæ depellendæ sunt eâ conditione, quâ privilegium juris Naturæ circumscribere visum est gentibus & prudentibus societatum civilium rectoribus, qui cū præfagirent, homines nimio Φιλανθίας fervore facile limites vindictæ excedere posse, sanxerunt, ut jus illud, exercendi vindictam, ad eos transferretur, quibus tutela publicæ tranquillitatis aut gentium civiumq; voluntate est commissa, quiq; extra astum affectuum constituti, acutiùs cernere & arbitrari aliena negotia possunt. Demosthenes orat. adversus Cononem p. 730: *Convitiarum, verberum, vulnerum, ipsius cædis definita sunt animadversiones, ne ea cujusvis iracundiâ aut arbitratu jedicarentur.*

## APHORISMUS V.

Iracundiæ tres ferè gradus possunt constitui cum Aristotele, ita ut alii sint ὀξύθυμοι καὶ ἀκρόχολοι, quibus ira subito effervescit, sed citò subsidit; nonnulli πιερόι, qui iram gerunt difficilioris concoctionis; quidam denique βαρύθυμοι καὶ χαλεποί, atroces, & non nisi sumtâ gravissimâ, atque ad sanguinem sæviente vindictâ, placabiles.

**I**Mago horum graduum in diversis populis exhiberi solet, primus quidem in Germanis & Gallis se prodit, alter in Italis, tertius in Hispanis. De Germanis Tacitus: *occidere solent non disciplinâ & severitate, sed impetu & irâ, ut inimicum, nisi quod impune.* Observatum est hoc, apud eundem Tac. lib. 2. Annal. c. 14. §. 5. Germanico, qui milites suos inter alia hoc argumento contra Germanos animans, *corpus, inquit, ut visutorum & ad brevem impetum, validum: sic nulla vulnerum patientia.* Eandem indolem tribuit Gallis Florus lib. 2. c. 4. *Experimento quippe deprehensum esse, ait, quod sicut primus impetus eorum sit major, quàm virorum, ita sequens minor quàm feminarum.* Sollicitè scrutatus ejus temperamenti fontem Bodinus lib. 5. de Rep. cap. 1. *flavâ bile populares suos laborare indicat. Inde, inquit, celeres animorum motus, inde cedes, cum à verbis ad verbera repente flava bilis praeceps in temeritatem prorumpit.*

§. II. Jam Itali non in intimum quidem hospitium recipiunt iram, receptam tamen cum violentiâ extrudunt. Sed quid vetat in eâ declaranda mutuari verba ab elegantissimi oris scriptore Joh. Barclajo? Sic autem ille cap. 6. libelli plurimâ eruditione abundantissimi, quem Iconem animorum inscripsit: *Si quos oderrunt, (seu sponte aversi, seu se laceffitos existiment) ideo periculi plenior res est, quia hanc animi egritudi-*

rudinem plerumque tegentes, alie interim emul-  
 tionis aut offense memoriam recondunt. Lasi inter-  
 dum ad obsequium descendunt, ut inter amicitie ja-  
 ratiori fraude grassentur. Etiam etatem hac odia  
 ferunt, ac quod noxiosissimum putes, nonnunquam  
 animus tam facilis est ad vulnus, quam pertinax  
 ad cicatricem. Joach. Camerarius huc respici-  
 ens in Arithmologiâ Ethica, Hispanos vocat π-  
 μωρηταίς. Vid. Conr. Rittersh. ad Salv. pag.  
 308.

§. III. Sævius autem illud, & non tantum,  
 Italici ingenii, sed etiam humani cujusvis cru-  
 delitatem supergressum est exemplum, relatam,  
 à Bodino lib. 5. de rep. c. 6. de quodam Medio-  
 lanensi. Is cum conceptum per integros decem  
 annos contra adversarium odium restinguendi  
 copiam non haberet, captò tandem consiliò, sub  
 specie amicitie, familiariter primùm eum allo-  
 cutus, demùm infestò animo nihil tale opinan-  
 tem adortus, sicâque faucibus impositâ, mortem  
 minatus est, nisi, ob illatas injurias, voluntati suæ  
 ad nutum moram gereret, & Deo, omnibusque  
 beneficiis, ad salutē æternam necessariis, renun-  
 ciaret. Quod cum adversarius, metu extra se  
 raptus, præstitisset, iterum atque iterum repeti-  
 tâ execratione, tum mortalium, quotquot un-  
 quam terra tulit, scelestissimus jugulum gladio  
 hausit, postremum de hoste triumphans, & illa  
 est, inquit, generosa ultio, quæ & corpori vitam  
 eripiat, & animæ cruciatus sempiternos sit allatu-  
 ra. Addatur Cam. hor. subc. c. 84. Richt. Axiom.  
 Pol. 384.

§. IV. Hispani verò, ut ipsa cœli solique sui asperitate efferantur, accedentibus præsertim frequentibus & quotidianis bellorum exercitiis, quibus mansuescere dediscunt, ita pertinacissimas iras alunt, & in perniciem ac stragem hostium velut educant. Jamdudum Justinus, *ingenia feris propiora, quam hominibus gerere*, scribit lib. 44. c. 2. § 7. Hodiè adeò nihil remittit ille furor, ut potiùs, obtensò religionis studiò armetur, *quem quidem morem à Ferdinando & Isabella nepotibus traditum esse* auguratur Barclajus, lib. cit. c. 7. *Quippe, ait, in hostibus suis inveniebant publici odii causam; adeò ut semper in bellis credi vellent divine iracundie ministrare.*

§. V. Triste ejus ferociæ exemplum sensit superiore seculo Roma, juxta cum sanctissimo suo Jove, Clemente V. Sleidanus in mentionem ejus calamitatis incidens ad annum 1527. lib. 6. de statu Relig. *verbis explicari non posse*, scribit, *quanta fuerit militum Hispanorum (quibus jungit etiam Germanos) atrocitas & insolentia; nam præter horrendas lanienas, direptiones, libidines, devastaciones, contumelie ac ludibrii genus nullum in Pontificem, Cardinales, reliquamq; turbam prætermisissam fuisse.* Eiusdem sævitie meminit Paullus Jovius his verbis: *Hispani astutâ & implacabili crudelitate acerbiores, ut abdita arcanaque familiarum eruerent, tormentis atque supplicis in nobilissima corpora grassabantur, tantâ auri cupiditate, ut Julii Pontificis cadaver multa exesum carie effodere, & anulo etiam spoliare non dubita-*

*dubitarent. Paucioribus Tragediam istam, complectens Erasmus l. 22. ep. 25. Vidimus, ait, Romam captam, crudelius tactam, quam olim fuerit à Gallis, aut post à Gothis. Vidimus Ecclesie Principem Clementem inclementissime tractari.*

**§. VI.** Et quis rerum in orbe gestarum tam imperitus esse potest, ut ignoret, quam diris, & nullâ, quantumvis sanctissimâ, prece leniendis suppliciorum generibus sævierint Hispani in innoxiam Belgarum gentem, pro aris & focis i. e. pro libertate & religione, bonâ fide & salvâ integritate pugnantem? Quem latet, quantas strages Dux Albanus ediderit, illud infandum caput, illud funestum & importunum animal, ex omni scelerum colluvione concretum, qui Belgium rapinis exhaustit, qui florem nobilitatis gladio carnificum crudelissime subiecit, qui cuncta ferrô, flammâ, terrore, luctu & innocentium sanguine sædavit? sicut quidem immanem istam atrocitatem, domesticæ cladis recentem imaginem animò versans, exprimit Dom. Baudius sub persona Ordinum Belgii orat. 6. ad Jac. Angliæ Regem habita. p. 142. Et postea pag. 163. *Que pax, nisi bello quovis asperior, ferruminari potest cum publicis hostibus humani generis, qui fas omne gentium abrumpunt, qui legatos, suppliciter pacem orantes, rapiunt ad supplicium, aut veneno necant? Sed hæc (pergit) levia sunt apud Hispanos, qui nisi inaudita & incredibilia peccare nolunt; hos loquor, qui populosissimas gentes, & latissimos orbis terrarum tractus immensis stragibus desolaverunt, qui Reges potentissimos*

tissimos, per omnia barbara diritatis cruciamenta excarnificatos, trucidaverunt, qui puerulos lactantes, avulsos è gremio & supremo amplexu miserarum matrum, scopulis & parietibus alliserunt, aut tremulos & adhuc spirantes eorum artus particulatim dissectos, canibus devorandos projecerunt. Nulla vox est, nulla virium & laterum contentio, que fando exequare possit centesimam portionem scelerum, quibus he labes, hac monstra, hac prodigia, non ex hominum cœtu, sed ex natura finibus exterminanda, sacerrimum caput alligaverunt.

§. VII. Præter universas gentes, extant etiam in singulis hominibus dicti Iracundiæ gradus. Vehemens fuit illa principio, sed exitu jucunda iracundiæ commotio in Valer. Aureliano; de qua Vopiscus in vita cap. 22. & 23. Cum Thyana Bithyniæ urbe obsidione cinctâ indignabundus fortè hanc vocem emisisset: *Se canem in isto oppido incolumem non relicturum*; paulò post eadem potitus urbe, memor promissi, præcipientem animi impotentiam redargueret, versò in argutias imprudenti voto: *agite, inquit, canem negavi me in hac urbe relicturum: canes igitur omnes occidite.*

§. VIII. Optimi virorum Philippi Melancthonis mores placidissimos & melle molliores quis non vel fando accepit? Et is est ipse, de quo integerrimus vitæ ejus scriptor Joach. Cameraarius prodere non dubitavit ista p. 60. *Si quando vehementius perturbabatur, ut veluti de potestate videretur exire, sedabatur ea citò quasi tempestas:*



Et redire statim ille ad ingenium ferreū, ut antea, quæcunque ei imponebantur onera, & exequi, quod mandabatur, & efficere, quod petebatur, idque in se vel vitium vel vitii quiddam simile, ipse agnoscebat. Et præced. pag. 57. Humor, quem flavæ bilis nomine appellant, abundantior, materiam præbebat affectionibus animi vehementioribus. Graviter erga commovebatur, eratq; in eo impetus hic repentinus, qui tamen sedabatur celeriter.

§. IX. Deterioris ab istis commatis sunt, qui iram semel conceptam diuturnitate temporis alunt & exequunt, nec nisi cum insigni ejus, quem oderunt, damnò ejaculantur. Hòc morbo Reges laborare, indicat Homerus, verbis Calchantis II. A. vers. 80. & seqq.

*Potentior Rex quando irascitur viro inferiori,  
Quamvis iram & eodem die decoxerit,  
Tamen & postea retinet, donec perfecerit  
In pectoribus suis.*

Εἰπερ γὰρ τὸ χόλον γὰρ καὶ αἰήματα καταπέψῃ  
Ἄλλ' αἶμα καὶ μετόπισθεν ἔχει κύτον ἴφρα τελίωσῃ  
ἐν στήθεσιν ἑοῖσι. —————

Certè Alexander M. celeri hoc iræ procurso non leve famæ suæ naufragium fecit: vel ut Val. Maximus loquitur lib. 9. cap. 3. ex. ext. 1. *Irascundia ipsum propemodum celo deripuit.* Nam & Lyfimachum leoni objecit; & Clytum hastâ trajecit; & Callisthenem mori jusfit. Huc referatur

feratur exemplum Cn. Pisonis, qui cum semel militem, quod ex comætu sine commilitone redierat, quasi interfecisset, supplicio destinasset, cum, superveniente interea illo, qui occisus videbatur; centurio speculatorem gladium condere jusisset, adeo excanduit, ut & centurionem, & militem, qui non occiderat, & eum qui non perierat, interimi mandaret. Sen. l. i. c. 16. de Ira.

§. X. Qui autem neces, sanguinem, flammæ spirant, ac ne diuturnam quidem interpositam moram in gratiam, sive cum amico, sive cum hoste redire volunt, ii dictis omnibus sunt saniores. Cujusmodi exhibet Homerus Achillem agitantem.

—— Φόνον τε καὶ αἷμα καὶ ἀργαλίον εἶπον ἀνδρῶν,

i. e. *cadem & sanguinem & gravem gemitum virorum.* Iliad. T. vers. 216. *hostis sui crudam carnem desiderantem;* II. X. vers. 347. *In hostem jam mortuum, Hectorem, grassantem, perforatis pedibus & tracto per vias capite, currui illigato;* II. X. vers. 395. & seqq. Quibus Immanitatis generibus ipse Apollo commotus, Deos objurgat, quod ferant tam atrocia facinora hominis, misericordiam & pudorem ex animo exspuentis. II. Ω. vers. 33. & seqq.

§. XI. Romana historia exhibet nobis Marium & Sullam, naturalem crudelitatem truculentam vultus & vocis asperitate præ se ferentes: quæ quidem ferocia ab accepta potentia, & fortunæ benignitate vires sumit, cum per totius Se-

natus

*natiâs viscera grassarentur, ut non civicam modò, sed hostilem quoq; rabiem supergrederentur: cum armorũ furor totius Italiae viribus niteretur, eò usque odiò sevientibus, donec deessent, qui occiderentur; ut est apud Florum lib. 3. c. 21. §. 4. & 5. Marii immanitatem his verbis describit Lucanus lib. 2. de bello Pharf. vers. 99. & seqq.*

*Quis fuit ille dies, Marius quò mœnia victor  
Corripuit? quantoque gradu mors seua cucur-  
rit?*

*Nobilitas cum plebe perit: lateq; vagatur  
Esis: & à nullo revocatum est pectore ferrum.  
Stat cruor in templis: multâq; rubentia cede  
Lubrica saxa madent, nulli sua profuit etas.  
Non senis extremum piguit vergentibus annis  
Precipitasse diem: nec primo in limine vite  
Infantis miseri nascentiarumpere fata.*

## C A P U T VIII.

DE

MANSVETUDINE.

### APHORISMUS I.

*Vir humanus in con-  
gressibus civilibus  
mores ita componit,  
ut nemini temerè mo-*

lestiam faceffat , sed  
 potius, quantum per  
 honestatis leges licet,  
 omnibus jucundus  
 gratusque existat.

§. I.

**C**um officio hujus virtutis intimè implicatur  
 observatio cum aliarum circumstantiarum,  
 tum imprimis personarum; quod ipsum etiam  
 monet in textu Aristoteles. Postquam enim dix-  
 rat, virum bonum præbere se facilem & comem  
 erga notos pariter & ignotos, familiares & non  
 familiares, statim subjungit, ita oportere istud  
 fieri, quemadmodum ad singulos quadret; ne-  
 que enim pari studiò domesticos atque familia-  
 res, & extraneos atque alienos esse prosequen-  
 dos.

§. II. Ita Principum Imperia jucunda, & sub-  
 ditos mörigeros, præsentisque status amantes  
 reddit comitas, at non nimium familiaris, quæ  
 contemptum pariat & obsequii dedignationem;  
 sed ea, quæ ita severitate temperatur, ut subditi,  
 blandis dictis factisque adducti, ipsam virtutis  
 gravitatem reverenter habeant. Hòc nomine  
 laudatur Corn. Nepoti Atticus c. 15. n. 1. *Ejus,*  
*inquit, comitas non sine severitate erat, neque gra-*  
*vitatis sine facilitate: ut, difficile esset intellectu, ut-*  
*rum cum amici magis vererentur, quam amarent.*

De

De Agricola Tacitus c. 9. *Nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem diminuit.* Quò etiam elogiò mactat Pirckheimerum Rittershusius in vita p. 15.

§. III. E Romanis Imperatoribus gloriam hanc affectarunt Augustus, qui filios suos populo Romano commendavit, *si merebuntur*: Titus Vespasianus, qui admonitus ab amicis, ne promiscuè flagitantium precibus annueret, respondit: *Non oportet quenquam à colloquio Cesaris tristem discedere*: Aelius Hadrianus, qui cùm colloquiis humiliorum mirè delectaretur, indignabatur iis, qui sibi hanc humanitatis voluptatem inviderent: Aurel. Alex. Severus, cui cùm nimiam civilitatem objicerent & Mammæa mater, & uxor Sulpicii viri consularis, dicentes: *Molliorem tibi potestatem & contemtibiliorem imperii fecisti.* Respondit ille, *sed securiorem atque diuturniorem*: Rudolphus Habsburgensis Imperator, cujus illud svavitatis plenum extat; *hominibus etiam vilioribus aditum ad se intercludendum non esse; non enim ideo se ad imperium evectum esse, ut hominibus in arcâ precludatur.* Carolus V, qui, sublatis mensis, cunctis omnium ordinum, etiam infimæ hominibus fortunæ, adeundi se, & libellos supplices afferendi copiam faciebat.

§. IV. Quos verò magis deceat virtutis hujus studium conlectari, quàm qui eas literas excolunt, quæ ab humanitate nomen traxere, & quarum culturâ vel maximè pectora mollescere,

asperitatemque curari oportebat? Habet enim eam vim ac potestatem doctrina ista elegantior, ut quamvis naturam, quodvis ingenium mitescere cogat, & ut quisque ab ea felicissimus, ita est facillimus atque lenissimus. Erasmo Roterodamo quid suavius, quid delicatius esse potuit? At istum spiritum aliunde, quam à dulcibus Musarum uberibus suxisse putabimus? Joh. Kircherus lib. 7. Epist. Erasmi. ep. 43. ad ipsum scripta: *Omnes, inquit, uno ore Erasmus laudant, loquuntur, predicant, unum verè doctum, unum modestum, dulcemque convivam dictitantes: sibi que divinitus contigisse autumant, quod tuâ non solum præsentia uti, sed (quæ tua est affabilitas) familiaritate etiam frui potuere. Sed videamus porrò, quàm hilariter, & velut exultabundus, eandem fortunam in Thoma Moro miretur idem Erasmus lib. 17. ep. 16. Vix, inquit, alium reperies, qui magis sit omnibus omnium herarum homo, qui ad obsequium facilius, ad congressus magis obivus, in colloquio magis alacer, qui que tantum vere prudentia cum tantâ morum suavitate conjunxerit.*

§. V. Enimverò ne huic quidem nostræ Academix desint Dii Dæque Charites; ut illud Heracliti non nihil immutatum huc inflectere liceat, ex Aristotelis 1. de Part. Animalium c. 5. Sanè cum nos, qui docendi partes obimus, pulcherrimarum rerum quarumvis virtutum facultam præferre par sit, cur non omni opere adnitamur, ut in morem Mercurii, catenulis ex ore

pen-

pendentibus, studiosorum catervam auribus suspensam, quā fieri potest, ad nos trahamus. Signum sanè sustulit Academiae nostrae Phosphorus, Scipio Gentilis, de quo ita verba facit in Oratione Funebri Piccartus p. 623. Philosoph. Altdorff. *Extra provinciam, quam officii ratio ei imponebat, valde etiam jam senior delectabatur consuetudine studiosorum juvenum, cum quibus & in campos animi causā exspatiabatur, & ad se domum invitabat, moremque aliarum Academicarum animatus detestabatur, quō Professores quidam, quorum si DIS placet,*

Infantia coelum

*Hausit Aventini, baccis nutrita Sabinis, autoritatem suam imminui convellique censent, si verba studioso faciant, aut alloquiō dignum judicent, si non per interpretem omnia agant, aut etiam per codicillos: apage (subjicit porrò Piccartus) istud supercilium; non ita viri magni, qui indicium doctrinae suae ubique humanitatem, ubique comitatem, ubique facilitatem praeferrunt, ostendunt, exercent, haud aliter, quam solem facere videmus, qui cum plurimum possit, non minus tamen omnia supera infera splendore suo collustrat, radiis calefacit & fovet. In laudis hujus societatem merito vocarem Academicorum non minus, quam oppidanorum civium quondam delictum, D. Georgium König, & alios, affectu Patres, officio Doctores, nisi illius quidem laudes jam celebratae exstarent in oratione Parentali, ab horum verò elogiis decantandis revocaret me illud*

illud Platonis: *Haud quaquam difficile Athenis  
Atheniensem latitare.*

## APHORISMUS II.

Jucunditas conversationum ita temperanda, ut si quæ committantur honestati utilitati-  
que adversantia, aut designanti dedecus noxamque adferentia, ea vir bonus & prudens improbet, & reprehensione aut indignatione dissensum profiteatur.

### §. I.

**I**ncidunt utique, quæ est mentis humanæ inconstantia, & affectuum sibi paulò licentiùs permissorum luxuries, in circulis & colloquiis dicta aut facta, quæ amussitatae probitatis examen susti-



sustinere non valent, sæpe etiam noxam accer-  
sunt homini omnia alia agitant, quæ tamen serò  
nimis insequi solet illaudabilis cantilena: *non pu-  
taram*. His malis sive prohibendis, sive levandis,  
plurimum serviet viri boni & prudentis ope-  
ra, quæ titubantem amicum sublevet, lapsum  
in commodiorem gradum restituat. Sanè è  
tripode profectum est illud Comici in Trinum-  
mo Act. I. s. I.

—— *Amicum castigare ob meritam noxiam*  
*Immune est facinus; verum in ætate utile*  
*Et conducibile.* ———

Nec indignum calculò est, quod Aristoteles  
pronunciat 9. Eth. 12. n. 10. *Boni viri meliores fiunt,*  
*mutuo errata corrigendo.* Et scitum est illud  
Diogenis, qui ad salutem opus esse dicebat, aut fi-  
dis amicis, aut acribus inimicis: eò quòd illi mo-  
nent, hi redarguunt, utriq; diversis quidem modis,  
sed pariter profunt, dum per eos vitia nostra disci-  
mus. De Agesilao refert Xenophon, quòd li-  
benter ab his laudari passus sit, qui non dubitã-  
runt vituperare. Meminit Plutarchus de di-  
scrim. amici & adulat. p. 94.

§. II. Vigebat hæc consuetudo juxtà cum  
aliis laudabilibus institutis apud Lacedæmoni-  
os; ubi quis delinquentem se præsentem non in-  
creparet, eidem pœnæ obnoxius fiebat, quam  
ille, qui delinquebat, meruerat. Et si quis ob-  
jurgari se ægrè ferret, id illi magno dedecori e-  
rat. Negotii istud in primis sibi datum esse pu-  
tabant poëtæ Satyrici, unde Johanni Sarisburi-  
ensi

ensi passim vocantur *Ethici*. Id eam agebant, ut mordaci satyrarum suarum acrimoniâ morbos animorum emendarent, & quos præcepta non possent, saltem aculeata carmina à peccandi libidine revocarent. Hôc nomine laudantur ab Horatio lib. 1. sat. 4. vers. 1. seqq.

*Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesq; Poëtae;  
Atque alii, quorum Comœdia prisca virorum est:  
Si quis erat dignus, describi, quod malus, aut  
fur,  
Quòd mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui  
Famosus, multâ cum libertate notabant.*

Vid. Jac. Pontanus lib. 2. instit. Poëtices cap. 38.  
§. III. Inter Christianos officium istud graviter est exsecutus Gregorius Nazianzenus, ut, argumento est ep. 18. quâ Cæsarium fratrem objugat, quòd ambitione quâdam se in familiam Juliani Apostatæ detulisset, ac ærarii suscepisset curam. Nec non ep. 43. quâ Gregorium Nyssenum increpat, quòd qui sacros in Ecclesiâ libros prælegere soleret, nunc Rhetoricen profiteretur. Gravitate verò nulli cedit epistola 130. quæ Paraphraseos vicem ad nostrum Aristotelis locum subire potest, ubi Adelphium liberâ hâc oratione increpat: *Adhuc te honorandum appello, etsi ea in eas consilia, quæ honorem minime mereantur, banc verò libertatem meam in bonam partem accipe, tanquam ejus, qui paternis moveatur visceribus, nec perferre hæc possit, ob benevo-*  
lum

*lum erga te affectum; multò enim satius est, brevi dolore afficientem maximam asserre utilitatem, quàm jucunda seclantem damnum in eo asserre, quod precipuum maximumque est. Quod quidem illustre exemplum in acceptum refero Gerh. Joh. Vossio, cujus consulantur instit. orat. l. 3. c. 7. n. 13. Porrò quæ leges in hoc officio sint tenendæ, quæque circumstantiarum ratio habenda, indicat Nic. Causinus lib. 2. de eloq. civ. c. 36.*

## APHORISMUS III.

**Blandus & adulator est, qui promiscuè placere studet omnibus, & neminem offendere, flagitante quantumvis honestate, audet.**

s. 1.

**H**Oc genus hominum passim multò est uberimum, eorum scilicet, qui non laudanda, laudant, qui etiam turpia & molesta in benignos & faciles sensus trahunt, fortunæ favores ubique largissimè commendant, precanturque  
~~————~~ *quicquid calcaverit hic, rosa fiat.*

Iidem

*Idem loquente alterò silentium omnibus imperant, in os laudant, dicenti voce gestuq; applaudunt, & ubi dicendi finem fecerit, Dictum bene! acclamant: in viâ si qui fiant obuii, sistere gradum iubent, donec ille transierit, domum, agrum, imaginem depreciant, denique omnia sua dicta & facta ad aliorum voluntatem referunt & conformant; quibus & similibus characteribus ideam adulatoris exprimit Theophr. c. 2.*

§. II. Apud veteres laureolam ex hoc mustaceo quærere satagebant, qui *floccos & fratillos de vestibus eximere* solebant, ut Syllam honorabat Valeria, soror Hortensii; *spongiam calceos mundare*, ut Euphemius Colax apud Aristophanem; *caudis leporum oculos senum lippientium abstergere*, ut mulier illa nequam; apud eundem: *ceu ista collegit Casaubonus ad memoratos Theophrasti characteres: si Regis aliquod membrum esset mutilatum, eandem partem obligatam fasciis gestare*, ut Arabes: *muscas abigere ab aliis*, ut Nicefias ab Alexandro arcebat, adiciens: *muscas illas fortiores esse aliis, quòd sanguinem Regium degustassent; sputum & vomitum, lambere, eaque melle dulciora dicere* ut Dionysii tyranni parafiti; quæ omnia recenset Athenæus lib. 6. diptof. cap. 6. In hanc servitutem adulationis se pariter & Demetrium Regem traxit Stratocles, qui hoc edictum promulgandum, censuit: *quicquid Rex jubet, id erga Deum sanctum, & erga homines justum esto.* Confer Drex: in orbis Phæthonte c. 1. 2. 3.

§. III.

**§. III.** Alexandro M, natura vitio ad nihil  
 am potentiam & totius orbis dominium ruenti,  
 nulla res magis faces subdidit, quam adulatio,  
 perpetuum malum Regum; quorum opes sapientis  
 assentatio, quam hostis evertit, ex illo Curtii lib.  
 9. c. 5. n. 6. linguæ adulatoriæ operam inprimis  
 ei locavit Jovis ille sacerdos grandævus, Ham-  
 monis templo præfectus. Huc cum Alexander a-  
 liquando accederet, obviam procedens sacer-  
 dos, *salve, inquit, fili, & hanc appellationem à*  
*Deo habeas.* Tùm Alexander: *accipio eam, o pa-*  
*ter, & posthac patriar tuis dici, si mihi totius orbis*  
*dominium concesseris.* Sacerdos, surgentes am-  
 bitionis scintillas excitatus, recepit se intrò,  
 quasi consulturus Jovem, & ubi rediit, respon-  
 dit: *Jovem certo promittere, quod petèret.* Tùm  
 Alexandro quærente: *an interfectores parentiæ sui*  
*omnes pœnas dedissent?* Respondit vates: *Dii meliora*  
*neq, enim pater tuus occisus est, neq, insidiis aut cedi*  
*est obnoxius:* significans illum Jovis, non Philip-  
 pi filium esse.

**§. IV.** Quæ verò aula temerè à pestis istius  
 contagione liberam se pronunciare potest? *Quid*  
*miremur* (scribit Forstnerus ad Tac. part. i. p.  
 59.) *principes violentâ adulationis procellâ inclina-*  
*tos, quò sponte jam volunt, iis vocibus credere, quas*  
*solas accipiunt? præcipuè nemine rursus sustinen-*  
*te, ad quam tanta vis impellit. Nam illi sapientes,*  
*quos negotiis adhibent, seu verentur frustra mone-*  
*re, seu medicamentum, quamvis infundat salu-*  
*bratatem, ingratum esse sciunt, his vulneribus non*  
*adhibent*

adhibent manum, aut certe vitia distinguunt, quibus se ipsum Rex maculat, ab iis quibus perdit rem publicam, & contenti utcumq; mederi publicis, non restituent Principi oculos, quibus ipse suam sortem & blandientium fallaciam damnet. Cum animo hoc suū reputans Ludovicus XI. Galliarum Rex questus aliquando est, se in regno suo, & potissimum in aula propria abundare omnibus rebus, unā exceptā. Quærente unō ex familiaribus aulicis: quamnam rem innumeret? respondit: veritatem. Joach. Camer. hor. subc. cent. 1. c. 90. cui addatur Franciscus Patricius dial. 5. de hist. p. 462.

## APHORISMUS IV.

Præter adultores, gratiæ & benevolentiam aucupio intentos, dantur etiam, qui aliorum dicta factaque promiscuè probant, lucelli & commodi causâ.

§. I.

**H**os tales κολακας appellat Aristoteles; Comici audiunt Parasiti & Gnathones, item ψωμοκολακας, offularum captatores, δασυτης κολης, à ventre,

ventres, ejuſ ſunt mancipia, αὐτλήκυστοι, quòd ſponte & invocati in conviviiſ compareant, qui, quaſi mures, ſemper odunt alienum cibum, & paraſitando paſcant ventres ſuos, aſueti interim colaphos perpeti, frangiq, aulæ in caput; ut pingit Plautus in Captivis a. 1. ſ. 1. & Perſa a. 1. ſ. 2. Feſtively exagitatum hoc nomine producit Martialis Seliuſ, lib. 2. epig. 14.

*Nil intentatum Seliuſ, nil linquit inaniſam,  
Cœnandum quoties jam videt eſſe domi.*

& epigr. 27. ejuſdem libri:

*Laudantem Seliuſ, cœna dum verita tendit,*

*Accipe, ſive legas, ſive patronuſ agas.*

*Eſſectè! graviter! cito! nequiter! euge! beate!*

*Hoc volui! facta eſt jam tibi cœna: tace.*

§. II. Diphtheram, ſi cum pace Joviſ ita vocare liceat, ſive catalogum prolixum, iſti hominum generi impendit Athenæuſ, integrum librum 6. dipnoſoph. Familiam ex iiſ ducere videtur ille apud Diphilum Comicum, qui dixit, ſe diſſentire ab ingenio multorum, qui cum vocati ſunt ad cœnam à divite aliquò fortunatoq, hominè, ſtatim, ut domum intraverint, converti ſe dicunt in admirationem ſplendidi adificii, aut nitida ſuppellectiliſ; ſe namque, iſtiſ inſuper habitis, intendere oculos in fumum culinæ; qui ſi impetu quòdam directò è fumario feratur, ſe exſultare gaudio; contra autem ſi obliquuſ ac renniſ, illicò ſe cognoſcere cœnantiſ ſanguinè noq, habitaram, tuq, te mirorſ:

*languescere.* Victorius var. lect. l. 7. c. 16. In hunc censum referri debet Aristippus Cyrenaeus, quem propter amicitiam ollarem, Diogenes *canem regium Dionysii* appellavit, cumque aliquando olusculis suis lavandis intentus, praetereuntem conspiceretur, fertur cavillum hoc projecisse, uti quidem Horatius adnotavit. l. 1. ep. 17. vers. 13.

*Si pranderet olus patienter, Regibus uti  
Nollet Aristippus.* — — —

cui hic argutè apposuit, quod apud eundem Poëtam sequitur;

— — — *Si sciret Regibus uti,  
Fastidiret olus, qui me notat.* — — —

Sed ventres isti pluribus se declarari exemplis negant, cum nec ipsi alios libenter audiant, quam qui sint *γλωσσογάρυες*, ea loquentes, quae ventri conducunt; & jaciunt *ρήματα μαγειρικά* verba coquinaria. Videatur Eras. Chil. 4. cent. 5. ad. 99. & Chil. eadem cent. 8. ad. 90.

## APHORISMUS V.

Qui omnibus adversatur  
& reprehēdit omnia,  
is minus aptus est ad

COR-



# congressus & conso- ciationes civiles.

## §. I.

**Δ** τὸ πάθος καὶ δύσπερος audit apud Aristotelem, ipsum autem vitium αὐθάδεια 2. Eud. cap. 3. cum homines, suis affectibus obsequentes, sermones & facta ad ingenium & arbitrium suum accommodant, parum pensi habentes, utrum aliorum benevolentiam sibi concilient, an odia accersant: sive ut verbis Galatei è libello, instruendis moribus, præsertim juvenum, utilissimum uti liceat, p. 25. *Qui nullum unquam placidè intuentur, qui libenter omnia, quæ ab aliis asseverantur, negant: & quicquid ab aliis vel benevolentia gratiâ ipsis præbetur, id rusticè adversantur, more hominum extraneorum, & barbarorum, qui ferre non possunt, ut ab aliis vel saluentur, vel deducantur: qui nunquam salibus aut sermonibus amicis se exhilarant, & omnia etiam officiosè ab aliis prolata respiciunt.* De eodem accipiendum est illud Erasmi lib. 28. ep. 10. *Est, inquit, hoc pertinaciæ plerisque mortalium ingenis insitum, ut, quod semel quocunque casu pronunciaverint, nunquam tueri desinant, etiamsi compererint sese perperam pronunciaisse.* Addatur Theophrastus in Charact. c. 5.

§. II. Sed juvat descendere in antrum Throphonii, sine tamen periculo amittendi facultatem ridendi. Apparent hîc Xenocrates, qui cum ingenio esset aspero tetricoque, jussus est à

Platone, *Græcis sacrificare*. Timon Atheniensis *μισάνθρωπος* inde dictus, quòd omnium hominum commercia averfaretur, præterquam Alcibiadis, quem Atheniensibus multa damna creaturum præfagiebat. Calanus Indus, qui Alexandrum M. rogantem, *ut ad se veniret*, asperè & arroganter dimisit, hòc responsò: *ut posita veste audiret se nudus; alioquin non congressurum se, nisi à Jove quidem missus esset*. Demosthenes, quem moribus adeò asperis & inconstantibus fuisse Æschines dixit, ut cum Adria facilius haberi commercium posse putaverit, quàm cum illo. Euripides, Poëta Tragicus, qui ita intractabilis & difficilis fuit, ut subinde obstipò capite, & fixò in terram lumine incederet inde *μισάνθρωπος* dictus. Cato, qui, cum naturà ad severitatem & austeritatem esset factus, moribus eam firmavit, disciplinæ Stoicæ præceptis instruxit, itaque tetricà & contractà fronte extitit, ut vix risum ei extorqueres, nec ultra, quàm ut subrideret, moveretur, de quo Horat. l. 2. od. 1. vers. 23.

*Et cuncta terrarum subacta,*

*Præter atrocem animum Catonis.*

C. Marius, qui *ἀυσάδης* Plutarcho, & alibi *χαλσπός*, asper & intractabilis audit, Vellejo *hirtus atque horridus*. Tiberius, cujus tristitiam ingenii, moresque duros & asperos Tacitus observavit. Quibus omnib9 jungimus è nostra aetate Albertum Wallensteinium, Fridlandiæ Ducem, hujus nostri etiam Lycei aliquando civem,

de

de quo refert Brachelius lib. 4. hist. nostri temporis, quòd ea laboraverit morum asperitate atq; adversum aequales contumax, è etiam fastu, ut conquerentibus, super tributis & exactionibus, Principibus provinciarum, superbò responso insultaret, aut majora adhuc onera superadderet, quasi per benignitatem peccasset unde & vulgò Dictator Imperii sic vocatus.

§. III. Enimverò, ut exemplis jamjam allatis docemur, asperitas morum ab animis, ab honore, è potentiâ vires accipit, eaque in crudelitatis instrumentum adhibet. Quid verò, si incidat in animas demissiores, & tales, quas, cum genii infelicitate mitescere nesciant, à literarum saltem suavitate humanitatis spiritum trahere par erat? quid aliud experientia suggerit, quàm quod judicat Cominæus lib. 10. pag. 549. *doctrina vel meliores reddit homines, vel ætiores, pro cuiusque natura & inclinatione.*

§. IV. Orbilius quis nescit, qui, cum ex militiâ redux factus, tempore Ciceronis, ad eas literas animum denuò appulisset, quas puer non leviter imbiberat, adeò acerbe nature extitit, non modò in Antisophistas, quos omni sermone laceravit, sed etiam in discipulos, ut Horatius plagosum eum appellaverit, & Domitius Marsus scripserit:

*Si quos Orbibus ferulâ scuticâq; cecidit.*

ut est apud Suet. lib. de illust. Gramm. c. 19. adeò negligens fuit ille aurei, & omnibus phrontisteriis inscribendi præcepti, quod Quintilianus dicit lib. 1. instit. Orat. c. 3. *In ætatem infirmam &*

*injurie obnoxiam nemini debet nuntium ledere.*

§. V. Non meliore notâ dignus videtur esse Maximiliani I. Imperatoris præceptor, Petrus Engelbertus, qui cum solis Dialecticis argutis doctus, sophismata inoulcare discipulo vellet, ad quæ capessenda aptus non esset, sapius atrociter verberavit eum, magis ipse verberandus: ut scribit Cuspinianus in vita ejus Cæsaris; cujus memortu digna sunt, quæ porro ex eodem subjungimus: *Audivi, scribit Historicus, ex ore divi Maximiliani hoc verbum, quod nunquam è memoria mea exidet, quod jam Romanorum Rex factus, in mensa, ut solebat de variis loqui, multis adstantibus dixerat: si, inquit, hodie viveret Præceptor meus Petrus, quanquam multa Præceptoribus debeamus, officerem, ut se instituisse me pœniteret. Quàm multa enim bonis præceptoribus, qui rectè instituunt pueros, debemus, tam multis plagis sunt onerandi indocti pedagogi, qui pretiosissimum ætatis tempus perdunt, & ea docent, quæ dediscere multò labore necesse est.*

§. VI. Huc pertinent, qui lymphatò Musarum amore ardentes, sæpenumerò ita extra se rapiuntur, ut in mediis conversationibus sentiendi usum amittant,

*Pocula Lethæos ut si ducentia somnos  
Arente fauce traxerint.*

Quale est, quod de Thoma Aquinate referunt, qui Parisiis cum Rege Galliæ in convivio accumulans, animò peregrinante, & in diversa distractò, externis sensibus officium negaverit, tandem

demque mensâ manu percussâ exclamavit: *adversus Manichæos conclusum est.* Hinc attonito ad tam subitam nec prævisam commotionem Rege; Thomas cum rubore respondit: *Argumentum eo ipso tempore sibi in montem venisse, quod Manichæorum dogma penitus everteret.* Etiam Bernhardus, sacro cæstrô percitus, cum ad ripam Lausanensis lacus totô die iter fecisset, & fratres, itineris illius comites, vesperi de lacu illo multa verba facerent, rogavit eos Bernhardus: ubi lacus ille fuisset? cumq; rem omnem audivisset, miratus est, eumque lacum à se visum negavit. Nathan Chytr. in Not. ad p. 26. Galatei Joh. Casæ pag. 156. Not.

## CAPUT IX.

DE

## VERACITATE.

### APHORISMUS I.

Vir verax, simplex & apertus est veritatis amator, tam in dictis quàm in omni vitâ.

§. 1. Jam

## §. I.

**J**Am supra in laudibus magnanimi posuit Ari-  
toteles, quòd animum in primore fronte ge-  
rat, nec veritatem occultet, nisi ubi honestatis  
& utilitatis publicæ ratio flagitat. Hòc locò  
præsentem sistimus Achillem, qui, *ut inferni por-  
tæ, detestatus est mendacium*, ex Homeri II. I. vers.  
312. Quibus conspirant sanctissimus & gravissimus  
Hymnographus Callimachus, & Oppianus  
in Cyneg. lib. 4. vers. 306. *cujus utriusq; sym-  
bolum est animi indicium* (judice ñmortali Contr.  
Rittershusio) *fuisse videtur illud: εἴη γὰρ ἐπὸς Φί-  
λος, ὅς τις αἰδήθη, ἰ. e. mihi, quidem amicus eris,  
qui erit verax.*

§. II. Quàm verò jucundum illud auditu est,  
quòd memorat Laërtius de Xenocrate, lib. 4.  
*Tanta*, inquiens, *illius verbis fides habebatur, ut,  
cum injurati nullius testimonium admitteretur,  
huic soli remisissent Athenienses jusjurandum.* Me-  
ritò etiam in præcipuam laudum Pirckheimeria-  
narũ seriẽ refertur à laudato Rittershusio, quòd  
summus & ardentissimus in eo fuerit veritatis ac  
sinceritatis amor, à quò non abesse potuerit ve-  
hemens odium omnis mendacii, fraudum, ca-  
lumniarum atque obtreccionum: quam qui-  
dem virtutem obtinuerit, partim ab eximia in-  
dolis & naturæ bonitate, quæ ipsius animum re-  
ctum candidissimumque, & fuci atque fallaciæ  
prorsus expertem finxerat, partim etiam à bona  
institutione & assuefactione, quã apud patrem  
in ejus comitatu & quotidianã vitæ consuetudi-

ne imbutus fuerit, Comment. de Pirekheimeri  
vita p. 37.

§. III. Candoris verò exempla vel ideò repe-  
tere è veteri memoria necesse est, quòd illi no-  
stro ævo, ilicet! dudum est acclamatum. Ergò  
sepulchra nobis effodienda fuerint, Mausolea  
lustranda, cippi inspiciendi, si quidem vel ma-  
nes hominum candidorum sollicitare, vel me-  
numenta mirari libeat. Quotusquisque enim  
hodiè est, qui ex re & vero illud Ennii de se pro-  
nunciare possit: *Eò ingenio natus sum, amicitiam  
& inimicitiam in fronte promtam gero.* Ec-  
quis sibi vindicare laudem aúsit, quam Plutar-  
chus M. Portio Catoni Uticensi tribuit in vitâ,  
*nihil fuisse in Catonis vitâ admistum, adulterinum  
vel fucatum;* quemque Cicero passim prædicat  
*dixisse sententias, quarum invidiam capitis peri-  
culo præstandam sibi vidisset: nec minùs tamen ve-  
hementer & acriter egisse, Ducem, auctorem, a-  
ctorem rerum, que gerebantur, fuisse; non quòd pe-  
riculum suum non viderit, sed in Reipublica tem-  
pestate nihil sibi, nisi de patrie periculis, cogitan-  
dum putaverit.*

§. IV. Tulit tamen superioris seculi ætas e-  
xempla posteris imitanda, quæ injuriosò silen-  
tio premere nefas est. Sanè Joachimum Came-  
rarium ferunt (Melch. Adam. invitâ p. 265.) à  
*mendacio ita abhorruisse, ut ne jocosum quidem fer-  
re posset, omnibusq; iis, quibus animi sensus sub  
lingua potius, quam in linguâ, inimicum se acer-  
rimum & adversarium proficeretur: prorsus qua-*  
fi

si exemplo suo exprimere vellet Atticum apud Nepotem cap. 15. qui mendacium neque dicebat, neque pati poterat: aut Epaminondam, qui adeo veritatis fuit diligens, ut ne jocò quidem mentiretur, teste eodem Nepote in vitâ c. 3. n. 1.

§. V. In societatem hujus laudis suæ adiecit ipse Camerarius Bernhardum Zieglerum Lipsiensem, in vitâ Phil. Melanchthonis p. 327. *Ficta, ait, simulata, commentitia, ostentationem, vanitatemque omnem mirifice oderat, & levitatem atque mobilitatem vehementer averfabatur.* An in hac etiam classe collocabimus toties dictum nobis *εργασμιον* Erasmus, quem & linguæ liberioris extitisse, & candidum doctrinæ alienæ aestimatorem, & severum vitiorum reprehensorem, cum alia scripta, tum in primis epistolæ ejus, auro contra charæ, loquuntur. Ipse de se lib. 26. ep. 3. ad Baptistam Egnatium: *Cum simplicitatem meam nominas, plane vomitam tetigisti meam. Quicquid malorum per omnem vitam accidit mihi, simplicitati meæ acceptum refero, quam hætenus ne tot quidem malis admonitus possum dediscere.* Arguit hanc infucatam sinceritatem ejus stylus, animi utique character, de quo Badius ita judicat Cent. 2. ep. 2. *Quodsi primaria dos sermonis in eo versatur, ut perspicue sensa mentis evolvantur, hæc laude nullus cum Erasmo paria fecit: tam admirabili felicitate ac facilitate vox ac manus secuta est internas animi cogitationes.* Et verbis paulò anterioribus: *Erasmus secutus est venam ideam ingenii sui, quod longè consultiſſimum arbitror,*



*arbitror, nec aliter equalitas & uniformis tenor  
in stylo servari poterit.*

## APHORISMUS II.

Qui majora, quàm re-  
vera habent, fingunt,  
trium sunt generum:  
Alii enim sunt vani &  
futiles: alii captandæ  
gloriolæ & existima-  
tionis gratiâ ea sibi ar-  
rogant, propter quæ  
laudari homines so-  
lent; denique sunt,  
qui lucri causâ fallunt,  
dicentes, sibi suisque  
inesse, quæ non in-  
sunt.

§. I.

**P**rimi generis mendacia qui affectentur, haud ferè alios deprehendas, quàm homines *Φοβηκῆς* & triobolares, qui cùm virtutis & famæ negligentiores sint, verum & falsum effari juxtà habent: effutiuntque, quæ in buccam venerint, verba non in pectore sed in faucibus nata. Hòc ingenio fuisse Cretenses indicant proverbialia, ab eorum moribus desumpta, de quibus videatur, Erasmus Chiliad. 1. cent. 2. adag. 26. & seqq. Et ille Epimenidis versiculus ab Apostolo citatus ad Titum 1. 7. 12.

*Κριβὸς τοῦ ψεύσαι, κατὰ θηρία, γαστέρας ἀργαί.*  
Huic vitio infames olim fuisse Ægyptios, refert Alexander ab Alex. l. 6. c. 10. *Ægyptiis*, inquit, *nullus mentiendi modus, summaque mentiendi impunitas erat.*

§. II. Præter eos, qui in mentiendi libidinem, sive gentis suæ, sive educationis vitio inciderunt, sine spe lucri aut gloriæ, haud multos reperies: nam hoc peccatum non habet facilè cultores, nisi propositâ spe alicujus voluptatis aut commodi invitentur. Plures igitur sunt, qui suas sive ingenii dotes, sive eruditionē, sive merita in rempublicâ, tumidis verbis deprædicant, ut ora popelli laudibus suis impleant. Hanc scabiem produnt sæpe *αὐτοδιδανταί*, qualis est ille Phemius Musicus apud Homerum Odyss. X. vers. 347. Cujus hæc sunt sesquipedalia verba:

*Αὐτοδιδαντος δ' εἰμι θεός τε μοι ἐν φρεσὶν οἴμας  
ἡαρτολας ἐριφουσι.*



*Ipsè doctus à me sum; Deo autem mihi in mentis  
 bias tantilenas omnes inservit.*

& Heraclitus Ephesius, quem Plutarchus refert  
 nullo commonitore & commonstratore Philo-  
 sophiam omnem percepisse, quin universum o-  
 mnes Pythagoricos fuisse *ἑταυράδους*, & serè  
 ad utilitatem jactabundos observavit Daniel  
 Heinsius ad Horatium. Accusat hujus vitii  
 Guilieimam Budæum. Gutherbertus Tonstallus:  
*Nonne scribis te αὐτομαθῆν ἢ ἢ ἢ αὐτοδίδακτον, sine  
 alla preceptorum institutione ad istam eruditionis  
 pervenisse frugem.* apud Erasmus l. 2. epist. 29.

§. III. Nec effugit hanc ingenii humani im-  
 becillitatem Euripides, qui cum apud Alcesti-  
 dem, Tragediarum scriptorem, aliquando que-  
 stus esset, quòd ingenti nisu summoque tridui  
 labore non nisi tres versus scribere potuisset, &  
 Alcestides contra gloriatus esset, se unò die fa-  
 cilè centum fundere posse. *Hyc tamen, inquit,  
 non nescias velim, versus tuos triduo tantum, meos  
 in ævum omne duraturos:* Refert ex Val. Maximo  
 l. 3. c. 7. exter. 1. Eras. lib. 6. Apophth. p. 941.  
 Idem generosus spiritus inflavit stylum Virgilia  
 cum Æn. lib. 9. vers. 446. caneret:

*Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt;  
 Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.*

Et Horat. lib. 3. od. 30.

*Exegi monumentum ære perennius &c.*

§. IV. Quid dicam de Erasmo antea memo-  
 rato? ecce, quàm & ipse incitat ingenii alacri-  
 tatem

tatem in liberiore[m] arrogantia[m] campum, praefertim apud amiculum. lib. 8. ep. 47. ostendes, quanto amplius ego sim meis literis decus allaturus, quam alii Theologi. Nam illi vulgaria concionantur, ego scribo, quae semper sint victura. Illi indoctè nugantes sunò aut altero in templo audiuntur; mei libri ab omni gente, à Latinis, à Grecis, totò orbe leguntur. Eiusmodi indoctorum Theologorum permagnam esse copiam; mei similem vix multis seculis inveniri. Nisi forte ad eò supersticiosus es, ut religio tibi sit in amici negotio mendaciolis aliquot abuti. Lipsius quàm exultat fiducia[m] famæ? librum primum Electorum, omine plenus, ita auspicator. Dicam de Anneo Seneca, cum bonâ spe, fore ut hoc scriptum meum annos ferat, & senescat. Idem Cent. 3. ad Belgas ep. 67. Nos in plerisque stamus & stabimus, etiam iudiciò sequentis ævi. Ita jucundissimis floribus suæ innascuntur filices, suæ cantharides!

§. V. Succumbunt huic vitio sæpè cordationes viri, si quidem ipsos subit recordatio meritorum, quibus rempublicam sibi devinxerunt. Non devitavit Socrates, qui in jus vocatus, cum interrogaretur, quam poenam commervisset, & Ego, inquit, ob ea, quae feci, dignus sim, cui victus quotidianus publice in Prytaneo præberetur. Quæ quidem gloriatio capitis diminutionem ei accersivit. (Erat autem Prytaneum Athenis domus publica in quâ illis victus præbebatur, qui benè de republica essent meriti. Cic. de orat. lib. 1.) Ciceronem ipsum solutiorē ad jactantiam linguam

quam habuisse, minus mirabitur, cui ingenium ejus gloriæ avidius est perspectum. Quoties in ore ipsius sonuit repressa Catilinaria conjuratio? *meis consiliis, ( scribit in orat. pro L. Syl- la, ) meis laboribus, mei capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu, quin- que hominibus comprehensis atque confosis, incen- sione urbem, internecone cives, vastitate Itali- am, interitu Rempublicam liberavi.*

§. VI. Nullum autem mortalium genus pal- maria sua facinora audaciùs jactare, & arrogan- tiùs audientium aures incendere solet, quàm Martis pulli, qui fortunæ beneficiò dubiam bel- li aleam effugerunt. Iis

*Ventosa in linguâ pedibusque fugacibus esse  
Sæpe solet Mavors.*

ex illo Virg. XI. Æn. vers. 390. Illi in conviviis & circulis, cum de hostibus mentio incidit, vix manibus temperant: ut est apud Livium lib. 32. c. 20. Inde jactationis audacia, tumorq; verborum, quasi omnium gratiam & credulitatem à ferro suo impetraturus. Hinc Pyrgopolinices, hinc Thraso, instituti in veterum scenis, in documentum ferocia, plus tormentò verborum, quàm inter vera belli discrimina, vibrantes. Sed in senibus præcipuè, & quidem Ducibus, securiùs & majori veniâ hic turbo procedit, factis illis ad gloriam animis, sed nonnunquam inconsultâ vanitate errantibus: ver- ba sunt Joh. Barcl. c. 14. Icon, Animorum.

§. VII. Ab hoc arroganti spiritu profecta est vox Ajacis Telamonii apud Sophoclem, quem

Bb

in

in militiam abeuntem cum pater monuisset, ut magis in Dei auxilio, quam propriam virtute spei presidium collocaret, orationem insanam & insolentis fastidii plenam emisit : *ignavos sibi a DEO victoriam polliceri, se etiam absque divina ope victoriam suam virtute impetraturum.* Sacrilegus hic fastus exagitavit Ajacem Oileum apud Hom. odyss. Δ vers. 504. qui etiam invitis Diis se evasurum maris fluctus jactabat : sed eam recordiam miserabili exitio Neptunus est ultus. Tales bullatas nugas crepuit Bessus ille, Bactrianorum dux, qui accepto Alexandri M. adventu, vocatis ad convivium proceribus, *gravis mero, vires suas extulit, hostium nunc temeritatem, nunc paucitatem spernens, demum, partem per scelus regno Darii, superbus ac vix potens mentis, circumferri merum largius jussit, debellaturus super mensam Alexandrum.* Quo recordi fastu postremo offensus Cobares Medus, proverbium apud Bactrianos vulgo usurpatum in medium projecit : *Canem timidum vehementius latrare, quam mordere ; altissima queque flumina minimo sono labi.* Curt. l. 7. c. 4.

§. VIII. Eos autem, qui lucri causam famam, fidem, pudorem, veritatem decoquunt, ubi densiore agmine deprehendere copia est, quam in nundinis, in foris, in tabernis, ubi non tantum quæstui mancipati Judæi ad rem, mangoniis, collybiis, permutationibus, fœnoribus faciendam confluunt, sed & ipsi præputiati hinc concinnant aream, offundunt cibum, ut aves

affue-

affuescant, rem soluturæ aucupi. Familiam inter eos ducunt illi, ut Ciceroni audiunt 1. off. c. 42. *sordidi, qui mercantur à mercatoribus, quod statim vendant, nihilq; proficiunt, nisi admodum mentiantur.*

§. IX. Specimen fraudulentæ hujus mercaturæ exhibet in Johanne quodam Giscaléo Josephus lib. 2. belli Jud. c. 26. Is oleum omne, quòd non à gentilibus Judæis expressum esset, tanquam immundum, juxta fines exportari jussit & divendi; inde, subornatis quibusdam, qui clam nummo Tyrio ( qui quatuor Atticos facit ) quatuor amphoras emit, eodemque pretio amphoræ dimidium Judæis iterum divendit, & hõc pacto magnam pecuniæ vim comparavit.

§. X. Hæc fuisse causa videtur, cur mercatores ex albo civium Romanorum fuerint expuncti: idque ipsum apud Spartiates & Thebanos usitatum fuit, adeò, ut his non aliter Magistratus petere, aut oblatos capere licuerit, quàm si totos decem annos mercaturâ abstinuissent; docente Bodino lib. 3. de rep. c. ult. Aristoteles verò 7. Pol. c. 19. *mercaturam virtutibus inimicam esse* ex eadem ratione statuit.

§. XI. Unde Pythias, Macedonum ad Arcadas Legatus, velem domum suspectam habebat, in quâ saltem lac venderetur; ut est apud Plut. in Apophth. Graviter & ingenuè, more suo, Salvianus lib. 3. de Gub. DEI p. 84. *Quid aliud est cunctorum negotiantium vita, quam fraus atque perjurium.* Et lib. 4. p. 124. *consideremus*

*remus negotiatorum & sericorum (sic enim legendum esse judicat Rittershusius) omnium turbas, quæ majorem fermè civitatum universalium partem occupaverunt. Quid aliud est vita istorum omnium, quàm meditatio doli & tristura mendacii? Annon perire admodum verba æstimant, quæ nihil loquentibus profunt?*

## APHORISMUS III.

Qui non magna tantum, & quæ gloriam merentur, sed minima quæque, & quæ præstare omnium judicio potest, fieri à se non posse simulat, versutè delicatus vocatur, ac contemptum meretur. Fit tamen etiam, ut arrogantes ex hoc dicantur: licet in vestitu



olim Lacones faciebant, qui vilibus admodum vestibus, ac brevibus, usque ad genua pertingentibus, uti consueverunt.

§. I.

**I**stis veteris paraphrastæ & Eustratii verbis videtur omnium clarissimè vitium alterum, veracitati in defectu oppositum, explanari posse; etsi improbitas ejus non usque ad eò pelluceat: ac meritò de hoc pronuciari posse videatur, quod de similibus judicavit supra Aristoteles lib. 4. Eth. c. 5. *habitus hunc esse vitium, non tamen ejusmodi, ut opprobrium asserat, propterea quòd neq; aliis noceat, neq; deforme admodum sit: unde qui isti vitio sunt obnoxii, etsi ἠμαρτήρινοι existunt, non tamen sunt κακοντίοι, mali & improbi; ut huc itidem accommodemus illud 4. Eth. c. 9.*

§. II. Quod si igitur imas ejus fibras penetrare velis, deprehendes, latere sub specie modestiæ affectionem gloriolæ, quam tales homines venantur apud eos, quos sciunt sibi benè cupere, & occasione detrectatæ debitæ laudis, ordiri telam prolixioris encomii. Quintil. l. II.

e. i. ita naturam ejus declarat: *apertè gloriari nescio an sit magis tolerabile vel ipsa vitii hujus simplicitate, quam illà jactatione perversa, si abundans opibus pauperem se, nobilis obscurum, potens infirmum, & disertus imperitum planè & infantem vocet.* Galateus de Moribus p. 35. ita de eodem negotio disserit: *Certissimum est, quod is, qui ea, quae omnes alii expetunt, averfatur, eo ipso significet, se alios aut vituperare, aut certe non flocci facere.* *Gloriam autem, & honorem, quae tantò apud alios in pretio sunt, nihili facere, nihil aliud est, quam se ipsum supra omnes alios honore & gloriatione extollere.*

§. III. Aristoteles exempli locò affert Socratem, qui jactare solitus fuit, *se unum hoc scire, quòd nihil sciret*; nihilominus tamen in numero τῶν χαριστέων habet; quòd scilicet factum Sophistarum isthàc ratione declinare ac retundere voluerit. Exemplum hoc aliquando inflammavit Erasinum, illum, inquam, quem paulò antè Junonium ingredi vidimus, ut in se descendens aliquà ignorantiam animadverteret, & Smaragdus in luce obscurus evaderet. Ita enim scribit Lib. 1. Epist. 12. *Sic mihi placeo, ut, quòd Socrates ei ἐγὼ λέω, id mihi verè & ex animo propemodum videar posse profiteri: Unum hoc scio, me nihil scire.* Referri huc potest Jottus ille artis pictoriae in urbe Florentina instaurator, qui teste Galatéo loc. cit. *magistrum se appellari vetuit, cum non solum magister, verum etiam sine dubiò pro ratione temporum illorum magister fuerit planè singularis.*

## CAP. X.

DE

URBANITATE.

## APHORISMUS I.

Qui in congressibus sci-  
tè & concinnè ita ver-  
santur, & argutiis jo-  
cisque homines ita de-  
lectant, ut ea cum di-  
cant, tum audiant,  
quæ convenient viro  
bono & ingenio præ-  
dito liberali, ii urba-  
ni & faceti nominan-  
tur.

## §. I.

**V**irtus hæc nec cum cæteris virtutibus mora-  
libus, ac ne quidem etiam homileticis, paria  
facere potest: quippe nec quemvis hominem in  
quavis



§. III. Celebrantur hoc nomine apud Veteres imprimis Plautus, ut ex seq. Macrobbii loco patescit, qui extat lib: 2. Sat. 6. 1. *Et jam prand animadverto, duos, quos eloquentissimos antiquaetas tulit, Comicum Plautum & Oratorem Ciceronem, eos ambos etiam ad jocorum venustatem ceteris prestitisse. Plautus quidem eâ de re clarus fuit, ut post mortem ejus, Comædia, qua incerta forebatur, Plantina tamen esse de jocorum copia noscerentur. Cicero autem quantum in eare valuerit, quis ignorat, qui vel liberti ejus libros, quos is de Patroni jocos composuit, quos quidem ipsius putant esse, legere curavit?*

§. IV. In hunc censum meritò veniunt arguti Poëtæ, præsertim Epigrammatum conditores, quos inter familiam ducit Martialis, de quo ita judicat Joh. Jov. Pontanus lib. 3. c. 18. *Sunt dicta ejus in univèrsum arguta, subtiliterque composita, abstrusa sententia, eademq; rara, falsa, aculeata, inventio verò maxime acuta: verba autem præcipuè accommodata, queque non primâ tantum facie atque in ipso explicatu lectorem alliciunt, atque auditorem, verum que in ejus animo relinquunt tacitam quandam subitillationem.*

§. V. Ex hâc arte laudem quæsit Jul. Cæsar, quem in facetiis longè aliis excellere scribit Cicero lib. 2. de Oratore c. 56. quo etiam eodem libro complures jocorum artifices adducit, ut Crassum, Antonium, Scævola, Scipionem Nasicam, cujus illud lepidum refert c. 67. Venerat is ad Poëtam Ennium salutatum, eumque ancil-

la ab' ostio quærenti dixisset: *Ennium domi non esse*; etsi latebat, negotiis aliis occupatus: paucis post diebus cum Ennius ad se veniret, & à janua quæreret, exclamavit Nafica, *se domi non esse*; tum Ennius: *Quid? an tu non ipse es Nafica? an non vocem cognosco tuam?* Tum Nafica: *Annon tu homo impudens? mihi non vis credere, me a domo abesse, cum ego ancilla tua nuper crederem, te domi non esse.*

§. VI. Eodem ex metallo finxerunt Gratia Augusto pectus jocos & diceriis effervescens. Tale erat circa Herennium, deditum vitis juvenem, quem cum castris excedere jussisset, & ille supplex hæc deprecatione uteretur: *quid patri meo dicam, cum domi revertar?* Dic, ait, *me tibi displicuisse.* Salem etiam sapit illud ejusdem: cum audisset inter pueros, quos in Syria Herodes, Rex Judæorum, intra bimatium jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait: *Melius est Herodis porcum esse, quam filium.* Cum idem exciperetur à quodam cenâ perparcâ & quotidianâ, discedens ab epulo insufurravit convictori: *non putabam, me tibi tam esse familiarem.* Refert hoc & complura similia, peculiari cap. de Augusto lib. 2, Saturn. Macrobius.

§. VII. Sed nec Christianam gravitatem dedecere hanc hilaritatem, vel solius Cypriani exemplo indicat Erasmus, quem gravissimum utique autorem in negotiis maximè seriis, jocos ac diceriis uti, scribit ep. 10. l. 28. Etiam Drexelius in Phaëthonte, c. 50. §. 3. monet, non omnem lo-

quen-

quendi urbanitatem Chrysoſtomum aut alios Patres damnare, ſed intemperantem illam & immoderatam, quam uno nomine ſcurrilitatem appellamus; atque eo fine, ut labor mitigetur, aut ut vegetior quis ad laborem redeat, hilariùs ac feſtiviùs loqui, Chriſtianis moribus non indignum eſſe.

§. IIX. Hâc urbanitate imperatoriam gravitatem temperâſſe fertur Carolus V. uti aliquot exemplis comprobatur Chr. Matthias in Th. quæ inter vel maximè illuſtre eſt illud p. 1042. Poſtulabant aliquando pertinaciter Hiſpani, ut Germanos ſatellites, & alios miniſtros ex aula ipſe dimitteret. Carolus, vultu ad ſeveritatem compoſitò convocari Germanos jubet, indicatque illis petitionem Hiſpanorum, & *venite, inquit, ego etiam ſum Germanus, abeamus ex aulâ, ne Hiſpanis moleſti amplius ſimus: & diſceſſionem præſetulit.* Germani ſatellites læti & alacres ſunt ſecuti. Tùm Hiſpani ſtultam ſuam petitionem, agnoſcentes, ad Cæſaris pedes ſe abjecerunt, ac, ut maneret, ſupplices rogârunt.

§. IX. Proſus autem abſolutiſſimam ideam dexteritatis exhibet Eraſmus in Thoma Moro. Sic enim de eo inter alia ſcribit lib. 9. ep. 30. *Jam inde à puero ſic jociſ eſt delectatus; ut ad hos natus videri poſſit, ſed in hiſ nec ad ſcurrilitatem uſque progreſſus eſt, nec mordacitatem unquam amavit, adoleſcens & Comædiolas ſcripſit & egit. Si quid dictum eſſet falſum, etiam in ipſum tortum, tamen amabat, uſq; adeo gaudet ſalibus argutiis & ingeni-*

*um redolentibus, unde & Epigrammatis lusit juvenis, & Luciano cum primis est delectatus: quin & mihi, ut Morias Encomium scriberem, h. e. ut camelus saltarem, fuit autor.*

§. X. Huc referenda sunt exempla eorum, qui argutas aliorum facetias æquò animo ferre & concoquere sciunt; quam artem calluit Augustus Imperator, ut vel hoc factum documento esse potest. Romam intraverat adolescens Augusto simillimus, & hinc omnium ora in se converterat. Augustus perducì hominem ad se jussit, visumque interrogavit: *Dic mihi, adolescens, fuitne aliquando mater tua Roma?* Negavit ille; nec contentus adjecit: *Sed pater meus sepe.* Aculeato hoc verbo subinnuens, fieri potuisse, ut pater suus cum matre Augusti illicitò concubitu consuevisset. Nam oris similitudo non magis arguerat illum esse Cæsaris filium, quam fratrem, aut nepotem. Macrobius lib. 2. Sat. c. 4. & ex eo Erasmus lib. 4. Apophth. p. 297. ubi similia pluscula adducuntur.

§. XI. Ab eadem laude commendat Balduinum III Regem Hierosolymitanum Guilhelmus Tyrius lib. 16. cap. 2. *Erat, inquit, jucundi sermonis facetique, & persona cujuslibet favorabili compositioni se conformem tribuens, omni ætati & conditioni gratissime se contemperabat. Urbanitatis quoque præcipue eo minus, quod dicendi nimiam utebatur libertate, ita ut quæ in amicis erant notabilia, sublata differentiâ, utrum placeret, an non, eret, eis in faciem publicè jacularetur: Et paulò post*



pōst: *ista in se versâ vice contorta equanimiter dicta supportabat mordacia.* Cujus quidem loci observationem debeo Casp. Barthio Animadvers. in Claud. lib. 2. de Laud. Stiliconis vers. 165. ubi & alium suppeditat de Theodosio ex ejusdem Claudiani sui lib. 6. de Consul. Honorii:

*Alternos cum plebe jocos dilectaque passim  
Iurgia.*

§. XII. Miram etiam patientiam præstitit Rudolphus I. Imperator, is, cum nasò esset aquilino, justòque majore, habuit aliquando obvium quèdam dicaculum, qui Regis facetias novit & clementiam. Cùm itaque prætereundo ex angustâ semitâ, Regi cedere à satellitibus crebrò jussus, nollet, rogatus, *cur non cederet? Regius,* inquit, *nasus viam implet, præterire non possum.* Subridens Rex, flexò in aliud latus nasò manu suâ: *Vade,* inquit, *mi fili, nasum torquebo meum, ne te impediat.* Cuspin. in vitâ. p. 537.

## APHORISMUS II.

Qui nimii sunt in ridiculis, scurræ habentur, & molesti, ac odiosi: gestientes colligere ridicula undique, magis-

que

que id spectantes, ut risum faciant, quàm ut venusta & faceta dicta sint, & non lædant, neque offendant eos, in quos cavillantes dicta dicunt.

## §. I.

**S**currilitatis certissimum argumentum est, si joci proficiantur ex animo elato, aut existimationis alienæ contemptore, sibi que nimiam oris licentiam sumente, ac perinde habente, Deum & honestatis leges violare. Possunt autem pro diversis studiis & jocandi rationibus varis scurrarum species constitui, ut observavit Joh. Jov. Pontanus lib. 3. de sermone cap. 13. Alii enim vanitate quâdam ducti, nullam rationem, temporis, loci, personarum habent, dummodo risum moveant. Alii aculeatis dictis id agunt, ut ultioni studentes, adversarios vellicent, eorumque autoritatem ridendo imminuant. Quidam placendo fructum aliquem referre student, dicti *Arrisores*. Sunt qui gratiam aucupari apud præsentis amicos volunt, dum alios pungunt, *Derisores* vocandi. Alii verbis obscœnis honorem convivis sociisve elicere eorundemque

que verecundiam expugnare intendunt, dicti *Obscæni*, quasi *Oscæni*, ab Oscis Campaniæ populis. Superfunt maligni quidam, naturæque etiam ab ipsa ad maledicendum proclives, ad detrahendumque habitu atque exercitatione confirmati, quorum dicta non pungunt modò, verùm & urunt & pustulas inducunt atque carcinomata, nec carent aut veneno, aut apertâ petulantia morsibusque viperinis. Hi appellari possunt *Petulantes* & *Ampullosi*, dicta enim maledicentium & detractorum *ampullas* vocare antiquitus solebant.

§. II. Prolapsus in hanc dicacitatem est Cicero, quem memorat Plutarchus in vita p. 319. in salibus & facetiis effusorem fuisse, & hinc multos offendisse homines, L. Cornel. Sylla *Φιλοσώμῳ* naturâ erat, unde libenter ac familiariter conversatus esse dicitur cum mimis, mulierculis & *Burris*, cumq; impudentissimo quoque histrionum ac scenicorum potasse ac dicteriis certasse. Nec continere linguæ petulantiam in rebus etiam maximè seriis potuit. Cùm Athenas aliquando obsidione cingeret, obsessis, quos fame urgeri scivit, vini ac epularum perpetuò usu & saltationibus illudit, ac Hierophantidi, heminam tritici ab ipso ex urbe suppliciter petenti, aliquantum piperis dono misit. Cùmq; legati Atheniensium, supplices pacem petentes, ad majorum suorum gloriam & decus provocaret, dicterium jecit, *non discendi causâ eò se venisse* dicens, eosque inde facessere iussit. Idem cùm

C. Mariti

C. Marii Junioris caput ad se afferretur, mortuo exprobravit, quòd anno ætatis vigesimo sexto consulatùs dignitatem adiisset, dicens, *cum qui tractare gubernacula velit, oportere primum ministerio remigis fungi.*

§. III. Hæc res Gemino Fusio Consuli odium creavit, quòd Tiberium acerbis facetiis irridere sit solitus, quarum apud præpotentes in longum memoria est: ut ait Tac. l. 5. ann. c. 2. §. 3. Eadem in-tempestivorum jocorum ferociâ Atticum Vestinum, Neroni Cæsari aliàs charissimum, ad mortem traxit. Tac. l. 15. Ann. c. 52. & 53. Tale ingenium habuisse Tiberium historiis proditum, est, quod quidem eò dementiæ procesfit, ut lævitiam etiam ludis & jocis misceret. Ecce! lepidum specimen, si Diis superis, an inferis placeat! Prætereunte funere, scurra quidam lucrificus mortuo in aurem insusurravit, *Augusto nunciaret, nihildum ejus nomine se legatis accepisse.* Eo comperto Tiberius repræsentari de manu summam è legato debitam jusfit, deinde statim duci ad supplicium jusfit, monens: *ut hæc Augusto suo apud inferos referret.* Dio Casius lib. 57. & Suet. in vita Tiberii, c. 57. De quo etiam illud amarulentum refert idem Suetonius cap. 61. quando in recognoscendis custodiis precanti captivo supplicii maturitatem, respondit: *Nondum tecum in gratiam redii.*

§. IV. Ab impudenti hæc scurrilitate profectum est illud Alexandri Sansedonii, qui, cum à popularibus Senensibus missus esset Florentiam, ad

id ministros Cesarianos deprecatum obfessionem praedicti Hispanici, ab iisdemque patratum maleficiorum argueretur & convinceretur, orae indignatione tandem in haec verba erupit: *quid malum! non satis purgabit nos, quod omnibus notum est, Senenses stultos esse?* Ad quod unus ex Cesarianis respondit: *imò excusabit, sed eâ conditione, quae mente imminutis convenit, quos quis sui compotes non sunt, catenis coërcemus, ne vel sibi, vel aliis nocuisse esse queant.* Refert, Forstnerus ad lib. 5. Annal. Tac. cap. 2. p. 464. subjuncta hâc *Philostratus*: *Non erat oratoris, negotium tanti momenti scurrili levitate tractare, & sibi appellare suam civitatem, sequi autem ostendere.*

### APHORISMUS III.

Quineque ipsi ridiculis in dicendo uti audent, & indignantur succensentes iis, qui utuntur, illi agrestes habentur & duri.

**C**atullus ejus fursuris homines vocat  
*Plenos ruris & inficetiarum,*

**Plantus** *in merum*. Vitium ipsum est in eorum numero, quæ magis cum molestiâ, quàm cum improbitate sunt conjuncta, & autoribus suis magis odium ac detestationem, quàm infamiam auferunt. Ideò autem hominum talium consuetudo difficilis est & acerba, quia dissentire non tantùm in congressibus civilibus videntur, sed etiam ab ipsa natura, quæ tribuit homini facultatem loquendi, non modò ad necessaria vitæ officia obeunda, sed etiam ad miscendam labori recreationem, sine qua fatisceremus sub tot molestarum oneribus.

§. II. Secundùm Aristotelem duplici potissimùm laborant morbo homines agrestes & inficeti: nam nec ipsi joca scitè fingere queunt, & ad aliorum facetias supercilium còtrahunt, vultu nque corrugant, sibi & aliis molesti ac intolerabiles. Utroque nomine differuntur apud Veteres Socrates, Pericles, Diogenes Cynicus, Pyrrho, Demosthenes, quem *ἀπίθρον ἐκ γέλοιου* non natum dicendis ridiculis fuisse memoriæ proditum est; Cato Censorius, qui per omnem vitam nunquàm risit; Crassus, qui in omni vita sua semel risisse legitur; Euripides *μισογέλωτ* apud Celsium; Anaxagoras Clazomenius, qui nunquàm ridere visus est, ac ne subridere quidem. Aristoxenus, qui & ipse valdè à risu abhorret. Videatur Ælianus lib. 8. Var. Hist. cap. 13. & ad eum Joh. Schefferus.

§. III. In hanc classem referendus est ille Aglaitadas Persa, ordinum dactor in exercitu Cyri,

i, qui, aliis in jocos & lætitiã solutis, solus hoc genus voluptatis aspernabatur, & alios, qui hilaritatem vultu, facetias in sermone præ se ferebant, *Αλαζονας* appellabat: longè minoris æstimandum esse dicens, si quis risum amicis excitet, quàm qui eos inducat, ut sedentes plorant. Unde Hytaspas ei dixit: *Ex te facilius quàm ignem excusseris, quàm risum elicueris.* Ad quam sententiam eum & alii, qui genium ipsius nõssent, viderent, & leniter subrideret ipse etiam Aglaitas; tàm Cyrus ad Hytaspam conversus: *insurians*, inquit, quòd, dum huic, ut rideat, persuades, hominem maxime ferivum nobis corruptoris, presertim, qui adeo risui sit infestus. Xenophon in Cyri pæd. lib. 2. c. 47. & 48.

§. IV. Nimis etiam impatienter tulit scomina Theocriti Chri Rex Antigonus, qui veniam & vitæ ei antea pollicitus fuerat. Nam cum Theocritus quasi puniendus ad ipsum raperetur, clamantibus eum amicis, ac spem pollicentibus, quòd omninò elementiam Regis experturus esset, cum ad ejus oculos venisset, respondit: *Ergò impossibilem mihi dicitis spem salutis.* alludens id unoculum Regem, cujus utique oculos subire non posset. Licet autem Rex hoc sui corporis ledecus aliàs æquò animo & faceto sermone ferret, (cujus vel illud argumento est, quòd, cum aliquando supplicem accepisset, grandibus extratum literis, dixerit, *hac vel cæco clara sunt*) amen ita indignatione exarsit adversus Theocritum, ut malè dicacem luce statim privati jufferit. Macrobius. l. 7. Saturn. c. 3.

## CAPUT XI.

DE

## JUSTITIA.

## APHORISMUS I.

Justitiæ universalis laude sunt insignes, qui legibus, in bona Republica latis, ita obsequium præbent, ut nemini injuriam faciant, & plerasque omnes suas actiones ad Reip. commodum referant.

§. I.

**C**um è re & methodi lege visum esset Aristoteli, probare existentiam Justitiæ Universalis, ex opposito injustitiæ habitu illam declarat, eadem operâ evictum putans, esse, qui eam vitæ rationem morum innocentiam & integritate confitentur, ut legibus ad salutem reip. ordinatis debi-



debitam observantiam præstare, & bonorum ac justorum civium existimationem famamque mereri intelligantur.

§. II. Et sanè in ipsa bonorum paucitate non defunt, qui istam virtutem suis exemplis in se representant: Exhibet utique & ipsa sacra Philosophia, quæ aliàs mortalium pravitate à stirpe inquit, justos & mandata DEI custodientes in veritate & corde perfecto, Abrahamum, Davidem, Josuam, Jobum, Ezechiam, Zachariam, Elisabeth: quod quidem dictum esse secundùm quandam inter homines conversationem probabilem atque laudabilem, quam nullus hominum posset justè in accusationis & criminationis querelam vocare, eruditè exponitur ab Augustino lib. 1. de gratia Christi contra Pelag. cap. 48.

§. III. In media vitæ civilis harenâ sistunt se nobis non tantùm illa justitiæ corcula, Philosophi Pythagorici, & post istos, Socrates, Plato; sed & in præceptorum istorum ludis edocti, præceptis firmati, *γυμνασι*, & benè nati educatique discipuli, quorum agmen meritò ducit Aristides Atheniensis, eò probitatis progressus, ut, tractò in sui appellationem ipsius justitiæ nomine, primùm admirationem, dein, ut fieri amat, invidiam improborum sibi accersiverit: quanquã ille, parum pensi istâ habitâ, de amante recti animo adeò nihil remisit, ut, cùm plebs aliquando confluxisset, ad dimittendos urbe eos, qui, propter autoritatem aut potentiam, minuendæ libertatis suspicio-

suspicioni obnoxii erant, quod genus Timocrati-  
tici instituti Ostracismum vocabant, jamque in  
suffragia iretur; ab aliquo imperito scribendi, &  
ignaro, quis esset, rogatus; *ut scriberet in testulam  
nomē Aristidis*, damnandi scilicet & ejiciendū; ipse  
nihil cunctatus, morem gereret, postquā compe-  
rerat, damnandum se esse, non propter aliquod  
facinus, sed quod passim vocaretur *Justus*, *o  
summa probitas & aliō, quā illo populari theatrō  
digna!* exclamat Lipsius qui ex Plut. illud refert  
lib. 1. monit, & ex. Pol. c. 7. ex. 1.

§. IV. Integritatis hujus uti æmulus, ita cala-  
mitatis haud paulò acerbioris socius extitit ci-  
vis Aristidis, Phocion, qui ex integritate vitæ  
cognomen *Boni* accepit. Is cum in odium civi-  
um incidisset, jamq; ad supplicium esset ducen-  
dus, haberetque obvium Emphyletum, quō fa-  
miliariter aliàs fuit usus, eundemque lachry-  
mantem audiret; tremulā hāc voce mixtā; *o  
quā indigna perpeteris Phocion!* subjecit hi: *et  
non inopinata tamen, hunc enim exitum plerique  
clari viri habuerunt Athenienses*, Corn. Nep. in  
vita c. ult. §. 3. Hic est ille Phocion, qui ex mini-  
stris munera sibi ab Alexandro apportantibus  
quæsit: *quā de causa in multis Atheniensibus  
tantā benignitate se dignum estimaret Alexander?  
cui confestim responderunt Legati; quod Te exis-  
timet unum virum bonum & honestum. Ergo sinat  
me, inquit Phocion, talis ut & habear, & ut sim.*

§. V. Cæterum dum versor in campo viro-  
rum bonorum ac justorum, subit illud Taciti, Hi-  
stor.

**Hor. lib. 1. cap. 3. §. 1.** *Nullum adeò virtutum  
sterile foculum fuit, ut non & bona exempla prodas.  
Singula persequi & velut per saturam enumera-  
re, quid esset aliud, quàm in medio flumine qua-  
rere aquam? sufficiat ergò nunc, summa sequi  
fastigia, & integras potius gentes, velut indice  
digitò monstrare, quarum mentes occupavit*

*Compositum jus fasque animi sanctiq; recessus  
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.*

Perf. l. 2. vers. antep.

Quod dum animò agito, verum esse deprehen-  
do, quod Plato in Philæbo ait: *priscos homines  
nobis esse prestantiores, & ad Prometheum propius  
accedere, qui primus ignem scientiarum intulit  
mortalibus.*

§. VI. Ejus sententiæ fuisse Tacitum, ar-  
gumento est, quod differit lib. 3. annal. c. 26. n.  
1. *Vetustissimi mortalium nullâ adhuc malâ libidi-  
ne, sine probro, sine scelere, eoque sine pœna aut coër-  
sitionibus agebant: neque premiis opus erat, cum  
honestâ suapte ingenio peterentur; & ubi nihil cõtra  
morem cuperent, nihil per metum verabantur. Tã  
sancta gestârunt pectora Scythæ veteres, quibus  
justitia ingenis culta, non legibus:-- prorsus ut ad-  
mirabile videatur, hoc illis naturam dedisse, quod  
Græci longâ sapientum doctrinâ, præceptisq; Phi-  
losophorum consequi nequeunt, cultosquo mores  
inculta barbarie collatione superari. Verba sunt  
Justinii lib. 2. c. 2. n. 5. & 14. Eandem sanctitatem  
confectati sunt prisci Romani, de quibus Sallu-  
stius in Catil. c. 9. *Jus bonumque apud eos non le-  
gibus**

*gibus magis, quam natura valebat: Germani, de quibus Tacitus cap. 19. n. 6. Plus ibi valent boni mores, quam alibi bonæ leges: Massilienses, de quibus Justinus lib. 43. c. 4. n. 12. Bene instituta illic, non temporum necessitate, sed rectè faciendi consuetudine servantur.*

§. VII. Penetravit hæc Dea ad ipsos etiam Æthiopes, quos *Justissimos & sanctissimos* fuisse Herodotus prodidit lib. 2. quibus nominibus eam sibi parârunt benevolentiam, ut *Jovem cum omnibus Deis convivii causâ ad eos profectum esse* scribat. Indi ante Liberum patrem adeò tenaces fuerunt justitiæ, ut exteræ gentes nunquã appetiverint bello, ne quid parùm justî admitteretur. Arabes Persæque eam sibi laudem comparârunt, ut soli mortalium fidem servâsse crederentur. *Tanti enim fidem fecere, ut humanam societatem cum fide tolli putarent, contraq. utilitatem fides illis semper antiquior fuerit.* Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 10. Venetorum ea fuit integritas in judicando, ut passim Christiani Principes, eisque subditi, communi consensu remitterent ad *bonos Venetos* (sic enim appellabant si quod negotium difficultate suum excedere videretur acumen. Latîus explicarem vela, & nostræ etiam ætati denuntiarem exempla, nisi illud Ovidii autem vellicaret, quod de ferreo seculo pronunciat i. Metam. fab. 5. vers. 149.

*Victa jacet pietas, & virgo cæde madentis  
Ultima cælestium terras Æthiæ reliquit.*

## APHORISMUS II.

Pessimus mortalis est,  
 qui & erga se ipsum, &  
 erga amicos pravitate  
 utitur: ipseque talis ha-  
 bitus non pars vitii, sed  
 totum vitium est.

## §. I.

**M**onstrum hoc, ex horrendis & maximè no-  
 xiis flagitiis conflatum, his verbis depingi-  
 tur in lib. de virtut. & vitiis, qui libris Aristote-  
 lis Ethicis subjungi solet: *iniquitatis est, mores  
 ritusq; patrios prevaricari, legibus, & auctoritati  
 publicæ subesse non velle, mentiri etiam, ac pejera-  
 re, pactaq; transgredi, & fidem fallere. Hanc ca-  
 lumniam, jactantiaq;, ac humanitatis simulatio,  
 & perversitas, dolusq; malus sequuntur. De eâ-  
 dem loquitur Seneca lib. I. de clem. c. 26. Quod  
 istud, inquit, Diis boni, malum est, occidere, sevir-  
 re, delectari sonû casenarum, & civium capita  
 decidere, quocunque ventum est, multum sangui-  
 nis fundere, aspectum suû terrere ac fugare?*

§. II. E quibus apparet, vitium hoc non ni-  
 si tyrannis ferè proprium esse, idque æstimand-  
 um, non ex uno aut altero actu tyrannico,  
 sed ex congerie atrocissimorum scelerum, qui-

bus honorum damna, & clades, salutisque publicæ everfionem, homines conclamata improbitatis moliuntur: nam & ipsum tyranni nomen summa impietatis significationem conjunctam habet; injurias sceleraque omnia complectens, qua inter homines solent versari; scribit Polybius lib. 2. Hist. c. 59.

§. III. Huc igitur referenda sunt illa vitiorum mancipia, quæ produximus jam supra P. I. Aph. XII. His nunc succenturiatos dabimus alios, qui honestati velut bellum indicentes, fractis legum repagulis, nihil pensi neque sancti habuerunt. In ejus, si Dîs placet, exercitûs acie collocabimûs Lyfandrum, qui vituperantibus quibusdam sese, ob violatum jusjurandum, quod Miletî dixerat, respondit: *pueros talis, viros sacramentis decipiendos esse.* Eius latus & tergum cingat Antigonus Senior, qui Sophistæ cuidam, librum sibi offerenti, ubi de Justitiâ agebatur, dixit: *Desipio, qui, cum me videas urbes alienas armis vexantem, apud me de Justitia differis.*

§. IV. Nefarium etiã animum, & omnis honestatis contemptorem arguit vox Catilinæ, hominum, quos terra unquam sustinisse, sceleratissimi. Nam cum Cicero in Senatu in presentem reum, & de machinatione subverfionis patriæ convictum, pertrâffet, ipse furore ardens *incendium suum ruinâ se restincturum* est minatus. Florus l. 4. c. 1. n. 7. Equè inhumana ac intestabilis fuit vox Neronis, cum coram ipso quidam recitaret Græcum senarium *πυρρίων δὴ:*

*Ἡμεῖς δὲ τὸν γαῖα καὶ πυρὸς ἵε, i. e.*

*Memortuo conflagret humus incendio.*

Subjecit ille; *ἴμο ἐμὲ ζῶντος, me vivō*: alludens ad urbis incendium, quod animo fortè jam conceperat, & paulò post repræsentavit. Suet. in vitâ c. 38. & Eras. Adag. Chil. 1, Cent. 3, Adag. 89. Hic est Nero, de quo scribit Tacitus lib. 16. Annal. 2, 21. quòd *virtutem ipsam excindere concupiverit, interfecto Thraseâ, Pato, & Barea Sorano.*

§. V. An Justinianum Imperatorem h. l. memorabimus? an potius parcamus manibus ceterâ insigniter meriti, saltem in flore imperii, & pietatis suæ, de justitiâ viri? Sed præstringunt oculos non Procopii tantùm, & Evagrii, & Alemanij testimonia, verùm ipsius etiam Zonaræ (sinceræ fidei historici, juxta calculum Alexandri Brassicani J Cti Præfat, in Salvianum) Tom. 3. Annal. p. 128, quò ipso Tomo præ aliis imprimis fidei laudem ab eruditis est assecutus. Is ergò scribit, *fuisse ad pœnam irrogandam eiq, promptum, atq, ad crimina audienda, pecuniam & temerè profudisse, & per fas ac nefas comparâsse, aliam in edificia, aliam ad exequenda consilia sua, aliam in rem bellicam & contentiones eorum, qui voluntati ipsius adversabantur.* Quid? quod confidenter Gerh. Joh. Vossius pronunciare non dubitat, lib. de Poët. Lat. c. 9. *Fœda Justiniani vitia non Procopius modo, sed alii etiam historici referunt.*

§. VI. Sed quia istam maculam ingentibus virtutibus expiavit Augustus ille, per me quidem sit divus, & volitet divus in ore virùm: suo autem

tem majore meritò criminis ejus intentationem in se recipiat Phocas Imperator. Is cum imperium malis artibus & cæde Mauritiî Imperatoris, hujusque conjugis & liberorum partum acquisivisset, non melius administravit, quam acquisiverat, nullò crudelitatis, perfidiæ & luxuriæ genere omisso. Nam & Narsotem Persam, à se deficientem, subdolis verbis, promissâ impunitatis spe, ad se vocatum, contra datam fidem vivum cremavit, & cum immodicâ ebrietate hanc populi vocem in se concitasset: *Rursus vinum bibisti, rursus mentem amisisti*; ita insaniam est correptus, ut multis membra præciderit, multos necaverit: teste Cedreno apud Zonaram p. 132. b.

§. VII. Ita scilicet non nisi in magna fortuna nimium sibi licentiæ sumit ista generis humani pestis, injustitia, privatorum utique animos occupatura, si vires & facultatem in iisdem reperiret. De iis enim, qui in tenui fortuna sunt constituti, verissimum videtur esse, quod graviter scribit Seneca Epist. 42. *Multorum, quia imbecilli sunt, latent vitia, non minùs ausura, cum illis vires sue placuerint, quam illa, que jam felicitas aperuit. Instrumenta illis explicanda nequitie desunt. Sic tuto serpens etiam pestifera tractatur, dum riget frigore. Non desunt tunc illi venena, sed torpent. Multorum crudelitas, & ambitio, & luxuria, ne paria pessimis audeat, fortune favore deficitur. Eadem velie eos cognosces, da posse, quantum volunt.*



## APHORISMUS III.

Justitiæ particularis una species est, quæ cernitur in divisionibus, aut honoris, aut pecuniæ, aliorumve, quæ parti-ri homines solent inter eos, quorum est communis Respublica: & hæc Distributiva appellatur.

## S. I.

**F**undamento hujus justitiæ niti legem XII. Tab. quâ vetabatur, *ne plebeji cum Patriciis conjugia inirent*, innuit Bôdinus lib. VI. de Rep. c.6. Eam violaturus Canulejus, ut plebejis etiam ad Consulatum via aperiretur, gravem sibi apud Patres conflavit invidiam, quærentes, *collusionem gentium, perturbationem auspiorum publicorum privatorumq; afferrî, ne quid sinceri, ne quid incontaminati sit: ut discrimine omni sublato, nec se quisquam, nec suos noverit; nullam enim vim connubia promiscua habere, nisi ut ferarum prope-*

ri:u

ritu vulgenter concubitus plebis Patrumque, ut, qui natus sit, ignores, cujus sanguinis, quorum factorum sit, dimidius Patrum sit, dimidius plebis, ne secum quidem ipse concors. Liv. lib. 4. c. 2. Hinc aded paulò post, factum est, ut *Virginiam Aulifstiam, patriciam, plebejo nuptam, Volumnio Còsuli, matrone, quod è Patribus enupsisset, sacris arcerent*: referente eodem Livio Lib. X. c. 23. Est nimirum hoc arcanum Dominationis Aristocraticæ, ut connubiorum dignitate à vilioribus distinguantur, quos virtutis seu propriæ seu majorum splendor in eminentiore loco & dignitate collocavit. Vide Clapmarium in Arcanis Rerum publ. lib. III. c. 21. Bernegg. in Germ. Taciti quæst. 177.

§. II. *Magis conspicua est ratio hujus justitiæ, rectè monente Phil. Melanchthone Epit. Philos. Moralis p. 75. in omni vitâ, publicâ & privatâ, ut scilicet personarum & ingeniorum mores doctesque observentur, & juxta eos functiones & negotia tribuantur. Ita justa fit distributio, cum Cicero in urbe, negotiis civilibus ordinandis & regendis compescendisque, efficaci oratione hominum animis præficitur, Mario verò Imperatoris militaris officium assignatur; cum (ut alterum etiam exemplum liceat accipere ab eod. Philippo p. 392.) Mercurius, Caroli V. orator, muneri Cancellariis admoveatur, Salzburgenfis ad munus Questorinus adhibetur.*

§. III. Præcipuè ad intelligentiam hujus justitiæ facit, ut sciamus, dignitatem, cujus respectu

du bona distribuuntur, variare secundum diversitatem bonorum, quæ variis Rerump. formis aliæ atque aliæ sunt propositæ, ita ut in Democratia libertatis, in Oligarchia divitiarum aut nobilitatis, in optimatum Rep, virtutis potissimum ratio habeatur, & ut secundum harum copiam, ampliorem minoremve, præmia distribuantur, aut onera imponantur: sicut id monet ipse Aristoteles c. 6. & ex eo observat Thomas II. 2. qu. 61. Artic. 2. in Conclus.

§. IV. Usus ejus Justitiæ imprimis multus & frequens est in vita militari, ubi luculentius stipendium refert & tribunus, quam miles gregarius, & Imperator, quam tribunus ipse; & si præda distribuenda fuerit, opimiorum nanciscetur partem Ajax, quam Ulysses; deses autem aliquis Therfites vel nihil, vel parum capiet. Executus hanc virtutem diligenter est Alexander M. quando patefactâ sibi in Orientem, fortitudine militum suorum, viâ, copiarum Duces coronis, & mille aureis singulos donavit, ceteris quoque proportionem aut gradus, quem in militia obtinebant, & navata opere honos habitus est. Curtius lib. 9. c. 1.

§. V. An juvat in laudis hujus societatem, admittere Ecclesie Romanæ Clementem IV? Quid verò ille? Habebat nepotem, ex filia, ante Pontificatum suscepta, matrem & ditatum tribus Patrimoniis Ecclesiasticis seu Præbendis, Canonicatibus hodiè dictis. Huic optionem facit, ut ex tribus, quos possideret, duobus relictis, unum retineret, necessitati & dignitati suæ

fuffi-

sufficientem. Aegrè ferentibus amicis, & flagrantibus, ut potius plura & majora beneficia prioribus adderet, quàm ut possessa auferret, piè ac prudenter respondit: *Deum ita velle, ut sua in pias causas erogarentur, nec esse dignum Petri successorem, qui plus cognationi, quàm pietati & Christo tribueret.* Memorans hæc Platina invitâ, tale iudicium interponit: *Utinam nostræ ætatis Pontifices imitati essent, & Deo, non autem carni & sanguini acquiescerent.*

§. VI. Etsi verò Aristoteles virtutem hanc ad publicas potissimum societates accommodaverit, non tamen in privatis etiã confociationibus deest occasio ejusdem exercendæ. Quod enim in publicis conjunctionibus præstari debet, intuitu meritorum in publicum commodum redundantium, id considerandum est in privatis quibusvis congressibus, certâ lege constantibus, ubi variant merita, incrementum tãlium procurantia. Ita ferè se res habet apud mercatores, qui collatis in commune pecuniis, pro diversa quantitate, adeoque dignitate, eò plus aut minus lucri inde referunt, quò magis, aut minus negotiationis ejus augmenta pecuniã suã collatitiã juverunt. Idem docet H. Grotius lib. 2. de J. B. & P. c. 12. vers. 24. his verbis: *In societate negotiatoriã, ubi confertur pecunia cum pecuniã, si pecunia æquales sint, oportet etiã esse æquales partes in damno & lucro; sin inæquales fuerint, partes quoque fiant pro re nata: quod Aristoteles sine VIII. Nicom. sic extulit: 'Εν ζήτησίν των κοινων πλειον λαμβανουσιν οι συμβαλλόμενοι πλειον.*

Atque

Atque idem habebit locum, si opera aequales aut in-  
 :quales conferantur. Sed & opera cum pecunia,  
 ut cum pecunia & cum opera conferri potest, ut di-  
 :i solet :

*Pro pari datum hostimentum est opera pro pe-  
 cunia.*

§. VII. Atque ita habet se distributio bono-  
 rum, ad totam aliquam communitatem perti-  
 nentium, & in singulas ejus partes, pro diversâ  
 dignitate, conferri solitorum. Est autem præ-  
 :erea ejusdem virtutis, onera & mala, quæ ob  
 :conservationem integræ alicujus societatis im-  
 :poni necesse est, ita partiri, ut itidem secundum  
 :proportionem Geometricam meritorum habeatur  
 :ratio. *Etsi enim Aristoteles rerum bonarum  
 :mentionem tantum facit, & eæ quoque præcipuè  
 :sue spectant, his tamen verbis etiam mala insinuat,  
 :que ad totam communitatem pertinent; uti scri-  
 :bit Hornejus Doctrinæ Civilis lib. 3. c. 12. §. 1.  
 Et in eam sententiam laudat Thomam in Com-  
 ment. ad V. Eth.*

§. VIII. Ad hujus igitur justitiæ normam,  
 conformatur etiam impositio tributorum, que  
 in omnes ordines, pro singulorum facultatibus, ex-  
 :uari debent, rectè ita judicante Bodino lib. 6.  
 de Rep. cap. 2. p. m. 1033. quid enim, ait porro  
 iste Politicus, absurdius, quam apud nos tria ho-  
 :minum genera, sacerdotes, inquam, nobiles ac  
 :magistratus ferè omnes, omnia tributa in miseros  
 :pifices & aratores rejicere? Non tamè insuper ha-  
 :renda est prorsus restrictio Keckermanni, Cur-

sus Philos. disp. 14. probl. 11. alia, inquit, plane est conditio eorum, qui Ecclesia, Reip. Scholis doctrinâ sua & ingenio inserviunt, & salarius non ita magnis contenti, bona reip. & latifundia nulla possident; his in salarii ac debite mercedis partem computetur illa publicorum onerum immunitas; & si quid his ad publicas pensiones defalcaretur, non verca videretur Respublica, que brevi tempore tantum penè filiis ac ministris detraheret rerum, quantum pro labore ac operâ publicâ solvisset mercedis.

§. IX. Ex hoc fonte fluxerunt privilegia amplissima, quæ ab Imperatoribus, jam à longissimis ætatibus, sunt constituta Professoribus. Talis est lex Vespasiani & Hadriani, qui rescripserunt, Grammaticis & Oratoribus, Medicis & Philosophis immunitatem fuisse indultam, ut vacationem, ita &, ne hospitem reciperent, teste Arcadio Charisio. Paullus Jctus L. 10. ff. de vacat. & excusat. munerum: Angariorum præstatio, & recipiendi hospitis necessitas, & militi, & liberalium artium Professoribus inter cetera remissa sunt. Constantinus Imperator codicis Justiniani lib. 10. tit. 52. Medicos & maxime Archiatros, vel ex Archiatris Grammaticos & Professores alios literarum, & Doctores Legum, unâ cum uxoribus & filiis, nec non & rebus, quas in suis civitatibus possident, ab omni functione, & omnibus muneribus vel civilibus vel publicis immunes esse præcipimus, & neque in provinciis hospites recipere, nec ullo fungere. — mercedes etiam eis, & salaria red-

*di jubemus, quo facilius liberalibus studiis & memoratis artibus multos instituant.* Eundem honorem confirmârunt Honorius & Theodosius ut paullò pòst in eodem titulo indicatur. Adatur Arnif. de Jur. Majest. lib. 3. cap. 7. §. 2.

## APHORISMUS IV.

Injustitia in distributionibus committitur, cum vel benè meritis præmia denegãtur, aut minora quàm par est, tribuuntur; vel solis pauperibus, & tenuioris conditionis hominibus onera imponuntur.

§. I.

**P**Rius fit, ubi bonus ignavusq; juxta habentur: vel, quod in Romanâ rep. evenisse queritur. Cato apud Sallust. in Catil. cap. 52. ubi inter bonos & malos nullam discrimen est, omnia virtutis præmia ambitio possidet. Hòc ipso nomine re-

prehendit Aristoteles Carthaginenses lib. 2. Pol. cap. 9. quod censuerint in magistratibus mandandis non virtutis tantum, sed etiam divitiarum habendam esse rationem: quod quidem institutum duplici potissimum nomine reprehendit; primo, quod istac ratione magistratus, iique summi, quaestui exponantur & digniores excludantur; deinde, quod cives inducantur, neglecto virtutis studio, magis quaerendis divitiis operam dare.

§. II. Philippus Melanchthon Enarr. 1. 5. Eth. p. 395. ejus injustitiae exemplum ostendit in Saule, qui accensus emulatione, noluit tribuere Davidi locum in republica, quem merebatur, cum non agnosceret Dei dona in illo, data propter communem salutem, amanda & fovenda esse, Deo gratias agendas esse pro munere, cuicumque dederit, gaudendum, propter communem salutem, si successus major secuturus esset. De Theodosio M. Imperatore refert Suidas, quod affligerit rempublicam, magistratus conferendo, non iis, qui eos gerere possent, sed qui auro, avaritiam eunuchorum explerent.

§. III. De Guilielmo, Roberti Normanniae Ducis filio, Flandriae Comite creato, Paullus Aemilius: magistratus venundabat, nullam ratione virtutis, nobilitatis, meritorumve, aut communis salutis habitam, dignitates officiaque, quaestui habebat, Decuriones, Vergobretos, Consules pretio habebat, cuncta illi pecunia viliora erant. De Ludovico XII. referunt Historici Gallici, e-



um, ut populo parceret, ad dissolvendum es alienū ab antecessore Carolo VIII. contractum, ad redimendum item Ducatum Mediolanensem, aliisque de causis, primum ex Regibus Gallie fuisse, qui regaliā vendiderit. Quæ quidem exempla postrema debeo Piccarto Dec. 2. observ. hist. Pol. c. 4.

§. IV. Exempla verò eorum, qui nimis exactiōibus miseram plebem excoriârunt, ditioribus exemptis & levatis, omnis ævi historia supeditat. Collegit talia Forstnerus Notar. Pol. ad Tac. P. 1. p. 447. inprimis Carthaginensium, Romanorum, Gallorum, Florentinorum, Danorum, Hispanorum, qui omnes, intolerandis vexationibus & tributis, odium plebis & damna sæpè irreparabilia sibi accersiverunt.

§. V. Idem vitium invaluisse non ita pridem in regno Gallie, refert diligentissimus rerum Gallicarum scriptor, Gabriel Barthol. Gramondus lib. V. hist. per publicanos; *gentem perniciosam regibus, populis exitiosam (cui debitum est, ut ipsemet ait, quodcumq; patimur) gentem desidiosam & nequam, quam explende necessitati publica satius esset vomere, quodcumque devoravit, quam desolari penitus per tributa provincias: horum namque libidini subjacent privata omnium fortune per inhibita rerum commercia, quas gratis natura impertivit. sic salis usus, per abusum venalis est, hinc leges salinariae, per quas sal, nature donum, venale prostat, pretiò toties auctò, quoties novâ pecuniâ opus, ut in presens in centuplum crevisse dici possit rei æstimatio, ex quò pretium illi fecerunt*

*runt publicani: augetur subinde in immensum magistratum numerus; ex decemvirali centumvirale iudicium fit; his populi sanguine implentur ingentisque palatia pretia constant, per hac deliciis immerguntur, quas auri profusio facit.*

§. VI. Et ea fortuna plebis in Gallia fuit anno seculi præsentis vigesimo. Hodiè mitius cum eadem agi, conjecturam facit recens fama, nūcians, sacerdotibus quoq; onerum ferendorum aliquam partem imponi, adeoque superari querelam Bodini, cujus paulò ante mentio à nobis facta. Quàm verò iniquè actum sit cum plebe in urbe Neapolitana, ante hos ipsos viginti annos, prolixè refert Brachelius in historia nostri temporis ad Annum 1647. Nam cum primùm cives, aucti privilegiis Ferdinandi Regis & Caroli V. Cæsaris, modica tributa haud inviti penderent, dein intemperantiùs gravati, præsertim illis, quæ publicæ annonæ, ac rebus ad victum necessariis, etiam pomis ac oleribus, similibusque hortensibus fructibus imponebantur, patientiâ plebis in furorè erupit, nec antè sedata fuit, quàm, duce Masanielò, bona & ædes eorum, qui exigendis vectigalibus præpositi erant, ferro & igne corrupisset, ac demùm orbata Duce suò trucidato, datâ interim pœnitentibus veniâ à Rege, per Ducem Guisium in ordinem redacta fuisset. Adcò verum est, quod aliàs in Britannis observavit Tacitus in Agric. cap. 13. n. 1. *ipsi delectum ac tributa, & injuncta imperii munera impigre obeunt si injuriæ absint.*

## APHORISMUS V.

Altera Particularis Justitiæ species, pro duplici contractuum spontaneorum ac invidtorum genere variat: & primò quidem Commutativa ἐξαίρετως & κατ' ἐξοχήν, moderatrix contractuū spontaneorum, quales sunt: emtio, venditio, locatio, conductio, usura &c.

§. I.

**O**fferunt hęc se primùm exempla virorum bonorum, emtionis & venditionis contractus bonâ fide & citra aliorum fraudem ac dâmnium dirigentium, unde etiam quibusdam hæc

justitiæ particula *Directrix* vocatur. Hanc laudem affectasse Thuriacos, refert ex Theophrasto Stobæus ferm. 44. Juebant enim illi populi, si quis domum emisset, sacra facere in Apollinis Epicomæi fano, si verò prædium, in vico, quem inhabitabat, & jurare coram magistratu, quòd reverà justè emat, nec fraudulenter agat, nec arte dolové utatur ullò. Eodem modò vendentem quoque jurare juebant, quòd sine dolo malo vendat: ei verò qui non habitabat in urbe, pro jurejurando sacrificandum erat in Jovis Agoræi i.e. forensis delubro, & paucioribus libis sacrificium peragebatur, secùs à magistratu non inscribebatur.

§. II. Haud paulò majorem commendationem meretur illud, quod à Carthaginensibus acceptum memorat Herodotus lib. 4. §. 126. de Africanis quibusdam, extra columnas Herculis habitantibus, ad quos quoties Carthaginenses venerunt, soliti sunt merces è navibus exponere, easque in crepidine terræ deinceps collocare, tum conscensis navibus fumum excitare, fumò autem conspectò indigenæ ad mare cõtèdere, dehinc, aurò pro mercibus depositò, rursus illinc abscedere, sed non extra conspectum: tum illinc è navibus egressi pretium considerare, & si dignum mercibus videatur, eò sumtò abire? sin minus, conscensis iterum navibus considere, illi verò accedentes plus auri ad id, quod deposuerunt, addere, donec persuadeant. Neutri autem alteris injuriam intulerunt, neque emtores  
 conti-

contigerunt merces, priusquam ipsi sumserint aurum. *Ætatis aureæ* homines hos fuisse, quos non nisi prisca Saturni regna tulerunt, quis non perspicit?

§. III. Sapit tamen istam integritatem memorabile illud Philosophi cujusdam Pythagorici. Emerat is à sutore calceos, dilatâ ad paucos dies solutione: ubi tempus condictum venerat, rediit ad tabernam, pretium numeraturus, cumque clausam januam diu pulsaret, fuit qui diceret: *quid perdis operam? atqui sutor ille quem quaeris, jam defunctus & elatus est.* Ille igitur, velut lætabundus, cum pecuniâ domum rediturus, inter vias facti conscientiam agitatus, ad tabernam reversus, pretium per rimam, quâ se commissura laxaverat, projiciens, *atqui mihi,* inquit, *vivit, qui sibi mortuus est;* pœnas à se ipso exigens improbæ cupiditatis, ne assvesceret alieno. Refert Jamblichus in vita Pythagoræ.

§. IV. Ex eodem probitatis studio manavit illud Q. Scævola, Publii filii, qui cum postulasset, ut sibi fundi, quem emere in animo habebat, pretium indicaretur, idque venditor ita fecisset, agnovit pluris æstimandum, & addidit centum millia. Cic. 3. offic. cap. 15. Dignus hic vir erat, qui cum in tenebris micares, & cui etiam injurato crederes;

§. V. Ex justitiæ hujus commutativæ lege statuuntur & solvuntur salaria ac stipendia iis, qui reip. operam suam ad publica officia administranda addixerunt, uti juxtâ cum recentiori-

bus jam olim rectè docuit Thomas II. secundæ quæst. 61. artic. 4. ad 11. Vespasianus Latinis Græcisque Rhetoribus annua centena constituit; ea reddunt bis mille quingentos Philippeos. Constantius Princeps, sub Augustis Diocletiano ac Maximiano, Eumenium Rhetorem & Doctorem, in scholis Augustoduni salarium in sexcentis millibus nummum accipere jussit, notante Lipsio lib. 4. de magnit. Romana cap. 10. & ep. 85. ad fam. Famam sibi inde paravit M. Antonius Pius Imperator, qui Rhetoribus atque Philosophis per omnes provincias, & honores & salaria detulit, multis verò, quos otiosos videbat, salaria detraxit; dicens: *nihil esse sordidius, imò crudelius quam si rempub. ii arroderent, qui nihil in eam suo labore conferrent*: teste Capitolino, cap. 7.

§. VI. Illa verò Leonis M. in Oriente Imperatoris vox ambigit inter justitiæ & liberalitatis laudem. Is namque eunucho cuidam suo indignanti, quòd effusius præmia doctis largiretur, quæ rectius militibus tribui possent, *apage verò*, inquit, *inepte, cum militibus tuis, mihi hoc unum votum, ut stipendia militum, salvo imperio & finibus ejusdem, liceat in doctores artium impendere.*

§. VII. Cum hujus justitiæ regulâ congruunt usuræ pecuniarum in fœnore positarum, quæ quia alterius usui inserviunt, rectè carentia usûs fructûs, quem possessor habere poterat, si sibi retinisset, præsertim, quia pecuniam suam periculo pereundi exponit, compensatur certâ ali-

quâ

quã pensione quam vir prudens, & circumstantiarum exactam rationem habens, determinaverit. Cæterum, ut rectè docet Didacus Covarrurias Variar. Resolut. lib. 3. c. 4. *si rem istam diligentius examinabim9, deprehendemus, usuras, quas venditor v. g. intali casu percipit, non esse verè usuras sed rei propria persecutionem, qua deducitur ab equitate justitie commutativa, que in equalitate consistit; scribit Aristoteles lib. 5. Eth. c. 5. & in eo versatur, quod quatenus unus contractantium implet, debet alter vicissim implere, aut implenti solvere lucrum implementi recepti, ne sequatur inaequalitas inter commutantes. Unde consequitur, (pergit paulò post Covarruvias) usuras lucratorias omni in re improbas esse: usuras autè recompensatorias omni jure admitti, quia dantur in compensationem ejus, quod justè competeat, & debitum erat, eas recipienti, quodque ipse justissime habiturus esset secundum Baldum. Haud paulò clarius H. Grotius in eam rem scribit lib. 2. de J. B. & P. c. 12. §. 21. esse quadam, que ad usurae speciem accedant, ac vulgo usurae esse videantur, cum tamen pacta sint generis alterius: ut de repensando damno, quod facit, qui pecuniam dat mutuatam, eo quod diu pecunia careat, item de lucro ob mutui dationem cessante, deducto scil. incerto spei, & labore, qui subeundus fuerat.*

§. IIX. Exemplis non aliis hîc opus esse videtur, quàm Imperatorum Augustissimorum, qui certis legibus licentiam usurarum circumscripterunt, quales præter edicta de usuris quæ extant

Cod.

Cod. lib. 4. tit. 32. de Usuris, complures sancitz passim sunt in Recessibus Imperii, quibus omnibus addi imprimis meretur sanctissima, quæ in Instrum. Pacis Osnabrugensis, nostrâ ætate est promulgata, lex de Indaganda aliquâ ratione & modo æquitati conveniente, quî persecutiones actionum, contra debitores, ob bellicas calamitates fortunis lapsos, aut nimio usurarum cursu aggravatos, moderatè terminari, indeque nascituris majoribus incommodis, etiam tranquillitati publicæ noxiis, obviam iri possit.

## APHORISMUS VI.

Alteram officii sui partem exequitur justitia Commutativa, cùm contractus invito i. e. alterâ parte ignorante aut repugnante initos, ad æqualitatem ita reducit, ut neutra de injuria sibi illatâ conqueri possit: quod dum facit, Emen-



# dativæ vel Correctivæ nomen induit.

## §. I.

**A**D Commutativam Justitiam pertinere exæquationem lucri & damni (utrâq; voce paulò latius acceptâ, pro boni aut mali cujuscunq; datione & acceptione) inde probat Aristoteles l. 5. Eth. c. 7. quòd *ad solam nocumenti differentiã lex spectet, perindeque personis utatur, ac si æquales sint, si ille injuriã afficiat, hic afficiatur, hic ledat, ille ledatur: hinc injuriam istam, cum sit iniqua, æquare judex conetur: nam cum hic percussus sit, ille percusserit, hic interfecerit, ille interierit, affectionem & actionem in partes non æquales divisam esse, ait, sed judicem de lucro detrabere damno, ut partes eas ad æqualitatem redigere conetur.*

§. II. Ita Aristoteles naturam justitiæ Commutativæ satis clarè & nervosè exponit, simul non è difficili cogitandum relinquens, exquisitè distinguendam esse irrogationem pœnarum propriè dictam, quæ justitiæ universalis officium est, & ad Magistratus, ut communis tranquillitatis custodem, vindicemque læsæ autoritatis publicæ propriè pertinet, ab exæquatione damni, quod alteri, seu ignoranti, sive repugnantì illatum est, quæ etsi à privatis sæpenumerò institui queat, sæpius tamen & plerunque exercetur à Judice publico, extra affectum privatorum periculum constituto, & negotiorum ac controversiarum litiumque civilium peritiore.

## §. III.

§. III. Emendantur itaque contractus tales inviti, quando, ut non nihil sequamur ordinem Aristotelis v. g. patrato furto fit restitutio i. e. dominus rei statuitur in possessionem vel dominium rei suæ, quod pertinere ad justitiam commutativam docet Thomas II. secundæ quæst. 62. artic. 1. quanquam sæpe agitur adversus furem ad recuperandam non solum rem ipsam, ejusque æstimationem, sed etiam omne damnum & lucrum cessans; ut docet Laymannus l. 3. Theol. Mor. tr. 3. P. I. c. 1. §. II. Ex quo fundamento petite videntur esse leges, tum divina (Ex. 22. 1.) tum humana, de quintuplo aut quadruplo restituendo. Quæ tamen omnia non impediunt, quò minus criminaliter & extraordinariè, supplicio extremo animadverti possit in fures, ut communiter docent tum Theologi, tum Jcti. *In tanta enim hominum audacia id palam est, alias pœnas, præter capitales, prorsus irrideri, & ideo hisce temporibus opus est adversus fures duriorib9 pœnis, potissimum ubi furtum simplex non est, sed vel quantitate vel qualitate grave*: verba sunt Covarruviz l. c. L. 2. c. 9. §. 7. Conferantur Nostrates Chemnit. P. 2. LL. Loco de Lege DEI, præcept. 7. p. 100. lit. A. Gerhardus L. de Lege DEI n. 171. Stegmannus in Photinian. p. 628. Brochm. Syst. Theol. T. 2. p. 54.

§. IV. Damnum per adulterium illatum, compensatur civiliter per ignominiam parti nocenti ab innocente injustam, sive illa fiat per repudium sive per aliam infamiam. Quia n. adulter

ter aut adultera uxorem aut maritum indignum habet, cum quo voluptates licitas indivisas possideat, sed eas subtractas, simul cum honore conjugiali alteri communicat, videtur quomodocunque altera conjugum pars læsa recuperare bonum sibi ablatum, si altera lædens & ipsa dedecus subeat, præsertim autem honore & voluptate conjugali, prætereà alimentis in posterum careat.

§. V. Hanc compensationem, ex actione merè civili profectam, spectârunt prisca Legum lattores, utpotè Plato, qui infamiam pro pœna adulterii constituit, quam & Athenienses, una cum interdictione sacrorum, infligere solitos esse, ex Demosthenis oratione cõtra Neæram constat; Cumani, qui deprehensam in adulterio mulierem, in forum producebant, & in lapide omnibus conspicuo sistebant, deinde a sino impositam, circa urbem circumducebant: postea rursum in eodem lapide stare coactam, infamem demum per totam vitam habebant. Plut. in quæst. Græc. quæst. 2. Cretenses, qui adulterii convictum lanâ coronabant, indicantes, eum esse hominem mollem & effæminatum, & mulieribus se ornantem; postremo omnibus dignitatibus publicis arcebat. Aelianus lib. 12. Var. hist. c. 12. Germani, apud quos adulterii pœna marito permessa, qui adulteram accisis crinibus nudatam coram propinquis expellebat domo, ac per omnem vicum verberare agebat. Tacit. in Germ. cap. 19. n. 2.

§. VI. Quid verò? si nocens criminali: judicio

cio è numero viventium rapiatur, qui compen-  
 sabitur superstiti innoxia parti damnum? super-  
 est scilicet, ut æstimatio fiat per opes relictas,  
 quæ irreparabilem boni amissionem, si non ex-  
 pleant, saltem solentur. Illustre, etsi factò & e-  
 ventu tragicum ejus rei exemplum producit Li-  
 psius lib. 2. Monit. & ex. Pol. c. 9. ex. 7. Compres-  
 serat, per vim in Burgundia Caroli Audacis Præ-  
 fectus alterius uxorem, facie moribusque deco-  
 ram, eoque facinore patratò, mulieris maritum,  
 ut æmulum & obstaculum fœdi sui amoris, in  
 carcere conclusum, demùm occidi jusserat. Fœ-  
 mina, dolore & ultione ardens, Carolo Duci, nu-  
 per ex itinere redeunti, rem omnem aperit, ere-  
 ptum violenter pudorem, iniquè interemtum  
 maritum qveritur. Judex Carolus, captò pru-  
 denti è re consilio, svadet mulieri jam viduæ,  
 junctis manibus nubere adultero & homicidæ,  
 firmatò solennibus verbis matrimonio; novo ve-  
 rò marito mandat, ut accitis testibus & tabula-  
 riò, expetitam tam ardentem & malis artibus  
 concubinam hæredem omnium bonorum scri-  
 bat. Eò factò, jubet Præfectum in carcerem du-  
 ci, & malâ morte plecti. Mulier consternata ge-  
 minò casu utriusque mariti, mox morbò corre-  
 pta, tristitiæ finem fato facit, liberis autem ex  
 priore conjugio susceptis divitem hæreditatem  
 relinquit. Fecit Carolus Audax, quod facere  
 humanæ prudentiæ consultum judicavit, & mor-  
 talium rerum conditio permisit. Recuperavit  
 mulier, non expugnatum & irreparabilem pudor-  
 em,

rem, sed tamen existimationem, ab hominum fama pendentem. Liberis verò honestæ & lautæ educationis beneficium, morte parentum ademtum, largis divitiis utcumque est compensatum.

§. VII. Sed monemus denuò, hõc loco nobis non nisi de actione civili, seu compensatione damni privatis illati, sermonem esse. Nam si considerentur publica damna ex adulteriis redundantia, utpote quòd honesta generatio & educatio sobolis impeditur, quòd probri & infamiis respublica inquinatur, quòd conjugalis amor in odium vertitur, quòd supponuntur hæredes, domus totæ rixis, inimicitiiis, cædibus replentur, sanè justissimæ leges sunt, quæ adulteriis supplicia decernunt, quales, præter divitiarum, fuerunt Atheniensium, Gothorum, Arabum, Parthorum, Julii Cæs. Constantini M. Vid. Gerh. Loco de Mag. Pol. §. 313.

§. VIII. Homicidium verò quomodo ad æqualitatem redigetur, cum jam ultimam rerum lineam attigerit, cunctaque mortalium bona & mala dissolverit, ut neque damno neque lucro locus esse amplius videretur. Apud Germanos veteres *lovebatur homicidium certo armentorum ac pecorum numeros recipiebatq; satisfactio- nem universa donans*, ut tradit Tacitus in Germ. c. 21, n. 2. In Polonia nobiles quondam eò privilegiò gaudebant, ut *si hominem plebejum quisquam eorum occidisset, e. d. d. veri aliquantum pecunie imponens pœnam redimere passet*. Quem quidem Barbarum morem, à Ludovico Rege profere-

Stum, prudentissimus Poloniae Rex Stephanus abolevit; regno, inquiens, carere se malle, quam tanta injustitiae froenum laxare, tantamq; sanguinis humani vilitatem comprobare. Bern. quaest. in Germ. Tac. 123.

§. IX. Sed quis non videt hasce consuetudines, non dicam, cum magno reipublicae detrimento, & intoleranda peccandi licentia, sed cum summa iniquitate eorum, quorum salus & incolumitas ab interfecti vitâ pendet conjunctas esse? quantò rectius morales Doctores statuunt cum Laymanno Theol. Mor. Tom. 2. lib. 3. tr. 3. P. 3. c. 6. assert. 6. *obligari homicidam, praeter impensas solvendas, ob curationem medicis debitas, ad compensationem damni, quod natam est liberis, parentibus, uxori, ob conjunctionem, quam gerebant cum persona defuncti, ita ut tantum solvant, quantum estimatione morali, ex spe alimentorum, quae à superfuturo expectari poterat, cognosci potest.* Atque ita etiam veteres sensit documentum est Herculis exemplum apud Diodorum Siculum lib. 4. p. 237. Is postquam Iphytum occidisset, & hinc conscientiae terroribus vastatus Apollinem consulisset, responsum accepit, *liberatum iri à morbo, si justo venditus pretio Iphyti liberis multam solveret.* Cui oraculo ubi morem ipse gesserat, confestim sanitatem recuperavit. Causam ejus rei exponit Michaël Ephesius ad 5. Eth. *quoniam qui occisus est accipit aliquo modo: quae enim uxor ejus & liberi & cognati accipiunt, ipse quodammodo accipit.*

§. X.

§. X. Quod si alterius existimatio per convitia aut detractionem læsa fuerit, institui debet restitutio famæ itidem juxta regulam justitiæ commutativæ, ut scilicet talis detractor fateatur, se falsum dixisse, & veniam petat. Quamquam personæ aut muneris dignitas ea esse potest, ut revocatio talis possit compensari pecuniâ, benignâ compellatione, cominendatione, honoris debitâ exhibitione. Justitiæ namque æqualitas non consistit propriè in ipsis naturis genericis, specificis aut individuâs rerum, sed in rationabili restitutione ad usum humanum relata. Quare si ob aliquas circumstantias res diversorum generum æqualiter meritò æstimentur, poterit per rem diversi generis fieri æqualis compensatio & restitutio; ita ut compensatio famæ fiat per pecuniam, aut honorem, aut aliam rem, ex quâ homines colligant, hominem diffamatum pro viro bono haberi & agnosci debere. Videatur Sayrus in Thesauro conscientiæ lib. II. c. 3. n. 27. Azorius instit. moral. P. 3. l. 5. cap. 10. Antonius Fernandez de Movre Exam. Theol. Mor. p. 4. c. 14. §. 5. Drex. in Orbis Phaeth. c. 16. §. 2.

§. XI. Huc pertinent autores libellorum famosorum, qui si deprehendantur, ad palinodiam adiguntur, & pro infamibus habentur; ut Polonus ille Christophorus Storovius, qui in comitiis Warsaviensibus Anno 1585. publicè pro infami declaratus est, quòd Stephanum Regem, & Joannem Sarium Samoscium Cancellarium, neutrum

trum illò dignum nomine scripsisset, insignia quo  
 que regia ( qui dentes lupini sunt ) contumelio-  
 sè dentes caninos appellâset. Quanquàm si ad  
 actionem criminalem res deducatur, tanti habe-  
 ri soleat facinoris ejus fœditas, ut simplici com-  
 pensatione, & famæ restitutione non expietur,  
 sed insuper infamibus pœnis & mortis suppli-  
 ciò coërceatur. Ita Athenienses morti adduxerūt  
 Anaxandridam Comicum, quòd scripsisset, *eos*  
*optimas habere leges, sed pessimos mores.* Extat  
 etiam lex XII. Tab. apud Cic. lib. 4. Tusc. quæst.  
 sub init. quæ mortis reum pronunciavit, *si quis*  
*maledicum in quempiam carmen edat.* Huc alludit  
 Horat. l. 2. sat. 1. vers. 80. & seqq.

*Sed tamen ut monitus caveas, ne forte negoti  
 Incutiat tibi quid sanctarum in soita legum:  
 Si mala condiderit in quem quis carmina 19 est  
 Judiciumque.*

## APHORISMUS VII.

Injustitia commutativa  
 committitur, cùm quis  
 plus sibi lucri vendicat,  
 quàm ipsi debetur, alte-  
 ri verò lucrum detrahit



aut damnum infert, five  
in contractibus sponta-  
neis, five invitis.

§. I.

**N**on in ullo alio vitio magis, quam in præ-  
senti, apparet veritas illius, quod à Pytha-  
goricis accepit Aristoteles, & adducit 2. Eth. c. 6.  
*malum esse infinitum, & peccari multis modis posse.*  
Exemplorum certè abunde est. Singulis pleris-  
que vitiosorum contractuum non nisi singula ex-  
empla jungemus. Ergò primùm malæ fidei Em-  
torem producemus, Florentinum illum, qui Ro-  
mæ emturus equum, pactus est cum venditore,  
qui viginti quinque aureos supra statutum præ-  
tium postulabat, se quindecim statim repræsen-  
taturum, cæterorum debitorem se fore promisit;  
cùm verò procedente tempore venditor reliquum  
debitum posceret, cavillabundus respondit em-  
tor: *An verò tu non servabis pactum? Ego me de-  
bitorem fore promisi, non solutorem. Quod si solve-  
ro, contra pacti fidem non ampliùs debitor extitero.*  
Laurentius Beuerlink refert ex Poggii Argut. Tit.  
Astutia p. 632,

§. II. Emtorem excipiat Venditor similis  
monetæ, Pythius ille Syracusanus, cujus memi-  
nit Cicero 3. offic. cap. 14. Is cùm audivisset C.  
Canium equitem Romanum eumque literatum  
& opulentum flagrare desiderio emendi hortu-  
los oblectationis gratiâ, cum amicis capiendæ,

obtulit ei hortos, non quidem venales, sed tamen utendos, ut suos, & simul ad cœnam invitavit in posterum diem. Præsente Caniô conduxit piscatores, ut ante hortulos suos piscarentur, quod dum faciebant, magnam piscium copiam afferebant. Hinc cupiditate emendi hortulos magis accensus Canius, contendit tandem à Pythio, et si simulante, invitum se facere, ut sibi venderet. Dominus jam factus, cum & ipse familiares suos invitaret visendæ piscium capturæ gratiâ, nec ampliùs comparerent piscatores,prehendit, demum in fraudem se esse inductum. His memoratis subjungit Cicero: *Ergo & Pythius, & omnes aliud agentes, aliud simulantes, perfidi, improbi, malitiosi sunt.*

§. III. Mutui legem violavit Dionysius Syracusanorum Tyrannus, quando pecuniæ laborans inopiâ, describi apud se jussit pecunias familiarum, quæ orbatæ essent parentibus. Quò pacto ipse pecunias illas, citra fructum ad orphanos redeuntem, in usum suum convertit, donec orphani ad ætatem adultam pervenissent. Decebat Dionysium, si æquitatis rationem habere voluisset, ita collocare fortunas pupillorum, ut, cum ipsi, per ætatis & prudentiæ inopiam, ad negotiationes adhibere illas non possent, easdem vel ipse, vel alii, in eas sive opes, sive mercaturas impendissent, unde etiam utenti pro operâ lucrum, & ipsis, pro cessante pecuniâ, in alimenta necessaria impensæ acciderent. Huc respiciunt cõsilia Theologorum nostrorum, qui censent, non

gratis communicari debere pecuniam iis, qui inde lucrum acquirere possunt, ab illis præsertim, qui usu suæ pecuniæ carere nequeunt, ad honestam sui & necessariorum sustentationem; ut sunt senes, viduæ, pupilli, aut illi, qui ex fiscis Ecclesiasticis aluntur, de quo negotio judicat B. Lutherus Tom. VII. Jenensi Germ. p. 404. Daß ein Noth - Bucherlein sey schier ein halb Werck der Barmhertigkeit / für die Dürfftigen / die sonst niches hätten / und den andern nicht sonderlich schadet / --- und unfreundlich wäre / sie zu Bettlern zu machen / und lassen Hunger sterben / weil niemand damit beholffen / und ohne deß Nächsten Verderben geschehe. Confer Chemnit. Part. II. Loc. de Paupert. p. 197. & Balduinus lib. 4. Cas. Consc. cap. 3. casu 4.

§. IV. Illicitæ autem usuræ, quæque à justitiæ commutativæ regulis abeunt, sunt illæ, quas *lucratorias* vocamus, quando propter solum officium mutationis, cum insigni damno illius, qui utitur, lucrum supra sortem exigitur. Iniquitatem talis fœneratoris & danistæ describit Plutarchus Tom. 3. Opusc. Moral. lib. de vitanda, usura p. 112. quod libertatem invadat, mulctam inscribat, & cum non reddis, negotium facessat; si vero offers, haud accipiat; ubi vero vendis, vili pretio licitetur; quod si non vendas, cogat; & cum juve contenderis, obviam eat; si vero subterfugeris, impellat; & cum ad fores accesseris, excludat; ubi vero domi manseris, insectetur, ac ostium pulset. Hæc fœnerandi licentiâ Athenis oppidò invaluit,

it, adeò, ut nō solūm nō cōerceretur ullis legibꝫ, sed etiam approbaretur veteri hāc Solonis lege: τὸ δρυόμεον εἴσιμον εἶναι, ἐφ' ὀπίσθον αὖ βάλαντα ὁ δαρίζων. *Jus esto fœneratori, pecuniam suam, quantācunque usurā vol. t, collocare.* Vid. Cāsaub. ad Theophr. Charact. c. 6. p. 187.

§. V. Depositio (quā intelligimus depositi vel traditionem vel redditionem) à justitiæ lege deflectit, cū vel depositum negatur, vel fraudulenter alteri subducitur. Prioris exemplum memorabile Noribergæ accidisse, Annales testantur. Cū ibidem Rudolphus I. Imperator comitiā ageret, mercator quidam ducentas argenti marcas apud diversitorem ibi notum deposuerat, sed cū repeteret, impudenter & iniq; abnegabat hospes, & reddere recusabat. Aperuit tamen solerter dolum Imperator, dum petatum ab ipso per jocum pileum, quasi præ aliis sibi placentem, clam misit ad uxorem, tanquam tesseram mittendi marito viduli sive sacculi, eumq; allatum domino restituit, & hunc grandi pecuniā multavit. Lips. lib. 2. Monit. & ex. Pol. cap. 9. monito 3. Posterius exemplum refert Valerius Maximus l. 7. c. 3. de ancilla quādam, cui depositi nomine pecuniam duo hospites crediderant eā lege reddendam, si uterque eam repeterent, interjecto tempore rediit alter, simulans habitu lugubri socii mortem, & nummos omnes abstulit. Supervenit deinde alter & depositum flagitavit. Hærente, & jam laqueum suspensio parante ancillā, affulsit in tempore patronus Demosthe.

moſthenes : *mulier, inquit, parata eſt, ſe depoſiti fidem ſolvere, ſi ſocium adduxeris; nec enim aliâ conditione pacti redditionem eſtis.*

§. VI. Conductionis fraudulentæ ſpeciem, feſtivam exhibet Ariſtoteles 9. Eth. c. 1. & ex eo Plutarchus lib. de fortuna Alexandri p. 558. de Dionyſio Syracuſanorum tyranno. Delectabatur is arte eximii alicujus citharædi, utque ſuavius caneret, luculentius ipſi promiſit præmium, cùm hic ſpe plenus, poſtridie promiſſam mercedem poſceret : *imò vero, inquit Dionyſius, jam tùm accepisti, quæ tibi ſum pollicitus: ſicut enim tu me cantuunculis ablectaſti, ita ego tibi viciſſim pollicitationibus voluntatem & jucundam ſpem excitavi. Accepisti igitur talia, qualia dedisti.*

§. VII. Denique ſicut ad Locationem & conductionem pertinere ſuprà diximus ſalariorum pro præſtitâ utili Eccleſiæ aut Reipubl. operâ præſtitorum ſolutionem, ita juſtitia huic adverſatur, ſi ſolatia illa ( ſic enim in jure civili appellari indicat *ὁ πᾶν* Conr. Rittersh. notis in lib. 3. Corippi, de laudibus Juſtini Auguſti minoris ) vel negentur, vel minora, & non reſpondentia magnitudini laboris pendantur; quò nomine malè audit Juſtinianus, aliàs Magni nomine inclytus, quam tamen laudem nimiam avaritiâ lutulavit, eò uſque progreſſâ, ut Profeſſoribus liberalium diſciplinarum conſtituta in urbibus ſalaria ſubtraxerit : ut ex Joh. Monacho refert Cuſpinjanus in vitâ. Hodie fortunâ ſic ſatis luculentâ frui ſeſe eruditi exſtimant, ſi gaudeant

Patronis ejus ingenii, quò præditum fuisse Carolum IX. Galliarum Regem refert Thuanus lib. 57. qui *Poëtas summo in honore habuit, sed eos instar equorū generosorum alendas, non saginandos dixit.*

§. VIII. Cæteras injuriarum & contractuum, seu ignorante, seu repugnante alterâ parte initorum species, utpote adulterium, furtum, veneficium, lenocinium, homicidium, rapinam, vincula, mutilationem, quid attinet, vel enumerare, vel exemplis declarare? cùm illa plus nimio oculos & aures nostras indies singulos occupent, anxia autem eorum commemoratio sæpè plus bonis moribus officiat, quàm conducatur. Quod ipsum Casaubonus indicat præf. Polybio præmissa his omninò verbis: *Ut bona exempla, si sæpe ob oculos versentur, proficiunt etiam non sentientibus nobis, sic mala nocent: paulatim namq; descendunt in animos, & vim præceptorum obtinet frequenter legere, aut frequenter audire.*

## APHORISMUS VIII.

Æquitas est correctio,  
seu mavis attemperatio,  
sive directio juris scripti,  
judici vel

Jcto

# Jcto relicta à legisla- tore in iis casibus, in quibus lex deficit.

## §. I.

Juvat aphorismi vice proponere definitionem  
Æquitatis à Philosopho & Jcto exquisitissimo  
D. Kobio suppeditatam in Disp. ultima de prin-  
cip. Juris d.6. cui palmam præ aliis tribuere so-  
leo. Vel hinc autem patet, non esse nobis h. l.  
sermonem de Æqualitate privata, quæ consistit  
in ferendis & condonandis nævis levioribus eo-  
rum, quos fors aut necessitas nobis adjun-  
xit, & accipiendis in benigniorem partem alio-  
rum dictis factisque, quam indicat versus pro-  
verbialis: *mores amici noveris, non oderis.* Sed  
publica, & ad eas pertinente, quibus interpre-  
tatio juris civilis, & casuum, secundum circum-  
stantias diversas, ad ejusdem regulam congrua,  
& juri Naturæ ac prudentiæ conveniens appli-  
catio est credita.

§. II. Hôc nomine commendatur Ciceroni  
in Philipp.9. Servius Sulpitius, quod non magis ju-  
ris consultus, quàm justitiæ i.e. æquitatis esset, eaq;  
quæ proficiscuntur à Jure civili, semper ad facilitate-  
m æquitatemq; referre solet. Idem Tullius  
pro Cæcinâ deprædicat C. Aquillium, quod ju-  
ris civilis rationem nunquam ab æquitate se junxe-  
rit. Ex fonte hujus æquitatis fluxit lex Adriani  
ff. ad leg. Pomp. de Parric. eum, qui filium occide-

rat.

ratis propterea quod novercam adulter esse, tantum deportari in insulam jubens. & in eodem Tit. si per furorem aliquis parentem occideret impunitus pronunciatur, quod sufficiat furore ipso eum puniri. Eandem fuisse Constantino M. mentem arguit rescriptum, quò in omnibus rebus præcipuam justitiæ, quàm juris scripti rationem habendam esse judicavit. Justinianus M. symboli vice usurpavit tritum illud: *Summum jus summa sepe injuria est.*

§. III. Usi sunt autem exercitiò hujus sive virtutis sive administræ justitiæ, quotquot legum rigorem benignâ interpretatione in usum publicum direxerunt. Lacedæmones, cum, ex generali legis sententiâ, omnes deberent ignominiâ affici, qui trepidâssent, plurimi autem in pugna Leuctrica animum despondissent, Agesilaus, delatâ ad se ab Ephoris hanc difficultatem expediendi potestate, in medium progressus: *jubeo*, inquit, *leges à crastinâ die ratas esse.*

§. IV. Celebrantur imprimis hòc elogio Areopagitæ, severi alioquin justitiæ custodes, rigidicq; satellites, ut vel bina exempla documento esse possunt: unum producit Aristoteles lib. I. M. M. c. 17. de muliere, quæ cuidam poculum amatorium propinavit, quò extinctus est, præter intentionem interficiendi. Ei cum in Areopago homicidii crimen intentatum esset, absoluta est, eâ de causa, quòd amoris conciliandi causa, non consultò & cogitatò hominem vitâ privasset. Alterum refert ex Val. Maximo Gelius



lius lib. 12. N. A. c. 7. his ferè verbis : *mùlier quædam Smyrnea eodem tempore, venenis clam datis, virum & filium occiderat, neque factum ipsa negabat, justam quippe ejus facinoris causam se habuisse: quòd idem, scilicet maritus & filius, alterum filium mulieris ex viro priore genitum, adolescentem optimum & innocentissimum, exceptum insidiis abtruncassent. Dolabella, Proconsulari imperiò provinciam Asiam obtinens, rem eam sibi difficiliorè judicatu rejecit ad Areopagitas, ut ad judices graviores exercitatioresq; illi cognitâ causa accusatorcm mulieris, & ipsam, quæ accusabatur, centesimò anno adesse jusserunt: sic neque absolutum mulieris veneficium est, quod per leges non licuit; neque nocens damnata punitaque, quæ digna veniâ fuit. Sed operam istam in pluribus recensendis exemplis nunc quidem compendifacere possumus, occupatam jam in Disp. nostrâ de hoc argumento, cui addantur in cumulum, quæ collegit Phil. Melanchthon Epit. Phil. Mor. p. 87. & seqq.*

## APHORISMUS IX.

Æquitati opponitur in excessu ἀπειροδίαλον si-  
ve summum jus, quan-  
do aliquis, ex nimia &

imprudenti superstitione, legis rigori inhæret, ita ut adversam, & ipsius naturæ & legislatoris intentioni sententiam pronunciet.

§. I.

**I**llustrat hoc Philippus loco jamjam cit. *si judex furem, adolescentie aut egestatis casu lapsum, capitali supplicio afficiat.* E veteri memoria insigne exemplum præbet Titus Manlius Cos. qui in bello cum Latinis suscepto, cum filius turmæ præfectus adversus edictum consulare, ne quis extra ordinem in hostem pugnaret, provocatus à Geminio Metio, Tusculanorum equitum præfecto, confligeret, & hostem confoderet, filium ob neglectum imperium, etsi rem feliciter gessisset, ad palum deligari, deinde virgis ex more cædi, postremò securi feriri jusfit; salubri quidem exemplo, sed in præsentia nimium invidiosò Consuli. Liv. l. 8. c. 7.

§. II. Ab intempestivo hoc rigore profectum est illud Senatûs Romani factum, quando *milites, qui relictî in castris fuerant, à Paulo & Varrone Cos. redimendos non censuit, cum id parvâ pecuniâ*

niâ fieri potuisset, ut esset insicam militibus Romanis, aut vincere aut emori: ut est ap. Cic. l. 3. offic. cap. 32. Duriore etiam iudices expertus est Milo, cum interfecisset Clodium, justô dolore compulsus, cum veniam debuisset invenire; quod Clodius principium pugnae fecisset. Quod quidem exemplum ad præsentem locum, transfert Philippus, Epit. Ph. M. p. 56.

§. III. An huc referemus non minùs votum inconsultum, quàm executionem ejusdem à Jephtha in filia factum, cujus rei Sacra historia indicium facit. Equidem nunc in medio relinquamus disceptationem; utrum mactatione vel occisione immolaverit filiam, an potius in DEI ministerium perpetuum addixerit? utrobique enim leges ἐπιεικείας violavit. Debebat quippe votum suum interpretari ex regula prudentiæ, quæ judicat, non humanam, sed bestiaë carnem in materiam hostiaë DEO gratæ esse destinandam, vota que aliter sive concepta sive intellecta solvenda non esse.

## APHORISMUS X.

Alterum æquitati oppositum est συκοφαντία seu Calumnia, quæ est calida ac malitiosa verborum

borum in lege contentorum contra mentem legislatoris, & juris normam, interpretatio, vel potius contorsio.

§. I.

**E**Tiam hîc manu, non thylacô, seramus exempla, quorum alioqui messem metere est nimis largam. Thraces, pactis eum Bœotiis aliquot dierum induciis, nihilo segniùs incursiones agebât nocturnô tempore, cum autê hi ex postularent, & violatæ pacis eos incusarent; responderunt Thraces, *se nihil præter pacta fecisse: pactos enim esse dies, non noctes.* Strabo l. 9. Geogr. p. 279. Eras. Adag. Chil. I, cent. X. ad. 28. Pericles Atheniensis, vel (ut legit P. Scriverius) Paches, *affirmavit, incolumes futuros hostes si ferrum deponerent: quam conditionem cum illi accepissent, universos, qui insagulis ferreas fibulas habuissent, interficî iussit.* Frontinus l. 4. Strateg. c. 7. n. 17. p. 89.

§. II. Hâc fraudulentâ interpretatione perisse Theramenem, unum ex triginta Tyrannis, Xenophon prodidit lib. 2. Græcarum hist: n. 469. Is cum gravatus odiô adversariorum provocaret ad legem Athenis latam, *ne quisquam eorum, quorum nomina catalogô scripta comprehendeban-*

tur

mur, interficeretur, causâ non indictâ: tum verò Critias in medium progressus, legem & defensionem fraudulenter illudit; imò verò, inquires, istò privilegiò non gaudent, nisi ii, qui in catalogo continentur. Atqui hunc ego Theramenem, cum vestrò omnium consensu, ex hoc catalogo deleo, & in eum nos suppliciò capitali animadvertimus.

§. III. Jungamus priscis paullo vicinius nostro ævo exemplum, etsi non adeò incognitum, Ottonis, Episcopi Moguntini. Is cum demereri vellet benevolentiam Imperatoris Ludovici III. Alberti, Comiti Bambergensi, qui Imperatoris fratrem stravit & oppressit, quæsitâ occasione repetendæ vindictæ, suavit, ut descenderet ex arce ad placandum Imperatorem; interpositò juramento, se incolumem reducturum Albertum in arcem suam. Cui promisso fidem habens Albertus, excogitatò aut prolato astu, sub specie capiendi jentaculi, in arcem ab Ottonis est reductus, ipse secutus fraudis securus, postquam gustatò cibò denuò in arcem descenderet, abreptus ad Imperatorem gladiò cæsus fuit, nec quicquã ad fidem Archiepiscopi prævocans, qui se jam oculis subtraxerat. Refert ex Alb. Cranio Bernegg. observ. hist. Pol. cap. 24. qui

ibid. similia συκοφαντίας & perfidiæ exempla adducit.



PARTIS III.

SECT. III. CAP. I.

De

PRUDENTIA,

Ejusdemque in species divisione.

APHORISMUS I.

Sicut virtus scopum, qui a-  
genti proponitur, re-  
ctum efficit, ita pru-  
dentia ea, quæ ad sco-  
pum feruntur, quibus-  
que illum cōsequi pos-  
sumus.

§. I.

**O**bservandum est in præsentī argumento, vir-  
tutem à prudentia, non materiâ vel subjectō,  
sed λόγῳ differre: unde præclare Philosophus 6.  
Eth. c. ult. demonstrat, non posse esse quempiam  
prudentem, nisi qui bonus sit --- neque prudentiam  
virtute morali, neque hanc illâ carere posse. Virtus  
igitur συντήρησις in hominē perficit & desideria  
honestâ

honestè agendi in voluntate accendit & incitat; prudentia autem intellectui subvenit, dirigendo eum in inveniendis mediis, scitè ad finem accommodatis. *Quoniam igitur* (verba sunt Eustratii in lib. 10. Eth. c. 8.) *moralis virtus rectos fines & scopos pramonstrat prudentia verò ea invenit & excogitat, quæ ad huiusmodi finium consecutionem conducunt, conjunctæ utraq; ac connexæ merito sunt.*

§. II. Hos tales illustri sapientum nomine sunt dignati veteres, quod eos demùm verè sapere existimarent, qui non tam rerum cœlestium & sublunarium speculationibus animum palcerēt, quàm qui vitæ prudenter & honestè regendæ, & in usum tùm privatum, tùm in primis publicum flectendæ, monitis & exemplis, tùm seipfos, tùm alios instruerent & docerent. Quò nomine sidera & ora hominum famâ suâ impleverunt illi Græciæ sapientes, septenariò numero celebres: Cleobulus, Solon, Chilo, Pittacus, Thales, Bias, Periander: non, quòd non plures tulerit ferax alioqui ætas ista, & tellus Attica, sed quòd celebriores & eminentiores ei numero includere voverint, quem religione quâdam venerabatur, sive, ut est apud Gellium. l. 3. N. A. cap. 10. quòd *quandam septenarii numeri vim & facultatem in multis nature rebus animadverterent.* Nimiùm ergò cavillandi licentiæ indulgisse videtur Lactantius, dum lib. 4. Instit. c. 1. petulanti splene cachinno exclamat: *ô miserum calamitosumque seculum, quò per orbem totum septem fuerant soli,*

qui hominum vocabulô cicerentur. Nemo enim potest jure dici homo, nisi qui sapiens est: sed ceteri omnes præter ipsos stulti fuerunt: ne illi quidem sapientes, quia nemo esse verè sapiens judiciô stultorum solet.

§. III. Quia autem varias functiones prudentiæ complectitur, hinc fit, ut alii atque alii diversam laudis materiam & argumenta sibi caperent. Igitur pacis in primis artibus respublicas prudenter ordinârunt apud Hebræos Salomon; apud Athenienses Solon; apud Romanos Numma Pompilius, qui imperium religione & justitiâ gubernâsse dicitur, Fl. l. 1. c. 2. n. 3. item Augustus, qui emergente rep. è tot domesticorum, & externorum bellorum tempestatibus, conversus ad pacem, primum in omnia mala & in luxuriam fluens seculum gravibus severisque legibus coercuit, apud eundem l. 4. c. 12. n. 65. Belli arbitria prudenter qui moderati sint, plurimos indicant historiæ monumenta, sive Persas, sive Græcos, sive Romanos respicias: nec minùs difficile est, ea enumerare, quàm Icarii maris comprehendere arenas. Utramque laudem vendicat sibi apud veteres Ulysses, cui ideò apud Homerum Odyssæ N. Pallas assistere fingitur.

§. IV. Post Augusti tempora nimis fidem meretur illud Flori in prologo hist. suæ querentis: imperium post Augustum inertiam Cæsarium quasi consensisse atque decoxisse: unde Mimum quendam, cum ad M. Aurelium Claudium Imperatorem longa jam series Cæsarium Romanorum terneretur,



xeretur, dixisse refert Vopiscus in Aureliano c. 42. *qui ex eo omni numero boni fuissent, in annulo uno perscribi depingique posse.*

§. V. Non tamen prorsus negavit illustria prudentiæ exempla & documenta divina providentia, quibus laborans suâ mole imperii magnitudo subinde sustentaretur. Eminentque ad eò Constantinus, Carolus, Magnorum nomen in gloriam suam trahentes, Conradi, Ottones, Henrici, Maximiliani, & ille cœlesti beneficiô fulcendis Ecclesiæ & Reip. ruinam minitantis rebus concessus, Carolus V. in cujus prudentiâ aliisq; virtutibus admirandis defixus Thuanus, severus utique & incorruptæ fidei autor, asseverare non dubitat lib. 21. *nullum perfecti magis, & ad omnem virtutem expressi, Principis exemplar nostrâ & retro seculorum memoriâ reperiri posse, quod iis, qui ad imperium virtutis via grassantur, ad imitandum proponi queat.*

§. VI. E Rebus publicis integris, hodièque florentibus, meritò hanc prudentiæ laudem sibi vendicat Respublica Veneta, in tantum laudanda, in quantum solertia res laudabiliter ac feliciter gerendi intelligi potest. Ipsi Bodino, ut aliorum, ita Venetorum obtrectatori, veritas nihilominus extorsit hanc confessionem; eos *virtute consiliis & prudentiâ prestare aliis gentibus*; ut observavit Dominicus Molinus in Not. ad Donatum Janotum p. 300. Etiam Francisc. Guicciardinus, sinceri non minùs pectoris, quàm oris historicus, lib. 1. hist. Italicæ p. 2. censuit, *Veneros*

*singulis quidem sociis majores, conjunctis autem simul omnibus multò inferiores, consiliis à communibus separatis suas res agere, atque ex aliorum discordiis & malis crescere cupientes, intentos & paratos in omnem occasionem stare, quæ eis viam ad totius Italiae imperium aperire posse videretur.*

§. VII. Jungam9 lateri Reip. Venetæ æmulâ ejus Noribergensē: quippe quæ si credim9 P. Bēbo l. 7. hist. Venet9 p. 268. missis ad Venetos legatis, exemplū legum à Patrib9 petiit, velleq; se iis legib9 uti ostendit, idemque à Senatu frequente impetravit: quanquam erroris eum insimulet Academiæ hujus Procancellarius quondam meritissimus, Dn. D. Richterus, & non nisi leges tutelares Remp. Noribergensem à Venetis recepisse asseveret, ejus rei utique peritissimus. Orat. Paneg. 25. p. 109. Eandem testatur Pighius in Herc. Proditio, ab Optimatibus tam æquò jure fuisse temperatam, ut vix ulla memorabilis secessio, aut perniciofa discordia, in tanta plebesorum hominum multitudine, ac gentium diversitate suborta fuerit. Ex hâc fiducia nata est gravis illa, & ad auctoritatem composita vox Antonii Tucherii, qui Imperatori Friderico III. urbem intranti, & effusam multitudinem miranti, interrogantique, *quò ingenio & arte tanta multitudo sine tumultu & seditione regi & contineri possit?* respondit: *placidis verbis, & gravibus pœnis.* O vox aurea, & Amphictyonum senatu digna; quæ vel sola robur queat addere celebrato vulgi sapientum & ore dicitario: *Mürnbergger Wis.* Addatur Zeilerus in Itin. Germ. c. 4.

## APHORISMUS II.

Prudentia, quæ circa civitatem & negotia civilia est occupata, architectonica & principalis est Legislato-  
ria.

## §. I.

Cura ejus administrationis, omni ævō, apud gentes prudentiores, non nisi prudentissimis & spectatæ in rebus gerendis fidei viris est commissa. Apud Ebræos Mosi, apud Indos Zoroastri, apud Locrenses Zaleuco, apud Tarentinos, Architzæ, apud Athenienses Soloni, apud Lacedæmonios Lycurgo, apud Ionas Bianti & Thaleti, apud Mitylenæos Pittaco, apud Rhodios Cleobulo, apud Thurios Charondæ, apud Germanos Carolo M. apud Bohemos Carolo IV. apud Britannos Donvallo.

§. II. Determinatum autem est hujus facultatis officium variis præceptis, quorum nonnulla sparsim adferre operæ pretium censemus: quorum primū esto: Omnia legibus definienda sunt, quantum permittit rerum natura & cir-

cumstantiarum varietas & paucissima relinquenda sunt arbitrio iudicis. Hinc Aristoteles §. Eth. c. 10. & 3. Pol. c. 10. & 16. *legem, ait, & rationem dominari debere non hominem, utpote qui obnoxius sit perturbationibus.* Etiam Tiberius apud Tacitum 3. Annal. c. 69. n. 3. *non utendum imperio esse, monet, ubi legibus agi possit.*

§. III. Alterum: Legislator suo exemplo observantiæ religionem civibus persuadeat. Sic Saulus seipsum filiumque sponte submitit 1. Sam. 14. 40. *Lycurgus nihil lege in alios sanxit, cuius non ipse primus in se documenta daret.* Just. l. 3. c. 2. §. 8. Unde à Vellejo Paterc. l. 1. c. 6. n. 3. appellatur *severissimarum justissimarumq; legum autor & disciplina convenientissima vir.* Zaleucus sibi & filio oculum eruit, ut incolumis maneret lex, quâ sancitum erat, *ut adulterii crimine damnatus utroque oculo privaretur.* Charondas, cum legem tulisset, *ut continuo interficeretur, qui gladio cinctus concionem intrasset, domum ex longinquo rure vehiens, cum gladius subito in concionem involasset, monitus violatæ legis, protinus ferro, quod habebat, districto incubuit.* Val. M. l. 6. c. 5. ex. externo 3. & 4. Adde Picc. Obs. Hist. Pol. Dec. 12. c. 1.

§. IV. Tertium: Leges semel latæ & introductæ non temerè mutandæ sunt & rescindendæ: juxta illud: Thucyd. lib. 3. *fatius esse malas sed immotas habere leges, quam bonas & instabiles.* Solon hoc animò prospiciens, Senatū juramentò adstrinxit, *ne leges à se latas mutarent.* Lycurgus

gus

gus itidem cives juratò obligavit, ne leges mutarent ante suum in urbem reditũ, & post nunquam est reversus. Extat Augusti Imperatoris, apud Dionem lib. 52. ad Senatum, gravis oratio in hanc sententiam: *Leges receptas firmiter retinete, nec quisquam in his mutare: nam quæ eadem semper manent, etsi sint nonnihil vitiosa, utiliora tamen sunt his, quæ subinde, etiam si in melius, innovantur.*

§. V. Cui affine est quãrtum: Ne novæ leges temerè obtrudantur; nam & mutationem reip. inducunt, & apud subditos obsequii detrectationem ac tædium creant. Quod incommodum prospicientes Locrenses, prohibebant, ne quis novam legem ad populum ferret, nisi prius insertò in laqueum collò eam proponeret: quod si populo placuisset, eam acceptabat; sin repudiabat, statim strangulabatur temerarius Legistator. Demosth. Orat. contra Timocratem.

§. VI. Haud paullò minore dignum observatione quintum est: Ne legum multitudo crescat. Nam ut Plato dicit lib. 3. de Legibus: *multitudinem legum litium copia excipit, quæ ubi sunt, subditos evertunt.* Unde Arcefilai celebratur dictum, *copiam legum indicium esse infirmæ civitatis, quemadmodum ingens medicorum numerus in civitate signum est, in ea varios morbos regnare.* Graviter prudentissimus seculi nostri historicus Gabr. Barthol. Gramondus, lib. 1. Hist. Gall, p. 76. *Non eget Gallia novis legibus, quas regni comitia, quas Reges dicant: quid enim aliud est leges constituere, statim parvò usu abrogandas*

quàm nomén Regium, quod præ se ferunt, habere in  
 ludibrium? & paullo post: certè melius consuleretur  
 Gallia penuriâ legum, quæ hõc facilius obser-  
 varentur, quod plenius innotescerent. Legum mole  
 obruitur populus, anxioque inualescentes aut abroga-  
 tas iudicio abdicat omnes, ut legibus laborare dici  
 possit, perinde ac malis.

§. VII. Sæpè etiam tempus & necessitudo  
 postulat, ut à legum intempestivo rigore recedi  
 debeat, nisi quis rempublicam pessundare pro-  
 fusus velit. Ita Athenienses mille talenta in sancti-  
 us erarium seposuerunt, latâ sub capitis periculo  
 lege, ne quis de ea derogandâ censeret: cum autem  
 magnam in Sicilia cladem accepissent, ad extre-  
 mas deducti necessitates, antiquatâ lege, contra-  
 hendis copiis & instituendæ classi pecuniam illam  
 omnem infumserunt. Refert ex Thucyd. lib. 8.  
 Forstn. in Notis ad l. 6. Ann. Taciti. p. 485.

## APHORISMUS III.

Prudentis viri propri-  
 um est, posse rectè  
 consultare de iis, quæ  
 sibi ipsi bona sunt, ac  
 utilia, non ex parte,  
 sed

# sed quæ ad benè viven- dum in univèrsùm.

## §. I.

**O**fficiò hòc funguntur fidi ac prudentes consiliarii, cùm duce ac magistrâ observatione præceptorum, & experienciâ bona præsentia conservant, futura procurant, mala itidem præsentia moderantur, aut propulsant, futura cavent & evertunt, denique nihil eorum prætermittunt, quod ad honestam reipublicæ utilitatem faciat. Hi tales eleganter vocantur ab Aristotele 3. Pol. c. 16. & Xenophonte lib. 8. *Παιδείας, oculi & aures Principum.*

§. II. Tales nullò non seculo in pretio sunt, habiti & honore. De Nestore Agamemnon sibi pollicetur, *si decem tales consultores haberet, se facili negotio in potestatem suam redacturum Trojam:* apud Homerum Il. B. vers. 372. Megabyzus, autore Herodote, vel si malumus fidem habere Plutarcho, Zopyrus, ita in deliciis fuit Dario, ut aliquando esurus malum Punicum, professus sit, *se magis optare tot Zopyros, quot essent grana in illo malo; quam totam Græciam subditam.*

§. III. Antoninus Pius Imperator nihil nisi adhibitis in consilium prudentissimis, qui latera ejus subinde cingebant, viris suscipiebat, dicens: *equius esse, ut ipse tot taliumq; amicorum consilium sequatur, quam ut tot talesq; amici suam unius sequantur voluntatem.* Alexander Severus

verus Imperator nihil unquam rei majoris decernere solitus fuit sine duodecim jurisperitis, in quorum numero Ulpianus, & multi alii, hujus disciplinæ illis temporibus Principes, fuerunt.

§. IV. Ipsa consilia ut recta sint, & felicem exitum sortiantur, certis præceptis & attributis definita sunt: de quibus agunt Hippol. à Colibus in Consiliario, Lips. 3. Pol. c. 4. & 5. & nuper Georgius Hornius dissert. 26. Sunt verò: *Nihil sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicari*: ut est in Plinii Paneg. c. 1. n. 1. Hinc Numa Pompilius, *cùm ei regni insignia deferrentur, non prius ea capessere ausus est, quam Deos consulisset*; ut est apud Plutarchum in vitâ. Augustus Imperator *sanxit, priusquàm considerent Senatores, ut quisq; thure ac mero supplicaret apud aram ejus Dei, in cujus templo coiretur*. Suet. in Aug. c. 35.

§. V. Requiritur porrò libertas, *ut fortiter, non obnoxie, sententia dicantur*: verbis Lipsii l. c. cap. 5. quâ ~~pariter~~ usus est Cato, ut vel ex ejus sententiâ in causa Catilinariâ dicta, quæ extat apud Sall. Catil. c. 52. constat. Ac luculentum ejus candoris memorat exemplum Val. Maximus l. 6. c. 2. ex. 5. quòd *cùm in Senatorem nocentem & infamem reum iudex sedisset, tabellæque Cn. Pompeji, laudationem ejus continentes, prolatae essent, procul dubio efficaces futurae, protinus submovit eas è questione, legem recitando, quâ cautum erat, ne Senatoribus auxilia uti liceret.*

§. VI.



§. VI. *Senum consilia anteponenda ut plurimū sunt consiliis juvenum, utpote defectatiora, minusque turbidis affectibus obnoxia, ut est apud Plut. in libro, num seni sit gerenda resp. p. 33. sic tamen, ut nec altera ista prorsus sint repudianda, quippe ad id saltem utilia, ut sagacitate & acumine sub excitent senum judicia; unde & Augustinus dixisse fertur: ego senex & Episcopus, paratus sum vel à puero doceri.*

§. VII. Consilia non sint nimis acuta & subtilia, cujusmodi dicuntur fuisse Machiavelli, & Clementis VII. Pontificis; sed directâ quâdam judicii normâ formata, qualia fuisse Venetorum & Helvetiorum ex Bodino memorat Forstn. ad Tacit. lib. 4. Ann. p. 376. Nam, ut idem gravissimus autor paulò ante scribit, *nimiâ differendi subtilitate & huic adjunctâ ingenii ostentatione, quam sibi semel persuaserunt opinionem, mordicus tenent, & ab ea dimoveri probrosum arbitrantur. Contrâ hebetiores quàm acutiores ut plurimum Rempub. melius gubernant: juxta illud Thucyd. lib. 3. p. 149.*

§. IIX. Tempore etiam & morâ opus est, si consilia felici exitu frustrari non debeant: nam, ut ait Titus Vinius apud Tac. 1. Hist. c. 32. n. 3. *scelera impetu, bona consilia morâ valescunt. Contrâ calida consilia initio leta, tractatu dura, exitu tristia esse solent: ex illo Livii lib. 5. Hist. Quod tamen ita accipiendum, ne nimiâ lentitudine & affectatâ tarditate occasionis momenta negligantur, sed ob oculos versetur illud Augusti Impera-*

peratoris: *Festina lente!* Quod ita oblectavit Eras-  
 rasium, ut dignum judicaverit, quod pro templo-  
 rum omnium foribus describatur, & quidem aureis  
 notis, quod in Principalium aularum valvis depin-  
 gatur, quod Primatum insculpatur, annulis, quod  
 regis in sceptris exprimitur; denique quod omni-  
 bus ubique monumentis presentetur, propagetur,  
 celebretur. Quæ sunt ejus verba in explic. ejus  
 Proverbii Chil. 2. cent. 1. Monitum hoc fideliter  
 sedit animo Caroli V. ut vel inde constat, dum  
 cunctationem, animam consilii dixit, celeritatem,  
 executionis, utramque simul junctam, quintam es-  
 sentiam esse boni Principis: ut est apud Machiav.  
 lib. 2. Histor. Florent.

§. IX. Præcipuè consiliorum incolumitatem  
 fartam tectam præstat Taciturnitas. Quod men-  
 te voluisse apparet Romanos, dum Conso, quem  
 consiliis præsidere arbitrabantur, aram sub terra  
 edificarunt, ut significarent consilia abstrusa esse  
 debere, sicut ex Plutarcho indicat Rosinus lib. 2.  
 Antiq. Rom. c. 13. Unde Val. Maximus lib. 2. c. 2.  
 an. 1. prædicat tòm sanctò silentiò Patrù conscri-  
 ptorum consilia fuisse custodita, ut multis seculis  
 nemo Senator ea enuntiaverit. In Græcis eo no-  
 mine commendatur Antigonus, ut vel documen-  
 to esse potest illud, quod Plutarchus de eo refert  
 Tom. 3. Vit. Compar. p. 383. quòd cùm Demetri-  
 us etiamnum adolescentulus ex eo quæsiisset,  
 quando castra essent moturi? stomachabundus re-  
 spondit: *Times, ne solus tubam non ex audias?* Lo-  
 cum hunc pluribus & sententiis & exemplis illu-  
 strem

strem reddidère Freinshemius ad Curtium l. 4. c. 6. n. 6. Forstnerus ad L. 2. Annal. Tacit. p. 185.

§. X. Denique consilia sint constantia, neque vel ex aliorum libidine, vel ex affectibus, vel ex metu imminentis odii aut periculi, multò minùs spe privatæ utilitatis inflectantur. Quod tamen ita intelligendum est, ne nimis pertinaciter cõceptæ semel sententiæ inhæreatur, præsertim si necessitas & circumstantiæ postulent velà obliquari. Certè Cato, dum nusquã se mutare, nihil dare vellet populo, nihil dissimulatione transmittere in Pompejo, effecit, ut & populus Romanus respueret ipsum, atque alienaret à se Pompejum, adjungeretque ad rationes Cæsaris; quã re eversa est Resp. Romana. Notanda igitur Ciceronis sententiã pro Balbo: *Non esse inconstãtis puto, sententiam aliquam tanquam aliquod navigium & cursum ex Resp. tempestate moderari.* Hoc ipsum præclarè exponit Hermannus Crusenius in Præf. ad vitas Comp. Phocionis & Catonis Minoris à Plutarcho descriptas, his inter alia verbis: *Quisquis moderari Resp. intendit, hic assentiatur oportet temporibus, neque in una sententia conversis rebus permaneat, neque reluctetur semper, sed aliquando cedat.*

## APHORISMUS IV.

Prudentia judiciaria officium suum exsequitur

in

# in explicandis legibus, & causis ex eorum præscripto deciden- dis.

## §. I.

**E**Quidem facultas hæc intimè conjuncta est ipsi summæ majestati, propterea quòd, cujus est leges condere, ejus etiam est sententiam earundem explicare; quia tamen illi ipsi summi magistratus non possunt omnibus officiis ob-eundis pares esse, hinc meritò, ut alia complura, ita judicandi officium committant aliis negotiorum publicorum gestoribus, iisque veluti dexteris quibusdam utuntur. Vid. Hornejus lib. IV. Doctrinæ Civ. c. 4. n. 2. Adde quòd, *cum olim regia manus & voluntas pro lege haberetur, necesse fuit, causas civium à Principibus judicari, nunc vero, postquam judiciorum publicorum ac privatorum leges promulgatae sunt, & quæ quibus peccatis supplicia, quæ merentibus premia conferri oporteat, determinatum, necessitas illa ablata est, & à principibus ad iudices delatum: ex mente non male censentis Bodini lib. 4. de Rep. c. 6.*

§. II. Officium igitur ejus itidem, ut aliz virtutes sive formaliter, practicæ sive praxin quovis modo ordinantes certis debet esse circumscriptum præceptis, quorum paucissima saltem delibare juvat, dum in confinio Politicæ & Jurisprudentiæ simus constituti. Ac primum esto:

non licere iudici, pro suo arbitrio, opinione, & affectu, sententiam ferre, sed legum præscripto morem esse gerendum. Hinc Aristoteles 5. Eth. 10. & 3. Pol. 10. & 16. scribit: *legem dominari debere, non hominem, quippe in quem cadant perturbationes.* Unde, ex instituto Solonis apud Athenienses, nemo in numerum iudicum recipiebatur, nisi iuramentò adstrictus, se laturum sententiam secundum leges. Vid. Contr. Rittersh. in comment. ad Salvianum pag. 289. addatur Fr. Guicciardinus in hypomnes. Pol. p. 179.

§. III. Alterum esto: ne iudicio suo munerum largitione nebulas offundi patiatur, nam male verum examinat omnis corruptus iudex. Quod ipsum in dicto iuramentò apud Athenienses comprehensum fuisse idem Rittersh. observavit. Apud Thebanos in curiis & tribunalibus imagines positæ erant, quæ manibus carebant; quibus indicabatur iudices ab omni munerum corruptela quàm alienissimos debere esse. Plutarchus de Isid. & Osiride.

§. IV. Tertiò sententiam dicat iudex, nullo habitu respectu personarum illicitò, sive tali, ubi habetur ratio personæ, aut alterius circumstantiæ, causæ substantiam vel meritum non attingentis; h. e. favoris, & opum spe propositâ, aut metu odii & calumniarum, sententia ferri non debet. Hòc nomine in historiarum monumentis commendantur Zaleucus Locrensiùm Rex, qui nec filio, nec sibi pepercit; Phocion Atheniensis, qui ne genero quidem suo repetundarum

darum causam dicturo, adesse sustinuit; Papi-  
nianus, qui maluit capitis supplicium subire,  
quam parricidium à Caracalla in fratre Geta cõ-  
missum defendere; Thomas Morus, Angliæ  
Cancellarius, qui maluit miserandâ morte peri-  
re, quam nefaria facta Henrici III. Angliæ Re-  
gis defendere, de quo videatur Paulus Jovius in  
ejus vitâ p. 79.

§. V. Ad causæ cognitionem exquisitam ut per-  
veniat judex, interest imprimis, quartò, ne judiciũ  
præcipitet, sed utrique parti patulas aures præ-  
beat, quâ laude censeri potissimum voluit Alex-  
ander M. dum, Plutarchò teste, pro tribunali se-  
dens, manum alteri auri admovit, ut alteram in-  
tegram & intactam servaret à calumniis. Cui  
prorsus geminum est illud Lotharij II. Imperato-  
ris Symbolum: *unius oratio, nulla, aut saltem di-  
midia est oratio; itaque audiatur pars altera.*  
quod pluribus veterum acroamatibus illustravit  
Reusn. P. 2. Symbol. Imperat. symb. 19.

§. VI. Caveat sibi quintò judex, ne nimis sit  
indulgens in condonandis culpis, & *ignoscendo  
paucis sceleratis, bonos omnes perditum eat*, ut lo-  
quitur Cato apud Sallustium in Catil. c. 52. *Ipse  
est nocens, qui nocenti parcit, ut pluribus noceat.*  
Laetantius de ira DEI cap. 7. Meritò igitur lau-  
dandus Bias, quòd, cum damnandi necessitatem  
sibi impositam esse animadverteret, lacrymas  
fuderit, rogatusque, *quare id faceret?* dixerit: *quia nature condolendum est, sed legi suffragandũ.*  
& Prorex ille apud Buchanannum lib. 9. rerum  
Scoti-

Scoticarum, condonationem culpe ad Pontificem, sed pœnam corporis ad Regem pertinere dixit.

§. VII. Denique sextò sententia iudicii non est præcipitanda; nam ad pœnitentiam properaò qui citò iudicat: ut ait Seneca lib. de Provid. Suâ ergò laude non est defraudandus Tiberius, qui venit damnatos ante diem decimum puniri, ut spatium interea considerandi iudicii superesset: ut est apud Dionem Cass. lib. 57. Memorabile etiam est illud Theodosii M. qui cùm ex impotentia inconsultæ iræ magnam cladem Theffalonicæ dedisset, suafu Ambrosii legem sanxit, quâ pœne capitales in diem trigesimum differrentur. Sozom. l. 7. c. 34. Sed mihi ad lineam redeundum est, à qua paululum ultra latum unguem recessi, vendicans mihi illud Senecæ privilegium, ep. 2. soleo & in aliena castra transire, non tanquam transfuga, sed ut explorator. Plura de hâc materia congesserunt B. Gerh. loco de Magistr. Pol. §. 283. & seqq. Arnis. Doctr. Pol. cap. 25. §. 31. & seqq.

---

PARTIS III.

SECT. IV. CAP. I.

De

VIRTUTE HEROICA EIQUE  
OPPOSITA FERITATE.

APHORISMUS I.

Præter virtutes, commu-

g. 2

nem

nem hominum conditionem decentes, dantur aliæ augustiores, quæ propter inusitatos & stupendos effectus, aliquã divinitatis laudem suis autoribus conciliant, dictæ Heroicæ.

§. I.

**T**Ractum id nominis *ἀπὸ τῆς ἠέρας*, à Junone aëris Regina, quod veteres Pythagorici crederent, animas virorum insigniter de genere humano meritorum, post mortem corporum suorum, mediò inter cœlum & terram loco degeret, cui rei fidem facit Capella apud Ludov. Vivem lib. 2. Nuptiarum, quando *hoc totum, quicquid inter nos & lunam interjacet, locum esse, ait, Deorum Manium, & regnum Ditis.* Unde etiam Plato in Epinomide inter ordines Deorum quosdam stituit Dæmonibus aëreis minores, hominibus majores, quos *ἡμιθεοὶ* vocant, eosque Heroës ipsos fuisse putât, nec alios intellexisse videtur Pythagoras in principio Aureor. Carm, quando monet, *colendos esse τὰς κατὰ χθονὶς, δαίμονας* terre.



terrenos *Damonas*. Hesiodus autem *ἔργ.* vers. 158.  
 vocat istos tales

Ἄνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, ὃ καλέουσι  
 Ἡμίθεοι

*Divinum genus Heroum cognomine dictos  
 Semideos.*

§. II. Exempla istorum nulla non Poëtarum  
 monumenta divite venâ subministrant, sive Ho-  
 merum, sive Euripidem, sive Virgilium, sive Sene-  
 cam, sive Ovidium consulas, qui suos Ulysses,  
 Priamos, Achilles, Ajaces, Hectores, Hercules,  
 Agamemnonas, Æneas, Turnos, Nestoras,  
 Numas, intentis spiritibus decantant, quorum  
 tamen omnium & similium virtutis monstrorum  
 & miraculorum encomia justâ lance nemo ex-  
 penderit, nisi qui factâ diligenti contentione  
 laudabilium facinorum, cum enormibus, qui  
 confinia istorum foedè nonnunquâ inquinârunt  
 nævis, cogitaverit, plures eorum motibus heroi-  
 cis fuisse agitados, quàm perfectis ad unguem &  
 prudentiæ regulam virtutibus eminuisse, ut adeò  
 rectè scripserit B. meus Præceptor & Antecessor  
 Clariss. Bruno in Aphorismis suis moralibus  
 disp. XI. aph. 3. §. 5. *plures heroum titulo insigni-  
 tos, & rerum gestarum gloriâ conspicuos viros, mo-  
 tu verius heroicò, quàm habitu præditos fuisse.*

§. III. Deinde & illud animadvertendum est,  
 motus istos heroicos, etsi vel maximè efflore-  
 scant per fortitudinis actiones, unde ista virtus

ferè gloriam istam sibi propriam, usu & suffragiò Poëtarum atque Historicorum, sibi vendicavit, tamen in aliis etiam virtutibus nonnulla extare vestigia, adeoque titulò istò insigniri potest Temperantia Socratis, qui cum omnem ætatem modicò cibo ac potu frugalissimò aluisset, dicere solitus est; *alios vivere, ut ederent; se edere, ut viveret*: Liberalitas Cimonis Atheniensis, qui hortis prædiisque, quæ plurima possidebat, custodem non imponebat, ut nemo à fructibus eorum prohiberetur, pedissequis etiam negotium dabat, ut semper crumenis plenis instructi nulli petentium opem denegarent; Magnificentia Tiberii Drusi, qui immortalitatem sibi splendidis operibus devinxit: Magnanimitas Julii Cæsaris, in periculis & rebus asperrimis spectata: Mansuetudo Pyrrhi, Augusti, Tiberii, qui maledicorum effrenem licentiam cum ferre non possent, non nisi contemptu vindicabant: Humanitas Vespasiani & Ferdinandi I. Imperatorum quibus religio fuit quenquam tristem à vultu suo dimittere: Veracitas Epaminondæ, qui ne jocò quidem mentiri sibi permisit: Justitia Catonis, qui neque sibi delicti ullius gratiam faciebat, neque aliis malefacta condonabat.

§. IV. Modestia etsi & ipsa in generoso, quodque heroicò spiritu turget, pectore habitare secretius possit, quia tamen vela contrahere jubet, & motus heroicos ad mediocritatem inflectere, vix admittit nomen & rationem habitus heròici, certè ad facta heroica non assurgit: ad Urbanitatem

tatem verò, quæ delectationem magis, quàm u-  
sum vitæ civilis respicit, vix, aut rariùs se demit-  
tit, nec à verò abest, quod scribit Ampliff. Cōrin-  
gius cap. I. Propol. *quicquid illius sit ὁμοιωτικῆς,*  
*longè infra naturam reliquarum esse virtutum.*

## APHORISMUS II.

Ignominiosò feritatis no-  
mine ii homines nota-  
ri solent, qui superant  
communẽ hominum  
naturam, vitiorum  
pravitate.

S. I.

**T**Riplicis generis feritatem Aristoteles in te-  
xtu indicat, unam illorum hominum, qui  
mutili aliquã corporis parte laborant, cujusmo-  
di sunt phrenetici, & atrabile correpti; quò re-  
fert Aristoteles mulierem illam, quæ prægnan-  
tium mulierum uteros secare sit solita, & erutos  
inde infantes devorare; alteram eorum, qui pra-  
vã consuetudine peccandi libidinem contraxe-  
runt; quò in numero habet populos efferatos  
circa Pontum habitantes, quorum nonnulli ve-  
scantur crudis carnibus, alii humanis dapibus.

Qg 4

Tertia

Tertia denique est *εὐχέλεια*, & originem trahit à corrupto iudicio & perversa voluntate, & malitiâ peccandi; quæ quidem Ethicæ potissimum considerationis est.

§. II. Ac hujus quidem tot sunt species, quot sunt ipsarum virtutum, etsi quorundam vitiorum ea est natura, ut nec gradum nec appellationem feritatis recipere queant. Repræsentant igitur feram Audaciam Gigantes illi, qui, fide Mythologorum, Jovem ipsum per montes humeris impositos laceßere, & cælo deturbare ausi sunt; Timiditatem Dionysius Syracusanorum Tyrannus, qui nec capillum tonsoribus ausus est committere, nec in cubiculum quenquam, ne quidem fratrem aut filium amictum ingredi permisit, sed prius positâ stolâ suâ aliam sumere, atque excuti à satellitibus nudum mandavit, teste Plútarchô in vita Dionis p. 477.

§. III. Voluptatibus ultra consuetum mortalibus modum indulgentes proverbii locum faciebant Sybaritæ & Syracusani populi, insanum in modum voluptatibus addictissimi. Contrâ nimis, & plus, quàm natura humana finit, à cibo & potu abstinere Astomorum gens, in India Orientali, quæ nullô potu, nullô cibo utebatur, contenta radicum florumque odoribus; si credimus Plinio lib. 7. Nat. hist. c. 2. Huc referendi Galli Cybeles sacerdotes, qui suâ sponte testes excubant, & Origenes Ecclesiæ Doctor, qui seipsum castravit *propter regnum cælorum*, ut ipse agebat; teste Eusebio.

§. IV.

§. IV. Rei faciendæ & comparandæ inuſitatô more intentus fuit Euclio ille Plautinus, *quô pumicem non aquè esse aridum* dicit coquus in *Aulularia* A. 2. ſcen. 4. verſ. 18. Amore pecuniæ furere viſus eſt Caligula, qui in pecunia nudum ſe provolvit, ut auri aviditatem vel hoc modo expleret. Idem monſtrum hominis prodigioſè immenſas opes à Tiberio congeſtas, nempè vicies ac ſepties millies HS. h. e. ultra centum milliones, non totô vertente anno abſumſit, ut eſt apud Suet.

§. V. Faſtum, civilis vitæ communes mores ſupergredientem, ſpectare licet in Xerxe, qui mari ſtigmata ac verbera ingeſſit, monti Atho, *ne ſuis operibus impedimento eſſet*, imperavit: in Caligula, qui putavit ſibi à Jove noceri non poſſe, imò ſe ipſum Jovem finxit, unde quibusdam machinis tonitrua ac fulgura imitari voluit in Attila, qui *ſtellas præ ſe cadere, terram tremere, ſe malleum eſſe uniuerſi orbis* dixit. Vid. Picc. obſ. hiſt. Pol. Dec. 2. c. 1. Nimia abjectio & ſui deteſtadus contemptus apparet in Franc. Dandalo, Venetorum legato, qui ut à Pontifice gratiam Venetis ſuis impetraret, veſte mutatâ, & canis quadrupedis habitu ſumtô Zonâ in catenæ modum collô vinctus, ad Pontificis menſam & pedes ſe abjecit. Egnatius lib. 2. c. 4.

§. VI. Nullum autem vitium ferinæ turpitudinis faciem conſpectiorem exhibet quàm Iracundia, ubi homines velut extra ſui poteſtatem abripit, & in leones, tigrides, pardos transfor-

mat. Pertinent ergo huc exempla tyrannorum, cædibus & sanguinæ hominum effertam immanitatem pascentium. Talis beluina voluptas Hannibalis, qui cùm fossam humanò sanguine plenam vidisset, dixisse fertur: *Est formosum spectaculum!* Plut. in vita. In hanc classem referendi Phalarides, Dionysii, Neronis, Maxentii, Commodi, Decii, sub specie humana lupinos animos gerentes.

§. VII. In homiliis & congressibus non alia feritas esse potest, quàm cùm homines more ferarum, vel consociationes civium fugiunt & averfantur, instar Timonis *μισανθρόπυ*, aut Pythagoræ, qui annò integrò in subterraneo specu latuit, vel disidiis & litigiis perpetuis animos distrahunt, ut in concordiam ire nequeant, qualem fuisse Normannorum nationem Polydorus Virgilius tradidit.

## CAPUT II.

DE

VIRTUTIBUS IMPERFECTIS,  
ET VITIIS, QUÆ ILLIS  
OPPONUNTUR

APHORISMUS I.

Continens est, qui pra-

vas,

vas, cupiditates habet,  
sed eis resistit, & rectæ  
electioni inhæret.

§. I.

**S**I vitæ humanæ rationem, actiones, instituta consideres, plures reperies continentiam, quam temperantiam præditos, plures qui cum affectibus suis decertant, quam qui ad nutum & obsequium habent. Certè si ipsi Stoici rigidi officiorum exactores, non tantum proponunt sapientem omnibus numeris perfectum, qui tanquam *phœnix* semel annò quingentesimò nascatur: sed etiam alterum *secundæ notæ*, ut Seneca suorum doctrinam explanat ep. 42, quidni Peripateticos respicere par est, non minus continentem in confinio probitatis consistentem, quam temperantem omnis bonitatis numeros ex asse implentem?

§. II. Ipse certè Plato cupiditates adversarias sibi constitutas esse indicaturus, cum sæpius siti laboraret, è puteo hauriebat aquam, iterumq; effundebat, ut ita cupiditatem castigaret: laudabile est & illud Zenonis, qui cum vicinus assideret pellici, sentiretque affectum amoris, surrexit; hoc admirante Cleanthe, qui & ipse in proximo aderat, *etiam à bonis, inquit, medicis audio, adversus inflationem optimum esse remedium quietem.*

§. III. Hanc potius virtutem, quam Giphanius ex Lucretio scitè *harmoniam Veneris* vocat,

eat, quam temperantiam sectatus videtur esse Alexander M. Hæc enim in ejus animo variò, affectibus, instar Euripi, æstuante, non potuit fixas agere radices. Argumento gemino eam potissimum comprobavit: primo, dum Darii à se devicti *virginos filias excellentis formæ, tam sanctè habuit, quàm si eòdem, quo ipse, parente genitæ forent: conjugem ejusdem, quam nulla ætatis suæ pulchritudine corporis vicit, adeo ipse non violavit, ut summam adhibuerit curam, ne quis captivo corpori illuderet.* Curtius l. 3. c. 12. §. 21. & 22. Deinde cum alteri *eximia pulchritudinis virgini captivæ, quæ finitima gentis Principi fuerat desponsata, summâ abstinentia ita pepercit, ut illam ne aspexerit quidem, quâ mox ad sponsam remissâ, universæ gentis per hoc beneficium animos sibi conciliavit.* Frontinus lib. 2. strateg. c. 11. num. 6.

§. IV. Haud absimile est factum Scipionis Africani, uti quidem proditur à Plutarcho in Apophth. c. 4. & Polyb. l. 10. hist. c. 19. adduxerant ad eum quidam juvenes Romani virginem, & ætatis flore, & formæ bonitate cæteris mulieribus longè præstantem, & in conspectu illius locatam, *muneri se dare dicebant, quippe qui non ignorarent Scipionem naturâ mulierosum esse.* Scipio miraculo pulchritudinis attonitus: *ego verò, inquit, nec si privatus viverem, poteram accipere munus aliud magis gratum, neque nunc imperator, ullum aliud minus gratum.* Plut. loc. cit. dixisse memorat: *perlibenter*



*benter accepissem, si privatus, neque cum imperio  
essem. Ecce luctantem cum affectu rationem, &  
tandem gloriose tropæum statuentem!*

## APHORISMUS II.

Incontinens cognoscens  
prava esse, quæ agit,  
ob affectum tamen a-  
git.

§. I.

**H**unc non *νονηγὺ* sed *ἡμινόνηγὺ* vocat Ari-  
stoteles, propterea, quòd non consultò &  
plenâ animi præresi agat, sed ab affectibus,  
contra mentis iudicium, in transversum abripi  
se patiat, & eleganter præterea comparat civi-  
tati, quæ omnia quidem, quæ fieri deberent, decer-  
nat, legesque bonas habeat, sed eis tamen non uti-  
tur, quod quidem aliàs Anaxandridas Poëta A-  
theniensibus exprobrasse dicitur.

§. II. Exempla non è difficili petuntur, cum  
quotidiè sint obvia. Non alius magis graphi-  
cè depinxisse videtur Ovidio lib. 7. *Metam. in*  
*Medea*, Jasonem deperiente, & ægrimoniam  
mentis his verbis exprimente:

————— ————— *Si possem sanior essem,  
Sed trahit iuvitam nova vis, aliudque cupido.*  
Mens

*Mens aliud suadet; video meliora proboque  
Deteriora sequor.*

In sacris victas isti adversario manus dedit David; in seculari historia Hannibal apud Campanos, Antonius in Ægypto apud Cleopatram. Memorabile in primis incontinentiæ exemplum refert Augustinus de Alípio sodali suo. Is cum omnem spectaculorum averfaretur turpitudinem, tandem, blandis amicorum precibus victus, condixit ad præsentiam, eâ tamen lege, ut compressis oculis alfideret, animo ad altiora defixò. Quid fit? cum subito clamor populi esset exortus, ipse quoque excitatus oculos advertit, clamavit, exarsit, exultavit, & cupiditatem redeundi ad insaniam spectaculorum secum abstulit. Periisset miser, nisi monitis Augustini in viam reductus fuisset. Aug. l. 6. confess. c. 8. apud Drexel. in Niceta p 493. & Noëmo p. 639.

## APHORISMUS III.

Toleransest, qui ærumnas  
& dolores sustinet,  
ringente intus & ad-  
versante cupiditate.

§. I. De-

## §. I.

**D**Egustabimus pauca exempla, ut canis è Ni-  
 lo, & fugiemus. Timoleon Corinthius,  
 cùm ætate jam provectus, oculorum usum ami-  
 sisset, eam calamitatem ita moderatè tulit, ut  
 neque eum quisquam queri audiverit, nec res  
 privatas publicasque gerere intermiserit. C. Ma-  
 rius, cùm varicibus, utrinque tumidum crus  
 haberet, deformitateque anxius, alterum medi-  
 co ad varices secādas præberet, non alligat, nec  
 se tamen movit, vel ad acerrimum doloris mor-  
 sum, quem in sectione sensit, vocem misit, aut  
 vultum mutavit; ut est apud Plut. in vitâ.

§. II. Non aliò referri putârim Phocionis in  
 tolerandis tempestatum injuriis pervicaciam.  
 Is, teste Plutarcho, peregrè atque in bello sine  
 calceis semper, nudusque, incedebat; nisi gelu  
 immodicum esset & intolerabile; ut milites  
 per jocum pro gravis brumæ nota habe-  
 rent, ubi esset vestibus Phocion opertus. Atque  
 hic idem autor æqualem moribus jungit Cato-  
 nem Minorem, quem incredibili memorat fuis-  
 se in morbis tolerantiâ, juxtâ cum continentia,  
 adeò, ut febricitans solus secum diem traduce-  
 ret, heminè admissò, quoad firmam allevatio-  
 nem, & conversionem sentiret morbi.

§. III. Virtuti huic parem se præstitit Vespas-  
 ianus Imperator, qui acerbissimis etiam morbi  
 doloribus exagitus, jocatus est, *Imperatorẽ oportere stantem mori*. Aelius Adrianus, cùm frequen-  
 ter iter faceret, tempestates ita patienter tulit,

ut instar Masinissæ caput nunquã tegeret; unde  
Floro Poëtæ materiam scommatum præberet,  
ut caneret:

*Ego nolo Casar esse ,  
Volitare per Sicambros ,  
Ambulare per Britannos ,  
Scythicas pati prunias.*

Eâdem patientiâ militibus suis præluxit Alexander Severus Imperator. Nam , ut autot est Herodianus lib. 2. Hist. c. 11. n. 2. *ipse inter primos laborans viliq; tabernaculo utens , cibum potumq; eundem, quem etiam ceteri milites, capiebat : sæpè per altissimos montes hieme sævâ, nivibus è cælo ingruentibus, ivit apertò capite.*

## APHORISMUS IV.

Durities vel obduratio est, cùm homines ex obstinatione animi, captandæ vanæ gloriolæ gratiâ , dolores & molestias perferunt.

2. 1.

**H**unc callum animò obduxit Anaxarchus Abderites. Nam cum Nicocreon, Cypriorum Tyrannus, comprehensum eum in saxum concavum projecisset, iussissetque ferreis malleis cædi, ille cruciatum negligens ingeminasse fertur: *Tunde, tunde vasculum Anaxarchi, Anaxarchum enim ipsum non teris.* Laërt. in vita Anaxarchi.

§. II. Laureolam etiam ex hõc mustaceo quæsisse referuntur Spartani. Horum pueri ad aram verberibus sic excipiebantur, ut multus è visceribus sanguis exiret, nonnunquam etiam ad necem usque, quorum nemo non tantum exclamabat *anquam*, sed ne ingemiscebat quidem: teste Cic. lib. 2. Tusc. Refertur etiam à Plutarcho in Apophth. Laconicis p. 388. de Spartano puero, quòd cum vulpeculam, furto surreptam, abdidisset, & bestia illa latus ejus usque ad viscera corrosisset, tamen dolorem dissimulavit, cumq; socii eum reprehēderēt, inquiringes: *præstare vulpeculam detegere, quàm usq; ad mortem occultare; nequaquam*, inquit; *nam moriendum potius fuerit in dolorib; quàm furti compertum, ob mollitiem vitâ turpiter potiri.*

§. III. An referri huc potest exemplum Cleombroti pueri Ambraciotæ qui, lectò Phædone Platonis, de muro in mare ultrò se projecit. Cic. 1. Tusc. Item illorum, qui representatâ ab Hegesiâ Cyrenaicò miserandâ vitæ imagine mortem sibi consciverunt. Val. Maximus lib. 8. c. 19. ex.

Hh

exter.

exter. 3. Dèniq; huc pertinēt Stoici, qui sapientem suum, si uratur, si crueietur, *si in Phalaridis tauro erit*, dicturum tamen fingunt: *quàm suave est hoc! quàm hoc non curo!* ut est apud Cic. 2. Tusc. Addatur Lipsius, manud. ad Philos. Stoicam lib. 3. dissert. 6.

## APHORISMUS V.

Qui deficit in iis, adversus quæ plerique renitentur, & possunt, is mollis est & delicatus.

§. I.

CONtrahunt hoc vitii alii per naturam, ut infantes aut scœminæ, alii per consuetudinem, ut Persæ, qui pulvinaria fulmentis lectorum substernebant, ne decumbentibus asperius reniterentur, sed mollius cederent; Scythæ, qui plerique morbô muliebri & molli laborabant, teste Herodotô lib. 1. Sybaritæ, qui in civitate totâ noluerunt habere gallum gallinæum, ne interromperet eorum somnos, quâ ipsâ de causa omnes opifices, strepitum operis suis edentes, esse jusserunt: teste Athenæo lib. 12.

§. II. Ab hâc Sybaritarum gente ortum traxit ille Miadyrides, qui *cum vidisset fodientem*

&

*et aliis rastrum allevantem, lassum se fieri questus, vetuit illum opus in conspectu suo facere: idem sapiens questus est, quod foliis rose duplicatis incubisset.* Refert Seneca lib. 2. de Ira c. 25. Supina etiam mollities Crispini satyricò sale Juvenalis perfricatur, Sat. I. v. 28. Quòd scilicet lacernam, vel penulam humero devergere passus sit, & æstivò tempore leviores anulos & gemmas digito induerit, cum hyemales, ut majoris ponderis, tempore æstivò ferre non posset.

---

SECT. V. & ult.

CAP. UNICUM

DE

A M I C I T I A.

APHORISMUS I.

Perfecta amicitia intimam cum virtutis possessione habet connexionem, et si ipsa rarissima in humano genere extet,

H 2

S. I. Quod

§. I.

**Q**uodsi enim ipsa virtus eximia, & ad aliquantillam perfectionem adducta, rarior, apparet, quâ mirum esse potest, foecundius & amabilius ejus exercitium, idque inter paucos, eosdemque insigniter bonos, rariùs in vita civili existere? Adde, quòd multò tempore & longâ consuetudine opus sit, seu juxta proverbium, *multâ salis consumptione exploratio amicorum indigeat*; ut eleganter differit Aristoteles 8. Eth. 4.

§. II. Cum animo suo istud reputans Cicero in Lælio suo c. 4. *ex omnibus sæculis vix tria aut quatuor nominari paria amicorum* scribit: & indicare videtur Theseum & Pirithoum, Achillem & Patroclum, Orestem & Pyladem, Damonem & Pythiam, Pythagoræos. Addi possunt Cicero & Pomponius Atticus; Pelopidas & Epaminondas, Thebani; Cimon & Miltiades, Lacedæmonii.

§. III. In sacrâ historia laudem sinceræ amicitiae consecrati sunt David & Jonathan; in Ecclesiasticâ Gregorius Nazianzenus & Basilus M. *ὁμόθετοι, ὁμόδιαιτοι, συμφυεῖς, τὸ ἐν βλέποντις, commensales, concordēs, unum idemque spectantes*, ut loquitur ipse Gregorius in quadam oratione de laude Basilii habitâ. Augustinus & Alipius, qui cùm primam ætatem hæreticâ pravitæ inquinatam exegissent, uterque simul, eodem tempore, Mediolani ad frugem & orthodoxiam se receperunt, & reliquum vitæ tempus suavissimis intaminatæ amicitiae officiis mutuò cooperuerunt.

§. IV. No



§. IV. Nostrum seculum ut sterile virtutum est, ita minùs est mirum, amicos simul cum candore esse rem penè intermortuam. Quin juvat effundi in querèlam cum Erasmo l. 25. ep. 22. *in totum eò degenerârunt hominum mores, ut hodiè cygnus niger, aut corvus albus minùs rara sit avis, quàm fidelis amicus: tanta in plerisque simulandi dissimulandique vafrities, tantum fallendi artificium; εὐδὴν ὑγιῆς, κισθὴλα ἄπειρα.* Et si quid in nonnullis comperias sincerioris affectùs, tanta est in voluntate inconstantia, dicas Euripum quempiam. Alios paulum invidia deterret ab amicitia, tantum abest, ut nunc speres τὸ τῶν συναποθνησκόντων γένος. Alios quamlibet levis offensuscula ex amicis vertit in hostes. Sunt, quibus si quid benefacias, plumea est gratia, si quid offendas, plumbeas, ut ille ait, iras gerunt. Poterantne Sibyllæ foliis vèriora dici?

## APHORISMUS II.

Præter amicitiam æqualium, est & dicitur κατ' ἰσῶεργήν illa conjunctio, quæ intercedit inter patrem & filium,

Hh 3      senio-

# seniorem & juniorem, virum & uxorem, de- niq; principem & sub- ditos.

## §. I.

**P**Riora genera exemplis ostendi non est neces-  
se, cum passim & quotidie sint obvia. Prin-  
cipis amici sunt *Adjuutores*, iique, ut ordinat Li-  
psius l. 2. Polit. c. 3. *duum generum: Consilarii &*  
*Administri. Illi, qui lingua & mente imprimis ju-*  
*vant, hi qui manu & factis.* Illi obtigerunt Zo-  
pyrus Dario, Demaratus Xerxi, Callisthenes  
Alexandro M. Solon Cræso Lydorum Regi, Dio-  
nyfio Syracufano Dion & Plato, Neroni Seneca:  
etsi ipsi consilia eorum sæpè cum suo damno sus-  
que deque habuerunt. Majori fide & beneficiis  
coluit Augustus amicos suos, ut Arrium, in cu-  
jus gratiam Alexandria, vi captæ, pepercit;  
Meccœnatem, cujus monita libenter admisit; A-  
grippam, quem tantis honoribus affecit, ut di-  
xerit aliquando Meccœnas ad Augustum: *Tan-*  
*tis honoribus auxisti Agrippam, ô Cesar, ut eum*  
*aut generum tuum esse, aut interire sit necesse.*

§. II. Ministrorum fidorum insigne extat  
exemplum apud Curtium l. 5. c. 1. & l. 8. c. 6.  
102. seqq. *Mos erat, scribit ille, principibus Ma-*  
*cedonum adultos liberos Regibus tradere, ad munia*  
*haud multum servilibus ministeriis abhorrentia.*

EXCU-

*Excubabant servatis noctiū vicibus proximi foribus adis, in quā Rex acquiescebat: — iidem acceptos ab agasonibus equos, cūm Rex ascensurus esset, admovebant, comitabanturq; & venantem, & in praeliis; omnibus artibus studiorum liberalium exculti: — hęc cohors veluti seminarium Ducum prefectorumque apud Macedonas fuere. Hinc habuere posterī Reges, quorum stirpi post multas ætates Romani opes ademerunt.*

## APHORISMUS III.

**A verâ amicitia multis modis deflectit imperfecta, eaque duplex: jucunda & utilis.**

### §. I.

**I**lla est, quæ initur & colitur fallendi temporis, & discutiendarum vitæ molestiarum gratiâ, ac ferè in extremis labris nata; nec habet pro fundamento virtutem, qualem consecutus est Scipio Africanus, qui non facilè discessit à foro, quàm amicum sibi comparasset. Spectatur hæc amicitia imprimis apud adolescentes, contubernii & cōdiscipulatūs communione junctos, quò no-

mine laudatur à Corn. Nepote Atticus in  
vita c. 5. §. 3. addatur Greg. Richterius in  
axiom. Oeconom. p. 158.

§. II. Utilibus amicis laborant Principes,  
quos circumfident agmina τῶν ἀντιληκύθων  
καὶ τραπέζων, quippe tūm præstò sunt,  
quoties audiunt κατὰ χειρὸς ὑδωρ, ut loqui-  
tur Plut. de discrim. adul. & amici. Eò in-  
geniò colebant ferè amicitiam Romani cum  
exteris Regibus, ut eos in obsequio & vene-  
ratione sui, adversus alias gentes, retinerent  
constantes. De amicitia commerciorum  
& negotiationum altrice nihil attinet dicere.  
Potius igitur faventibus Musis, & amicâ ve-  
ritate, Ethicam nostram Paradigma-  
ticam tandem obfirmamus.

F I N I S.





# INDEX I. APHORI- S M O R U M.

## Partis I. Aphor. I.

*Nullò non ævò, nullâque non in Republicâ extiterunt, qui felicitatis Aristotelica mensuram impleverunt.* pag. 3.

### Aph. 2.

*Ad felicitatem civilem multum momenti affertur patria tum præcipuè majorum dignitas.* p. 12.

### Aph. 3.

*Sanitas vel maxime ad civilis felicitatis integritatem est necessaria.* p. 24.

### Aph. 4.

*Athletarum habitus nec ad boni corporis constitutionem, civili societati convenientem, nec ad bonam valetudinem, nec ad procreationem liberorum utilis est: neq; is, qui remediis & curationibus eget, quiq; valde laboribus & morbis exercitus est; sed qui inter hos interjectus est.* p. 26

### Aph. 5.

*Pulchritudo corporis, eaque saltem mediocris, cum felicitate civili conjuncta esse debet.* p. 28

### Aph. 6.

*Divitiæ, si magnæ & multæ sint, beatioram vitam reddunt: sunt enim ad augendum ornatum idoneæ, & usus ipsarum pulcher honestusque est.* p. 31

### Aph. 7.

*Malta geruntur feliciter adminiculâ honoris & civili*

# I N D E X I.

*civilis potentia.*

p. 33.

Aph. 8

*Felix & illustre conjugium præcipua est pars felicitatis humana: sæpè etiam ad res præclare gerendas haud exiguum affert adjumentum.*

p. 36

Aph. 9.

*Felicitati ornamentum adfert copia bene educatorum liberorum.*

p. 38

Aph. 10.

